

Ad. II 44.9

Werke

des heiligen

Alphons Maria von Liguori.

Dritte Abtheilung.

Moraltheologische Werke.

Vierzehnter Band.

THEOLOGIA MORALIS. TOM. VII.

Sämmtliche

Werke

des heiligen

Alphons Maria von Liguori.

Dritte Abtheilung.

Moraltheologische Werke.

Vierzehnter Band.

Theologia moralis.

TOMUS SEPTIMUS.

RATISBONAE, 1847.
Sumtibus **G. Josephi Manz.**

THEOLOGIA MORALIS

SANCTI

ALPHONSI MARIAE DE LIGUORI,

FUNDATORIS CONGR. SS. REDEMPTORIS ET EPISCOPI S. AGATHAE GOTHORUM.

NOVAM EDITIONEM EMENDATAM ET OPPORTUNIS NOTIS AUCTAM CURAVIT

P. MICHAEL HARINGER,

Presbyter ejusdem congr. et lector theologiæ moralis.

TOMUS SEPTIMUS.

CONTINET TRACTATUM DE CENSURIS ECCLESIASTICIS ET EPITOMEN EX OPERIBUS BENEDICTI XIV.

(LIB. VII.)



Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

RATISBONAE, 1847.
Sumtibus **G. Josephi Manz.**

5055

Property of
Elga
Please return to
Graduate Theological
Union Library

239.02
L627

LIBER SEPTIMUS.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS ET IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

DUBIUM I.

Quid sit censura ecclesiastica.

1. *Quid est censura?*
2. *An censura privet bonis internis.*
3. *An degradatio vel depositio sit censura.*
4. *An cessatio a divinis.*
5. *An irregularitas.*

1. — „Resp. Est pœna spiritualis et medicinalis, per „quam homini baptizato delinquenti ac contumaci per po„tentiam ecclesiasticam aufertur usus quorumdam spiri„tualium bonorum (1)." *(Nota verbum medicinalis. Et ideo non sunt excommunicandi ii, de quorum correctione desperatur, nisi fiat ad terrorem aliorum (2).*

Unde resolves:

2. — „1. Per censuram non privatur homo bonis mere „internis, v. gr. charactere, potestate ordinis, nec bonis „propriis ac privatis: v. gr. fide, charitate, gratia etc." *(nec communione sanctorum, radicaliter derivante ex fide et charitate (3);* „sed quibusdam externis et publicis, sive „actionibus, quæ habent spiritualem aliquem effectum

(1) *Laymann l. 1. t. 5 p. 1. c. 1.* — (2) *Salm. tr. 10. de cens. c. 1. p. 1. n. 10. cum s. Thoma.* — (3) *vide Salm. de cens. c. 1. p. 1. n. 8.*

„vel commodum: ut sunt sacrificium, officium divinum, „beneficium, administratio et susceptio sacramentorum, „indulgentia, publica ecclesiæ suffragia: quia hæc et non „illa subsunt dispositioni ecclesiæ. Unde, si interdum „privetur bono aliquo temporali, v. gr. convictu humano „per excommunicationem, id tantum fit secundario.

„2. Exilium, carcer, servitus, privatio beneficii, nisi „adjunctam habeant suspensionem aliquam spiritualium „actionum, non sunt censuræ, quia sunt pœnæ temporales.

3. — „3. Nec degradatio vel depositio est censura; quia, „etsi sit pœna spiritualis, non tamen medicinalis, sed „perpetua, et ob peccatum præteritum, etiam emendatum, „potest infligi." *(Ita verius et communius* (1)*; et clare colligitur ex cap. Quærenti de verb. signif., ubi sic habetur: Quærenti, quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in litteris nostris apponimus, respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi.)*

4. — „4. Nec cessatio a divinis, quia non imponitur „per modum medicinæ ad tollendam contumaciam, sed „ad propulsandam injuriam ecclesiæ factam.

5. — „5. Nec irregularitas, sive sit ex defectu, quia „hæc non est pœnalis, sed tantum impedimentum cano„nicum; sive sit ex delicto, quia hæc non irrogatur per „modum pœnæ medicinalis, sed punitivæ et ex se per„petuæ. Unde nec tollitur per absolutionem, sicut cen„sura, sed per dispensationem (2).

„6. Quando in jubilæis vel privilegiis datur potestas „absolvendi a censuris, non comprehenditur irregularitas, „nisi expresse addatur (3)."

(1) *Salm. ib. p. 2. n. 12. cum Suar., Barb., Pal., Coninch., Val. etc. contra Gutt., Led. etc.* — (2) *Bonac. d. 1. q. 1. p. 1. (idem docent Suar. t. 5. d. 1. sect. 3., Bon. d. 1. q. 1. p. 1. n. 4., Cont. Tourn. tr. de censuris p. 1. c. 1., Salm. de cens. c. 1. p. 2. n. 12. et 15. prope fin., Pal. d. 1. p. 1. n. 3. etc. contra Sot., Ban., Cov. etc.: et huic sententiæ favet etiam Bened. XIV. in epist. encycl. Inter præteritos, edita 3. Dec. 1749. §. 50.; vide dicenda n. 351.)* — (3) *ut declaravit idem Bened. XIV. l. c.*

DUBIUM II.

Quotuplex sit censura.

6. *Quotupliciter censuræ dividantur. An censuræ latæ ab episcopo in synodo sint perpetuæ et tamquam latæ a jure.*
7. *Quando censuræ reputentur esse latæ sententiæ.*
8. *Quando ferendæ.*

6. — „Resp. *Dividitur primo essentialiter* in excommunicationem, suspensionem et interdictum; *secundo accidentaliter* in eam, quæ est a jure, et fertur per canones, constitutiones vel statuta ecclesiastica, stabili ac permanente lege; et eam, quæ est ab homine, quæ scilicet fertur a judice vel prælato per modum mandati vel sententiæ judiciariæ. Estque vel particularis, circa factum aliquod particulare aut certas personas; vel generalis, quæ nulla singularis facti aut personæ determinatione fertur." (*Nota igitur, quod censuræ, quas fert episcopus in synodo diœcesana, dicuntur latæ per modum statuti; et hæ tanquam latæ a jure durant post mortem episcopi. Aliæ vero extra synodum dicuntur latæ ab homine per modum præcepti seu mandati aut sententiæ; et hæ per mortem ferentis cessant, sive præceptum sit particulare sive generale*(1). „*Tertio* in eam, quæ est sententiæ *latæ*, quam scilicet jus aut judex statuit ipso facto, quo quis v. gr. contra legem facit, sine alia sententia incurrendam: et in eam, quæ est *ferendæ*, quam jus aut judex non vult ipso facto incurri, sed per sententiam infligi. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba, quibus censura fertur: quæ, si includant alterius actionem seu ministerium, significant, censuram esse sententiæ ferendæ; latæ vero, si non includant. Si vero ambigua sint, teneri potest regula 49. juris in 6., quod in dubio circa pœnas benignior interpretatio sit facienda(2)."

Unde resolves:

7. — „1. Est censura latæ sententiæ: 1) Si verba sint præteriti aut præsentis temporis, v. gr.: *Excommuni-*

(1) *ita Ronc. c. 1. q. 2., Salm. l. c. n. 16., Croix l. 7. n. 7. cum Dicast.* — (2) *(ita etiam Sporer p. 116. n. 6., Contin. Tourn. de cens. part. 1. c. 1. v. dividitur 3., Conc. t. 10. p. 415. n. 5., item Fill., March. etc. cum Salm. de cens. c. 1. p. 2. n. 18. ex c. Odia, et ex c. In pœnis de reg. juris in 6.)*

„*cavimus*, *excommunicatus est*, *fuit*, *excommunico*, *sus-*
„*penduntur*, *interdicuntur*, *volumus aut jubemus*, *esse*
„*excommunicatum*, *suspensum etc.*; 2) si addatur par-
„ticula *ipso jure*, *ipso facto*, vel: *sine alia sententia;*
„3) si verba sunt imperativi modi, v. gr.: *incidat in ex-*
„*communicationem*, *maneat interdictus* etc. Ratio, quia
„hæc omnia nullius actionem interponunt.

8. — „2. Sententiæ ferendæ est, saltem ut plurimum:
„1) Si verba sint futuri temporis, v. gr.: *excommunica-*
„*bitur*, *suspendetur* (1);" 2) si dicatur: *excommunicetur*,
„*suspendatur*, *volumus excommunicari*" *(Ita Sporer* (2); *sed vide hic in fine)*; „3) si verba sint minatoria, v. gr.:
„*sub pœna excommunicationis*, *sub interminatione ana-*
„*thematis* etc.; nisi tamen ex adjunctis aliud colliga-
„tur (3)." *(Item si dicatur: Volumus excommunicari*, *suspendi* (4). *Si autem dicatur: Excommunicatus sit*, *Bonacina*, *Hurtadus etc. cum Salm.* (5) *tenent*, *excommunicationem esse latæ sententiæ*, *sed Sanchez*, *Laymann ib. etc. volunt*, *esse ferendæ. Utraque est probabilis. Si dicitur: Anathema sit*, *Sanchez et Dicast.* (6) *dicunt*, *esse ferendæ* (7), *nisi fiat contra hæresim. Quod autem ait Busenbaum*, *si dicatur: excommunicetur*, *suspendatur etc.*, *intelligi ferendæ sententiæ*, *hoc explicandum est*, *si præceptum excommunicandi*, *suspendendi etc. alteri* (*puta episcopo*) *imponatur. At si absolute modo imperativo profertur*, *censura dicenda est latæ sententiæ*, *ut pro certo asserit Bonacina* (8), *et communiter docent* (9).

DUBIUM III.

Qui possint ferre censuram, et in quos.

9. *Qui possint censuram ferre.*
10. *Ex potestate ordinaria possunt: 1. Papa; 2. episcopi. An autem eorum vicarii? 3. Prælati regulares; 4. concilia et capitula; 5. qui hoc habent ex privilegio.*

(1) *(ita Cont. Tourn. t. c. et Conc. p. 415. n. 5.)* — (2) *p. 116. n. 6.* — (3) *(ita etiam Salm. ibid. n. 18. et 19. cum Fill., Avila etc., Conc. p. 415. n. 5. et Cont. Tourn ibid.)* (4) *Conc. p. 50. q. 2.* — (5) *de cens. c. 1. p. 2. n. 19.* — (6) *ap. Croix t. 7. n. 9.* — (7) *contra Suar. et Cont. Tourn ubi supra.* (8) *de cens. d. 1. q. 1. p. 1. n. 7.* — (9) *Sylvest., Ang., Arm., Suar., Vasq., Avila et Dic. ap. Croix t. 7. n. 9.*

11. *Qui possint ferre censuras ex potestate delegata. Non possunt: 1. Parochi; 2. laici; 3. fœminæ.*
12. *Quot conditiones requirantur, ut quis possit censuram ferre. 1. Ut sit vir; 2. baptizatus; 3. tonsuratus; 4. compos rationis; 5. ut habeat jurisdictionem expeditam; 9. ut libere agat.*
13. *Quæ conditiones, ut quis possit censura ligari. 1. Ut sit homo; 2. baptizatus; 3. compos rationis. An ebrii vel amentes ad tempus.*
14. *An impuberes doli capaces.*
15. *4. Ut sit subditus.*
16. *An reges.*
17. *An peregrini.*
18. *5. Ut sit persona determinata quoad excommunicationem.*
19. *An excommunicatio in communitatem sit valida et licita.*
20. *Prælati regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes.*
21. *Qu. 1., an episcopus, existens extra diœcesim, possit ferre censuras in subditos.*
22. *Qu. 2., an contra, existens in diœcesi, possit ligare censuris subditum extra degentem.*
23. *Qu. 3, an subditus delinquens extra diœcesim incurrat censuram latam per præceptum in futuros delinquentes.*
24. *An monasteria regularium sint loca exempta.*
25. *Quid, si agatur de damno resarciendo?*
26. *Qu. 4., an episcopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua diœcesi.*
27. *Qu. 5., an censura lata generaliter liget alienigenas.*
28. *Quomodo quis ligari possit pluribus censuris.*

9. — „Resp. I. Censuram ferre potest omnis ac so„lus superior ecclesiasticus, habens in foro externo seu „contentioso jurisdictionem, sive ordinariam sive dele„gatam." *(Est de fide contra novatores, quod ecclesia potestatem habet ferendi censuras, quibus suos subditos bonis spiritualibus privet, ex concilio Constantiensi sess. 8. et ex bullis Martini V. et Leonis X.)*

10. — „Porro ordinariam, quæ est ratione officii vel „alterius juris, potestque delegari clerico clericatus pri„vilegio gaudenti (1), habet: 1) Papa respectu totius eccle„siæ; 2) patriarchæ, archiepiscopi" *(respectu tantum subditorum suæ diœcesis, non vero aliarum suffraganearum, nisi tempore visitationis, aut nisi causa sit per*

(1) *ut Bon. d. 1. q. 1. p. 2., Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 3. n. 1. ex c. Cum ecclesiasticorum, s. Thom. etc. docent.*

appellationem ad ipsos devoluta (1); episcopi *(dummodo sint confirmati, esto non consecrati, quia per confirmationem jam accipiunt jurisdictionem* (2), „eorumque vi„carii generales;" *(Hoc tamen negant Sayrus, Ugolinus et alii* (3); *sed verius affirmant cum Busemb. Fagnanus* (4), *Bonina* (5), *Cont. Tourn. l. c.; item Suarez, Sanchez, Gutt., Garcias et plures ap. Croix l. c.: quia hoc pertinet ad ordinariam potestatem vicarii, qui cum episcopo unum facit tribunal* (6) „3) generales, provinciales et superiores lo„cales religionum" *(uti etiam priores, guardiani, rectores* (7) „respectu suorum subditorum; 4) congregationes „religionum, concilia provincialia episcoporum, capitula „provincialia quorumdam religiosorum;" *(ac capitulum ecclesiæ cathedralis sede vacante, seu vicarius capitularis pro eo* (8) „et denique 5) quidam alii ex conces„sione, ut multi archidiaconi, archipresbyteri et decani." *(Adde, quod censuras ferre possint omnes, qui per communem errorem cum titulo præsumpto tamquam superiores habentur* (9).

11. — „Delegatam habent, quibus ea committitur ab „ordinariam habente, cujus morte expirat:" *(nisi causa a delegato jam sit incœpta etiam per solam citationem* (10) „nec delegatus potest alteri delegare, nisi habeat spe„cialem hujus commissionem, ut si sit delegatus Papæ (11) *(propter privilegium, quod habent delegati a Pontifice).*

Unde resolves:

„1. Non possunt potestate ordinaria ferre censuram: „1) Parochi (12)" *(cum potestas eis concessa ex jure com-*

(1) *Pal. d. 1. p. 4. n. 2., Coninch. d. 13. d. 4. n. 31. et Salmant. de cens. c. 1. p. 4. n. 29. in fine ex c. Venerabilibus de sent. excom. in 6.* — (2) *Cont. Tourn. de censur. p. 1. c. 2. a. 2. v. dico 1. et Salm. d. n. 29. ex c. Transmissam de elect.* (3) *ap. Croix l. 7. n. 24.* — (4) *in c. Quoniam de offic. del. n. 15.* — (5) *q. 1. p. 2. n. 5.* — (6) *ut ex c. Romana de appell. in 6. et c. 2. de consuetud. in 6.* — (7) *ut Suarez d. 2. sect 2. n. 9., Bonac. q. 1. p 2. n. 5., Pal. p. 4. n. 2. et Salm. ib. n. 31. ex c. Cum in ecclesiis de major. et obed.* — (8) *Salm. ib. n. 32. ex c. Cum olim de major. etc.* — (9) *ex l. Barbarius ff. de off. præt. et ex c. Infamis 3. q. 7.; vide Salm. ib. n. 38.* — (10) *ex c. Gradum de offic. deleg.* — (11) *(ex c. 3. de offic. deleg.)* — (12) *(ut communiter Cont. Tourn. l. c. cum d. Thoma, d. Bonav. etc. et Salm. de cens. c. 1. p. 4. n. 33. cum Suar., Soto etc.)*

muni sit abrogata per consuetudinem); „2) laici: quia „non sunt capaces jurisdictionis ecclesiasticæ: uti et re„ligiosi professi non habentes primam tonsuram; 3) fœ„minæ, licet sint priorissæ vel abbatissæ; quia non sunt „capaces jurisdictionis seu potestatis clavium: quando „vero in jure dicuntur posse subjectos sibi clericos sus„pendere ab officio vel beneficio, suspensio non accipi„tur proprie pro censura, cujus violator irregularitatem „incurrit, sed late et improprie pro præcepto, quo ab„batissa clerico sibi quodammodo subjecto prohibet ce„lebrationem, donec satisfecerit, subtrahens ei reditus in„terea (1).

12, — Hic sedulo notandum, quod, ut aliquis possit censuras ferre, sex conditiones requiruntur.

Requiritur 1., ut sit vir, saltem loquendo de potestate ordinaria. An autem Papa ex plenitudine potestatis possit committere mulieri facultatem ferendi censuras? Probabilius negant *Salm.* (2) *cum s. Thoma, Coninchio, Soto etc. contra Croix* (3) *cum Palud., Leandro etc.* Ratio, quia potestas hæc data est apostolis et eorum successoribus, quibus traditæ sunt claves ecclesiæ; potestas autem clavium nullo modo mulieribus tradi potest.

Requiritur 2., ut sit baptizatus, quia, qui non est in ecclesia, non est capax ecclesiasticæ jurisdictionis; ita verius *Suarez, Candidus et Salm.* (4) *contra Ugolino etc.*

Requiritur 3., ut sit saltem prima tonsura insignitus; alias nequit jurisdictionem spiritualem habere, cum non sit in ordine ecclesiastico adhuc constitutus. Ita *Salm.* (5) *cum s. Thoma ex c. Quæ in ecclesiarum de const.*, ubi laicis spiritualia tractare prohibetur. Et ideo laicus nequit in vicarium ab episcopo eligi (6). Communiter tamen dicunt DD., quod ex commissione Pontificis posset laicus ferre censuras; quod enim censuras ferens debeat esse ecclesiasticus, est de jure positivo, in quo potest Papa dispensare (7).

Requiritur 4., ut sit compos rationis: est commune (8).

(1) *vide Bon. l. c., Laym. l. c. t. 5. p. 1. c. 3. n. 3.* — (2) *ib. p. 5. n. 48.* — (3) *l. 7. n. 19.* — (4) *ib. n. 51.* — (5) *ib. n. 52. et 53.* — (6) *ut Salm. ib. n. 52. in fine cum Covarruvia.* — (7) *ita Palaus p. 4. n. 3., Cont. Tourn. l. c., Bonacina p. 2. n. 3. et 6., Salm. c. n. 52. circa med. cum Coninch. et Candido ac Croix d. n. 19. cum communi.* — (8) *vide Salm. ib. n. 55.*

Imo debet habere intentionem ligandi eum, contra quem fert censuram (1). Ex quo *infertur 1.*, quod, si prælatus intendit aliquem eximere a generali sententia, ille non incurrit. *Infertur 2.*, quod, si prælatus censuram ferat sine animo ligandi, censura non incurritur. *Infertur 3.*, quod, si quis excommunicatur ad instantiam partis, ille solum juxta intentionem partis manet ligatus (2).

Requiritur 5., ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum: hinc episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus aut schismaticus nequit ferre censuras (3). Et ideo vicarius episcopi excommunicati aut suspensi non potest ferre censuras (4): occultus tamen hæreticus aut excommunicatus valide, etsi illicite, fert censuras: ita communiter (5). Et ratio est, quia propter publicum bonum, nisi sit vitandus, ecclesia illi conservat jurisdictionem (6): imo (7) tenent, etiam publice excommunicatum valide ferre censuras, si non sit nominatim denuntiatus vel publicus clerici percussor, ex *extrav. Martini V. Ad evitanda*, ubi sancitur, excommunicatum toleratum in eis, quæ pertinent ad publicum officium, non esse vitandum, nec etiam ab illis, qui id sciunt.

Requiritur 6., ut censuram ferens libere agat, non coacte (8). An autem censura lata ex metu gravi sit valida? Negant *Corn.*, *Sayr. et Ugol.* (9); verius tamen affirmant (10). Ratio, quia actus metu gravi factus de se est validus, nisi speciali jure positivo irritetur. Certum tamen est, quod absolutio per metum extorta invalida est (11): modo metus sit injuste incussus; secus, si juste (12).

13. — „*Resp. II.* In omnes et solos subditos alicui

(1) *ex c. Cum voluntate de sent. excom.* — (2) *ita Salm. dict. n. 55. in fine.* — (3) *ex c. Exceptionem de except.* — (4) *ex c. 1. de offic. vic. in 6.* — (5) *Suar. d. 14. s. 1. n. 8., Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. a. 1., Diana p. 5. tr. 9. r. 50. et Salm. ib. n. 58. cum Sayro, Cornejo et Leand.* — (6) *ut dicit Sayr. in d. c. Ad evitanda.* — (7) *Corn., Sayr., Bon., Diana, Avila etc. ap. Salm. ib.* — (8) *ex c. Cum voluntate de sent. exc.* — (9) *ap. Salm. de cens. c. 1. p. 5. n. 59.* — (10) *Suar. d. 2. s. 5. n. 6., Bon. q. 1. p. 12. n. 1., Pal. d. 11. p. 5. n. 2., Cont. Tourn. de censur. p. 1. c. 3. a. 1. v. quæres. et Salm. ib. n. 60. cum Coninch. et Vill.* — (11) *ex c. Verbum de pœnit.; vide Salm. cit. n. 59. et 60.* — (12) *ut ait Ronc. de cens. c. 6. q. 6.*

„superiori ecclesiastico potest ferri censura, quia sub„jectio et jurisdictio sunt correlativa (1).

Unde resolves:

„1. Non baptizati non incurrunt censuras, licet sint „catechumeni; nec mortui, quia non subsunt jurisdictioni „ecclesiæ. Nec refert, quod quandoque mortui dicantur „excommunicari: non enim de novo ligantur, sed excom„municatio prior tantum declaratur, ac vivis prohibetur, „ne cum iis agant, orando pro illis, sepeliendo etc. Simi„liter dicuntur absolvi ab excommunicatione, quando se„pultura et orationes publicæ pro illis permittuntur (2).

Ut igitur quis censura ligari possit, quinque requiruntur: 1) Ut sit homo; bruta enim improprie dicuntur anathematizari; 2) ut sit baptizatus; 3) ut sit rationis compos; nam pueri et perpetuo amentes, sicut sunt incapaces culpæ, ita et censuræ. An autem ipsi ligari possint interdicto locali, ita ut sint excludendi a divinis officiis? Negant *Suarez* (3), *Cont. Tourn.* (4) *et Salm.* (5) *cum Suar., Avila, Corn. contra Sayr. et Cand.*, quia incapaces sunt pœnæ. Illi vero, qui ad tempus tantum ratione carent, ut amentes ad tempus, ebrii, dormientes, hi ligantur censuris, si tempore, quo erant rationis compotes, causam dederunt (6).

14. — An vero impuberes doli capaces ligari possint censuris? Respondetur: Si censura feratur per modum præcepti, omnes DD. affirmant; si tamen per modum sententiæ, negant *Sayrus, Vill.* etc., quia impuberes difficulter tueri se possunt in judicio. Sed adhuc affirmant probabiliter (7), quia, si non per se, saltem per alium se defendere valent. Advertendum tamen, quod censuræ generaliter latæ a jure vel ab homine non incurrantur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege: ut expressum est de ingressu puerorum in monialium monasteria in concilio Tridentino (8), ubi dicitur: *Cujuscum-*

(1) *Laym. l. c. c. 3.* — (2) *Laym. l. c.* — (3) *d. 36. s. 2. n. 7.* — (4) *de cens. p. 2. c. 3. a. 1. v. nota 3.* — (5) *ib. p. 13. n. 167.* — (6) *Salm. ib. cum Suar., Pal., Coninch. etc.* — (7) *Pal. d. 1. p. 6. n. 2., Suar. d. 5. sect. 1. n. 19., Croix n. 42., Bon. p. 4. n. 9., Cont. Tourn. de cens. p. 1. c. 3. a. 3. in init., Holzm. n. 192. et Salmant. de cens. c. 1. p. 13. n. 168. cum Coninch.* — (8) *sess. 25. c. 5. de reg.*

que ætatis sit. Idemque est expressum de impuberibus clericorum percussoribus (1). Ita communiter (2) *contra Dicastillum* (3). Hinc infert *Cœlestinus*, impuberes nec vi monitorii teneri ad revelandum.

15. — 4) Ut sit subditus; qua de re summus Pontifex nequit censura ligari, non quidem ab alio, quia superiorem non habet; neque a se, quia non tenetur præceptis suis vi coactiva, sed solum directiva. Excipe, si Papa sit hæreticus, quia concilium generale tunc potest eum cogere per censuras (4). Et ideo nec episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis (5). Si vero censuræ sint a jure, eas nec etiam incurrunt episcopi aut cardinales (6), nisi de ipsis expressa mentio fiat (7). Hoc tamen ajunt *Salm.* (8) dumtaxat intelligi de suspensione et interdicto, de quibus fit mentio *in d. c.*, non autem de excommunicatione, cui subjacent episcopi, etiamsi in lege de iis nulla mentio fiat.

16. — Reges autem et reginæ, quamvis subditi sint episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari censuris nisi a Papa; et hoc ex privilegio, quod eis communiter ab AA. attribuitur (9).

17. — An autem episcopus possit ferre censuras in peregrinos ad cavenda crimina? Affirmant aliqui (10), quia ratione delicti ipsi jam fiunt subditi; sed negant probabilius *Lugo ib.* et alii, quos retulimus de sacramento pœnitentiæ *l. 6, 591. v. incurret.* Notandum tamen, quod, licet episcopus probabilius non possit censuram ferre in peregrinum ante monitionem, potest tamen, postquam ille deliquerit in loco, et episcopus eum citaverit, juxta dicenda *n. 26.*

18. — *Requiritur* 5), ut sit persona determinata; hoc tamen intellige quoad excommunicationem tantum. Quare, licet posset suspendi aut interdici aliqua civitas aut collegium, non potest tamen illud excommunicari, ut com-

(1) *ex c. Pueris fin. de sent. excom.* — (2) *Leand., Sot., Azor, Sa, Sayr. etc. cum Salm. l. c. prope fin.* — (3) *ap. Croix l. 7. n. 42.* — (4) *ex can. Si Papa d 40.* — (5) *Salm. ib. n. 159. et 160.* — (6) *ut Salm. c. n. 160.* — (7) *ex cap. Quia periculosum de sent. excom. in 6.* — (8) *ib. in fin. cum Pal., Suar., Bon., Sayr. et communi.* — (9) *ut dicunt Salm. de cens. c. 1. p. 13. n. 160. cum s. Antonino, Pal., Cornejo, Avila etc.* — (10) *ap. Croix l. 7. n. 32.*

muniter docent (1). Imo nec ferri potest excommunicatio in aliquem incertum ex communitate, qui scilicet tale crimen patraverit; quo casu censura est etiam nulla (2). Hoc tamen currit, si excommunicatio feratur per modum sententiæ; nam si feratur per modum statuti aut præcepti, in quo aliquid præcipiatur sub excommunicatione, tunc nulli dubium, quin omnes transgressores eam incurrant (3).

19. — *Quæritur* autem, an excommunicatio lata in communitatem per modum sententiæ sit non solum illicita, sed etiam invalida. Respondetur: Si censura feratur in aliquos tantum transgressores ex communitate, certe est nulla, ut omnes dicunt; si vero, facto examine, omnes illius communitatis nocentes reperientur, tunc valide ac etiam licite potest communitas illa excommunicari a Papa; ab aliis tamen prælatis illicite excommunicaretur, cum sit vetitum in *c. Romana de sent. excomm. in 6.*, sed non invalide (4). Hinc, ut etiam licite episcopus aliquam communitatem excommunicet, debet singulos culpatos nominatim excommunicare (5).

„2. Advenæ et peregrini, brevi tempore alicubi com„morantes, non ligantur censuris locorum, generali sen„tentia aut statuto decretis, quia non sunt subditi (6).

„3. Etsi subditi extra suam diœcesim vel in loco diœ„cesis exempto delinquentes contra legem sui episcopi „non incurrant censuram; superior tamen, saltem regu„laris, potest suos subditos, ubicumque existant, per „particularem sententiam censuris innodare (7).

„4. Hæretici, apostatæ et schismatici possunt affici cen„suris, quia per baptismum sunt subjecti ecclesiæ (8).

„5. Solus Papa non potest incurrere censuram, quia „nulli est subjectus (9).

20. — Communis est sententia, quod prælati regulares possunt subditos suos censuris innodare, ubicumque

(1) *s. Thomas 3. p. q. 22. a. 5. ad 2., Pal.*; *Bonac., Henr. etc. cum Salm. ib. n. 169.* — (2) *ut notant Ronc. p. 76. q. 1. v. sententiæ et Salm. l. c. cum Cand.* — (3) *Salm. c. n. 169. prope fin.* — (4) *ut dicunt Avila Henr., Led. etc. cum Salm. ib. n. 171.* — (5) *Salm. ib. in fine.* — (6) *Laym. l. c. n. 5.* (7) *Laym. l. c.* — (8) *vide Laym. l. c.* — (9) *Bon. l. c.*

isti existant (1). *Dubium* vertitur quoad episcopos: sed hic plures quæstiones occurrunt.

21. — *Quæritur 1.*, an episcopus extra propriam diœcesim existens possit contra subditos censuras ferre. Exceptis aliquibus casibus ut infra respondetur negative (2). Ratio, quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere (3). Casus excepti sunt: 1) Si contumacia sit tam manifesta, ut non indigeat cognitione causæ (4); 2) si causa sit jam cognita in proprio territorio; 3) si censura feratur non per modum sententiæ, sed per modum præcepti aut statuti ad futura crimina cavenda; 4) si episcopus sit injuste expulsus a sua diœcesi, quo casu potest in locis vicinioribus suam jurisdictionem exercere, petita, licet non obtenta licentia ab ordinario loci (5); 5) si ordinarius illius loci consentit (6). Tunc tamen requiritur etiam consensus partium, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium (7). Notant autem *Salm.* (8) *cum Candido*, bene posse episcopum extra diœcesim existentem sine strepitu judicii absolvere a censuris, non vero judicialiter.

22. — *Quæritur 2.*, an episcopus existens in sua diœcesi possit ligare censuris subditum in aliena existentem, sed pro crimine in propria commisso. Negant *Basil. et Gabr.* et alii (9); sed affirmandum cum communi et vera sententia, quia alias talis delinquens a nullo puniri posset (10). Et licet citatio rei non possit fieri extra territorium, sufficit tamen ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo vel in loco publico proprii territorii citetur (11). Et hoc currit, etiamsi subditus delinquat extra

(1) *ita Sanch. dec. l. 6. c. 8. n. 33., Croix l. 7. n. 28., Cont. Tourn. de censur. p. 1. c. 3. a. 3. v. hæc nostra, Salm. de cens. tr. 10. c. 1. p. 9. n. 103. cum Avila, Cand. etc.* — (2) *ex c. episcopi causa 9. q. 2. et ex clem. Quamvis de foro comp.* (3) *ita Pal. disp. 1. p. 5. n. 3., Conc. p. 421. n. 8., Cont. Tourn. l. c. v. quæres 3, et Salm. ib. n. 104. cum Coninch., Avila, Corn. etc.* — (4) *ex c. Manifesta, causa 2. q. 1.* — (5) *ut ex cit. clem. Quamvis.* — (6) *ex c. Nullus causa 9. q. 2.* — (7) *ita Bonac. p. 11. n. 3, Pal. p. 5. n. 3, Conc. et Cont. Tourn. ll. cc. ac Salm. de cens. c. 1. p 9. n. 105. cum Avila, Cand. et Corn.* — (8) *ib. infine.* — (9) *vide Croix l. 7. n. 46.* — (10) *ita Bonac. p. 11. n. 13, Conc. t. 10. p. 421. n. 9., Cont. Tourn. l. c. v. quæres, et Salm. ib. n. 107. cum Coninch., Corn., Diana et Cand.* — (11) *ita Salm. ib. n. 108.*

diœcesim, si agatur de re, quæ in illa fit; prout si excommunicentur clerici omnes, qui ad synodum non accedunt etc. (1). Probabilius tamen est, quod, si crimen extra territorium consummetur, reus censuram non incurrit (2); et probatur ex *cap. 2. de constit. in 6.* Casus esset ex. gr., si sit lata censura contra stuprum committentes, eam non incurrit, qui virginem extrahit a proprio territorio et extra illud stuprum consummat; secus, si quis vulneret aliquem in ecclesia, qui alibi moriatur (3): vel si vulneret in diœcesi, et ille moriatur extra, ut *Tournely.*

23. — *Quæritur 3.*, si episcopus fert censuram in subditum suum per præceptum particulare, si delinquat (puta si furetur), utrum subditus delinquendo extra territorium censuram incurrat.

Prima sententia affirmat (4). Ratio, quia statutum respicit territorium, et ideo extra illud neminem ligat; præceptum vero respicit personas, et ideo ligat etiam existentes extra territorium.

Secunda sententia negat (5). Idque probatur ex *c. Ut animarum 2. de const. in 6.*, ubi sic dicitur: *Statuto episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non paretur impune.* Ergo, sicut statutum non ligat, non eo, quod non afficiat personas, sed quia non licet episcopo jus dicere extra territorium, ita neque ligare potest præceptum. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior; nam textui opposito respondetur, quod, cum censura est lata per statutum, ideo episcopus non po-

(1) *ita Suar. d. 5. sect. 4. n. 8., Bon. l. c. n. 7., et Salm. ib. n. 109. cum Avila, Corn. et Cand.* — (2) *ita Suar. l. c. n. 7., Bon. n. 10., et Salm. ib. n. 111. cum Corn., Diana et Cand. contra Vill. et Sayr.* — (3) *Salm. ib. in med.* — (4) *et hanc tenent Suarez d. 5. s. 5. in fin., Sporer suppl. n. 12., Croix l. 7. n. 43., Laym. c. 4. n. 8. cum Abb., Sa et Ugol., ac Bon. q. 1. p. 9. n. 17. cum Salas et Fill.* — (5) *et hanc tenent Holzm. de pœn. eccl. n. 103., Contin. Tourn. l. supra c. v. r. 2., Ronc. p 76. q. 3. r. 1. cum Coniuch., Hurt. et Anton. a Spiritu sancto, item Avila, Sayr., Henr. ap. Laymann l. c.*

test jus dicere extra territorium, quia statutum immediate afficit locum; ac propterea, quando subditus delinquit extra territorium, non agit contra legem, quæ tantum locum afficit; at cum præceptum particulare afficiat personam et illi hæreat, quocumque discedat, ut fatetur ipse *Holzmann*, ideo subditus, cum extra territorium ligetur præcepto, ligatur etiam censura. Certum autem est ex præfato textu, quod, si episcopus nullum subdito antea dederit præceptum sub pœna censuræ, nequeat eum censura punire, si delinquat in aliena diœcesi. Et idem dicendum, si ille delinquat in loco exempto, quia in eo manet, ac si esset in loco extra diœcesim (1).

24. — An autem ecclesiæ et monasteria regularium sint loca exempta? Vide dicta *l. 1*, *156.*, ubi diximus, probabilem esse sententiam affirmativam cum *Bonacina*, *Sayro*, *Avila*, *Candido ac Salm.* (2), quibus adde *Ronc.* (3) *et Croix* (4), qui ait cum *Avila*, *Henr.*, *Hurt.*, *Delbene etc.*, quod, si episcopus prohibeat statuto generali aliquid, puta lusum alearum sub censura, eam non incurrit ludens in loco exempto.

25. — Notandum tamen hic, quod, si agatur de damno alteri resarciendo, et fur ille in proprium territorium veniat, atque ibi conveniatur de furto extra commisso, bene potest illius ordinarius eum cogere sub censura ad restituendum (5). Ratio, quia, si postea ille delinquit, debitam restitutionem negligendo, recte episcopus ratione delicti eum excommunicat.

26. — *Quæritur 4.*, an episcopus possit censuris ligare alienum subditum in sua diœcesi delinquentem. Affirma, quia quicumque delinquens sortitur forum illius loci, ubi delinquit (6). *Excipe 1.*, si delinquens esset illius episcopi superior, ut ejus archiepiscopus vel patriarcha; secus, si episcopus non esset illi suffraganeus; nam, licet par in parem jurisdictionem non habeat (7), ratione tamen delicti ille archiepiscopus fit episcopi sub-

(1) *ex c. Cum episcopus de officio ordin. in 6. et c. 1. de privil. in 6. et clementin. Archiepiscopo eod tit.* — (2) *de cens. c. 1. p. 9. n. 114.* — (3) *p. 76. q. 1. v. sententia.* — (4) *l. 7. n. 26.* — (5) *ita Suar. d. 5. sect. 5. n. 5., et Salm. de cens. c. 1. p. 9. n. 112. cum Cand., Soto, Avila et Corn.* — (6) *ex c. fin. de foro comp.* — (7) *ut notant Salm. ib. p. 4. n. 40. in fine cum Ugolino.*

ditus (1). Ex qua ratione sentit *Croix* (2) contra *Salm.* (3) *cum Pignatello et Giballino*, afferente declarationem S. C., quod episcopus etiam archiepiscopum suum in diœcesi episcopi delinquentem possit excommunicare. Regulares autem sunt simpliciter exempti a jurisdictione episcopali (4). Et in religiosos exemptos sive privilegiatos, ut Mendicantes et Jesuitas (5), nequit episcopus ferre censuras, etiamsi procedat tamquam delegatus apostolicus (6). *Excipe 2.*, si reus, antequam ejus causa cognoscatur ab ordinario loci, ab illius territorio exeat (ad differentiam delinquentis in sua patria, qui, etiamsi postea a proprio territorio discedat ante sententiam et ante citationem, bene potest censura ligari a suo ordinario, ut diximus supra *qu. 2.*). Secus, si delinquens in alieno territorio, antequam discedat, citatione præveniatur; tunc enim ratione judicii inchoati subjectus remanet episcopi loci (7).

27. — *Quæritur 5.*, an censura alicubi lata, v. gr. contra furantes in ecclesia, vel contra non revelantes furtum, liget etiam alienigenas ibi existentes. Si censura sit lata per modum præcepti particularis seu sententiæ in casu particulari, nempe si sit lata excommunicatio contra non revelantes fures, hæc non ligat alienigenas, quia præceptum particulare non potest non subditos adstringere. Ita communiter (8). Si autem censura sit lata per modum statuti generalis pro delictis futuris, puta contra furantes in ecclesia, tunc ligat etiam alienigenas in illo loco existentes, si ibi sint animo commorandi per majorem partem anni: secus, si transeunter ibi commorentur (9). Hæc sententia probabilior mihi est; sed non puto improbabile, quod tam in primo quam in secundo casu peregrini ligentur censura, etiamsi alicubi sint per

(1) *ut dicunt Salm ib. n. 37. cum Corn.* — (2) *l. 7. n. 32.* (3) *dict. n. 37.* — (4) *ex c. Ne aliqui, de priv. in 6.; vide Salm. ib. in fin.* — (5) *vide infra n. 241. dub. 9.* — (6) *ut Croix l. 7. n. 30. cum Pell. et aliis.* — (7) *ita Conc. p. 422. n. 11., Ronc. p. 77. cum Hurt., Laym. c. 6. n. 7. cum Abb., Henr. et Sayr., ac Coninch., Diana, Sylv., Avila, Corn. etc. cum Salm. de cens. c. 1. p. 4. n. 36. in fine et p. 9. n. 115.* (8) *Suar., Coninch., Diana, Sylv., Sayr. etc. cum Salm. ib. n. 117. ex c. A. nobis 28. de sent. excomm.* — (9) *ita Sanch. de matrim. l. 3. d. 18. n. 6. et 16. et Salm. ib. n. 116. cum Suar., Bonac., Sylvio, Sayr. etc.*

breve tempus; quia satis probabile est, quod peregrini fiant subditi, si adhuc per breve tempus in aliquo loco morentur, juxta sententiam relatam *l. 4, 332.*

28. — *Notandum hic I.*, quod semel innodatus una censura potest et alias plures incurrere, etiam ejusdem rationis. Ita communiter DD. (1). *Notandum II.*, quod propter idem delictum potest quis multipliciter ligari a diversis, scilicet a jure et ab homine, a Papa et episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat. Ita probabilius (2). Hoc tamen intelligendum, si secundus superior intendat vere novam pœnam imponere; alias regulariter secunda censura habetur ut innovatio seu publicatio primæ (3). *Notandum III.*, quod is, qui per unicum actum duo peccata committeret specie diversa, quorum utrique censura est imposita, tunc duas censuras incurreret: prout si quis occideret clericum in loco, ubi quodvis homicidium sit vetitum sub censura; secus, si peccatum non haberet malitias plures specie diversas (4). *Notandum IV.*, quod, si quis reiterat idem crimen moraliter distinctum a primo, cui imposita est censura, toties censuram incurrit; secus, si moraliter actus non interrumpitur. Hinc unam censuram incurrit, qui pluries successive clericum percutit; qui eodem actu duos homines extrahit ab ecclesia; ita etiam (5) sacerdos excommunicatus, qui eodem tempore plures confessiones excipit; quia sicut, si sacerdos ille una absolutione plures absolvit, unam irregularitatem incurrit, sic etiam, si plures absolvit successive; tunc enim una actio moralis reputatur; (sed verius dicendum oppositum juxta dicta *de peccatis l. 2, 50. qu. 6.*) Idem, si quis uno verbo blasphemaret 12 apostolos, vel eodem impetu plures sanctos (6); et hoc probabile est juxta *cit. lib. 2. de pecc. n. 47.* Quid, si quis plures clericos eodem actu vulneraret, an plures excommunicationes incurreret?

(1) *cum s. Thoma 3. p. q. 22. art. 5. ad 2. et Salm. ib. p. 14. n. 173. ex clem. 2. de sent. excom.* — (2) *Suarez d. 5. s. 2. n. 13., Pal. p. 6. n. 5., Bon. p. 5. n 13. et Salm. ib. n. 176. cum Filt., Cornejo etc. contra aliquos.* — (3) *Bon. n. 11. et Salm. de cens. c. 1. p. 14. n. 177. cum Bon., Cand., Sayr. et Corn.* — (4) *ita Suar. sect. 3. n. 13., Bon. n 8. et Salm. ib. n. 178. cum Corn., Diana et Cand.* — (5) *dicunt Salm. ib. n. 179. et n. 180. cum Lugo, Rodr. etc.* — (6) *Salm. ib. n. 183. cum aliis.*

Negant *Suarez*(1), *Bonacina*(2), et probabile putant *Coninchius*, *Candidus*, *Diana* (3); quia, sicut unum peccatum iste committeret, sic unam incurreret excommunicationem. Et idem censet *Leander ib.*, si læsio plurium accideret in eadem rixa et impetu. Sed nos oppositum sequimur cum *Salm.* (4), qui citant *Corn.*, *Machad. etc.*, quia probabilius est (ut diximus eodem *l. 2, 46.*), quod, qui uno ictu plures homines occidit, plura peccata committat.

DUBIUM IV.

Ob quam causam possit ferri censura.

29. *Ob quale peccatum incurrantur censuræ.*
30. *An ob veniale incurratur levis suspensio vel interdictum.*
31. *An aliæ censuræ ob veniale sint nullæ; et quid ex hoc inferatur.*
32. *An in dubio de gravitate materiæ incurratur censura.*
33. *An præceptum sub censura obliget sub gravi.*
34. *An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus.*
35. *An possit imponi censura contra officium recitantes distracte.*
36. *An actus peccati debeat esse consummatus. An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante etc.*
37. *An censura contra mandantem etc. incurratur etiam effectu non secuto.*
38. *Observa distinctionem.*
39. *Utrum incurratur in dubio, an mandatum influxerit.*
40. *Quid, si dans consilium pro occisione illud revocet ante executionem?*
41. *An requiratur culpa propria.*
42. *Quid excuset a censura incurrenda.*
43. *An ad incurrendam censuram requiratur scire, crimen vetitum esse etiam ab ecclesia.*
44. *An hoc valeat etiam pro suspensione et interdicto.*
45. *An detur ignorantia excusans a censura, quin excuset a mortali.*
46. *An metus gravis excuset a censura.*
47. *Quando excuset ignorantia etiam crassa.*
48. *An excuset ignorantia affectata.*
49. *An incurratur censura ob peccatum mere præteritum. An episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris.*
50. *Censura est invalida 1. ob defectum ferentis.*
51. *2. Si præteritur ordo judicii.*

(1) *de 5. sect. 3. n. 8.* — (2) *p. 5. n. 7.* — (3) *ap. Salm. ib. n. 184.* — (4) *ib. n. 185.*

52. *An in omnibus censuris requiratur monitio rei.*
53. *An censura sine monitione sit nulla.*
54. *Et quando sit nulla ob peccatum mere præteritum.*
55. *An requiratur monitio, si censura sit a jure ferendæ sententiæ.*
56. *An monitio debeat esse trina cum debito intervallo, et an debeat fieri ab ipso judice.*
57. *Quid, si censura sit contra plures generaliter?*
58. *An censura sine trina monitione sit invalida.*
59. *Quid notandum quoad sententiam censuræ?*
60. *Quæ solemnitates in ea sint servandæ.*
61. *Quando autem istæ solemnitates non requirantur.*
62. *An incurratur censura lata disjunctive, v. gr.: Sit excommunicatus vel suspensus.*
63. *An possit ferri censura sub conditione.*
64. *An transacto termino incurratur censura, si creditor proroget.*
65. *Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuras.*
66. *3. Censura est invalida ob defectum justæ causæ.*
67. *Quomodo quis se gerere debeat in dubio, an incurrerit censuram.*
68. *An in dubio censura judicanda sit justa: et an reus teneatur parere judici jubenti aliquid sub censura, si putet probabiliter, se ad id non teneri.*

29. — „Resp. Ob solum peccatum externum, censuræ „proportionatum et conjunctum cum contumacia. Et quidem in interdicto locali potest esse alienum, v. gr. præ„lati vel communitatis, non tamen hominis privati; alias „requiritur proprium (1).

Unde resolves:

„Non possunt censurari infantes vel amentes, quia non „peccant (2).

30. — „2. Etsi ob peccatum veniale interdum ferri pos„sit levis suspensio vel leve interdictum *(nempe suspensio aut interdictum ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu; secus, si sint ad omnem usum vel ad longum tempus, tunc etiam habentur ut censuræ majores* (3). *Ideo suspensio ad longum tempus lata ob culpam levem censetur invalida* (4); „excommunicatio tamen major, sus-

(1) *Bonac. p. 3.* — (2) *Bon. d. 1. q. 1. p. 4., Laym. c. 4. n. 3. ex s. Thoma, Suar. etc.* — (3) *ita Suar. d. 4. sect. 4. n. 2., Pal. d. 1. p. 3. n. 2., Bon. p 3. n. 6., Coninch. d. 13. n. 67. et Salm. de censur. c. 1. p. 10. n. 124. cum Avila et Cand.* — (4) *ut ait etiam Viva; vide infr. n. 321.*

„pensio gravis et interdictum personale speciale, quidquid „sit de generali, non potest ferri nisi ob culpam mor„talem, quia alioqui pœna non esset proportionata culpæ. „Imo cum sint pœnæ medicinales, non debent infligi pro „quovis mortali, sed quibusdam tantum, ne censuræ con„temnantur, ut monet Tridentinum.

31. — Itaque invalida est censura gravis ob culpam tantum venialem imposita, ut communiter docent(1). Et colligitur ex *c. Nullus causa 11. q. 3.*, atque ex Tridentino(2). Ratio, quia de jure tam naturali quam divino pœna debet esse culpæ proportionata. Ex quo *infertur 1.*, quod non potest quis gravem censuram incurrere, nisi gravem culpam prius committat: et ideo, qui excusatur a gravi culpa, etiam excusatur a censura gravi. *Infertur 2.*, quod, si aliquid præcipiatur, quod inspectis omnibus leve est, nec præceptum obligabit ad mortale, nec censura incurretur(3). Dixi: *inspectis omnibus*; nam materia in se levis potest reddi gravis ex adjuncta circumstantia scandali aut periculi aut finis intenti ac similium: et tunc juste imponitur præceptum ac censura, ita ut transgredientes graviter peccent et censuram incurrant: uti incurritur excommunicatio ob levem clerici percussionem, quæ, licet in se sit levis materia, erit gravis respectu reverentiæ debitæ statui clericali. Sic pariter prælatus potest imponere censuram gravem iis, qui non interveniunt publicæ processioni pro aliqua re gravi ordinatæ; item clerici, qui contra præceptum comam nutriunt, et sic de aliis; secus vero, si res sit de se levis et in ordine ad finem intentum leviter conducat(4).

32. — *Quæritur* autem hic *1.*, an in dubio de gravitate materiæ obliget superioris præceptum, et censura incurratur. Respondetur affirmative(5). Ratio, quia in dubio possidet superioris potestas; quamvis, ut recte notant(6), prælati sedulo cavere debent, ne subditos cen-

(1) *Sanch. dec. l. 1. c. 4. n. 3., Suar. d. 4. s. 4. n. 2., Bon. p. 3. n. 6., Pal. p. 7. n. 2. et Salmant. ib. n. 126. et 127.* — (2) *sess. 25. c. 3. de reform.* — (3) *ita Suar. d. 4. s. 6. n. 9., Pal. l. c., et Salm. ib. n 128. cum Coninch., Coto, Corn. et Cond.* (4) *ita Salm. de cens. c. 1. p. 10. n. 130. et 131. cum l. A. cit.* (5) *cum Salm. ib. n. 132. in fin. et Corn.* — (6) *Salm. ib. cum Diana.*

suris gravent ob materias non tam graves, quando eis non constat, illas valde conducere ad bonum finem.

33. — *Quæritur 2.*, an eo ipso, quod præceptum fiat sub censura, obliget sub gravi. Intellige, quando res præcepta non est de se certe gravis nec certe levis, sed est talis, ut multum conducere possit ad finem intentum; et respondetur, quod, si præceptum contineat censuram latæ sententiæ, tunc obligabit sub gravi; quia eo ipso, quo superior censuram vult ipso facto incurri, vult etiam, ut suum præceptum obliget sub mortali, sine quo censura incurri non posset (1). Si vero materia de se non sit gravis, et censura sit tantum ferendæ sententiæ, ita ut ad eam incurrendam requiratur monitio, ut dicemus hic infra *n. 55.*, tunc transgrediens non peccabit graviter, nisi post monitionem, vel nisi in præcepto adsit clausula: *quod sine ulla monitione talis censura possit a prælato applicari;* quia tunc ipsum præceptum habetur ut monitio (2).

34. — „3. Actus peccati, ob quem censura fertur, debet esse mortalis, non tantum quoad actum internum, „sed etiam quoad substantiam operis externi. Hinc non „excommunicatur leviter percutiens clericum, etsi intention mortalem habuisset: uti nec, qui interius tantum est lapsus in hæresim, quam exterius non signi„ficavit; quia ecclesia tantum judicat de externis (3).

Invalida itaque est censura pro actu mere interno imposita: ecclesia enim non judicat de internis (4). Ratio, quia, cum ecclesiæ potestas resideat apud homines, non possunt hi legem ferre nisi de externis, de quibus tantum possunt judicare (5). Hinc, si quis percutiat mensam aut dicat: *Ita est*, intendens suam hæresim internam confirmare, non incurrit ideo censuram, quia talis actus aut verbum non est de se aptum ad hæresim significandum (6).

(1) *ita Ronc. p. 74. q. 1. r. 2., Suar. d. 4. sect. 9. n. 11., Bon. p. 6. d. 6. n. 8. et Salm. ib. n. 134. cum Soto, Castro, Avila et Cornejo.* — (2) *ita Ronc. l. c. et Sot, Avila, Sylv., Caj. etc. cum Salm. l. c. n. 135.* — (3) *Bon. l. c.* — (4) *ex c. Consuluit 2. q. 3.* — (5) *ita s. Thomas 1. 2. q 91. art. 4. et Coninch., Pal., Sayr. et communiter cum Salm. de cens. c. 1. p. 11. n. 136.* — (6) *ita Suar. d. 4. sect. 2. n. 20., Croix l. 7. n. 48., Cont. Tourn. de censur. p. 1. c. 3. a. 2. v. ex his cum Sayro et Salm. ib. n. 142. cum Turriano, Coninch., Castro, Diana etc.*

Item, si quis fornicetur, hæretica mente judicans, fornicationes licere(1). Imo ad censuram incurrendam actus non solum debet esse externus, sed etiam graviter externus; et ideo non incurrit censuram, qui leviter percutit clericum, licet intenderit occidere(2). Excipitur tamen, nisi actus interior præceptus aut vetitus necessario cum exteriori conjungatur, prout cum fulminatur censura contra scienter transgredientes. Sic etiam ecclesia punit simoniam mentalem, non quidem illam, quæ tantum interne consummatur et non probatur externe, quæ nequit puniri(3), sed illam, quæ ex pravo animo interiori producit largitionem pecuniæ etc.(4).

35. — An autem incurrat censuram impositam contra officium non recitantes aut sacrum non audientes, qui omnino distracte recitat aut audit. Negat *Croix*(5), et satis probabiliter; sed probabilius affirmandum, juxta dicta *l. 4, 313. v. circa, et l. 5, 177.*, in quibus locis tenuimus, tam ad officium quam ad missam audiendam probabilius requiri attentionem internam.

36. — „4. Actus peccati in suo genere debet esse per„fectus et consummatus, nisi expresse aliud sonent verba „legis; quia pœnæ et odia sunt restringenda(6). Hinc „excommunicationem homicidæ non incurrit favens, man„dens, consulens, juvans, nec vulnerans lethaliter, nisi „mors sequatur.

37. — „Item, quando excommunicatur mandans, con„sulens etc., vel ferens suffragium pro indigno, subin„tellige efficaciter seu effectu secuto: quia sine eo man„datum, consilium et suffragium non est completum et „perfectum in genere homicidii, furti etc. Alii tamen „attendendum esse putant, utrum in mandantes, consu„lentes etc. principaliter et per se feratur excommuni„catio, an vero accessorie tantum: et dicunt, priore casu „esse excommunicatos, etsi non sequatur effectus; non „item in posteriore. Quæ sententia in praxi est tutior(7).

(1) *Salm. ib. in fine.* — (2) *ita cum Bus. Suar. s. 3. n. 5., Sanchez dec. l. 2. c. 8. n. 7., Cont. Tourn. l. c. et Salm. ib. n. 143. cum Soto, Sayr., Henriq., Portel. etc.* — (3) *ex c. finali de simon.* — (4) *Salm. ib. n. 139.* — (5) *l. 7. n. 48.* — (6) *ita Sanch. de matr. l. 3. d. 2. n. 5., Suar. d. 4. s. 3. n. 7., Pal. p. 8. n. 10., Bon. p. 3. n. 12. et Salm. de cens. c. 1. p. 11. n. 144. cum Coninch., Hurt., Avila etc.* — (7) *Bon. l. c.*

38. — Et juxta hanc sententiam dicunt(1), quod, si censura sit imposita contra mandantes aut consilium dantes præcise ob mandatum aut consilium, tunc incurritur etiam effectu non secuto; secus, si sit imposita, sed accessorie, nempe propter opus, quod ex mandato aut consilio causaretur. Qua de re sentiunt *Salm.*(2), non incurrere excommunicationem mandantem percussionem clerici, si percussio non accidat; quia tunc jam non influit in opus principaliter sub censura prohibitum. Sic pariter asserunt(3), excusari a censura, qui simplex mandatum aut consilium dederit ei, qui jam erit determinatus ad opus exequendum.

39. — *Quæritur 1.*, utrum in dubio, an meum mandatum aut consilium influxerit, censuram incurram. Negant *Salm.*(4), quia pœna non incurritur, nisi constet de crimine et de ejus effectu secuto; sed affirmat *Croix*(5) *cum Sanch., Dic. etc.* Utraque est probabilis, juxta dicta *de restit. l. 4, 562.*

40. — *Quæritur 2.*, an mandans sive dans consilium pro occisione clerici incurrat censuram, si ante executionem consilium pro viribus revocetur. Affirmat *Concina*(6) *cum Nav., Coninch. et Bonac.*, quia malum consilium præstitum semper pergit influere; sed communius et probabilius negant(7), quia ecclesia nequit ligare censuris nisi contumaces. Et idem probabiliter dicunt(8), etiamsi revocatio consilii non potuerit innotesci executori: prout idem dicunt *Salm.*(9) de eo, qui dedit venenum clerico, et antequam incipiat operari, animum retractavit, et modo, quo potuit, procuravit effectum impedire: quia, dum postea evenit læsio, ille non est contumax, unde non debet incurrere censuram, quæ est pœna medicinalis ad impedienda peccata. Idque videtur satis probabile, juxta di-

(1) *Salm. c. n. 144. in fine, Croix l. 7. n. 59. et 60. cum aliis.* — (2) *l. c. p. 12. n. 147.* — (3) *Salm. d. n. 147. et Croix l. 7. n. 65., Navarrus, Diana etc.* — (4) *de censur. c. 1. p. 12. n. 147. in med.* — (5) *l. 7. n. 66.* — (6) *p. 448. n. 14.* — (7) *Suar. d. 44. s. 3. n. 11. et 13., Pal. d. 1. p. 7. n. 15., Laym. l. 5. c. 5. n. 7., Viva q. 1. a. 4. n. 10. et Salm. ib. n. 150. cum Avila, Hurt., Tab., Diana, Giball. et aliis.* — (8) *Viva et Pal. ll. cc., Salm. ib. n. 153. cum Fill., Giball. et Tab., ac Croix l. 7. n. 54. cum Boss. contra Coninch., Corn., Avila etc. ap. Salm. l. c. n. 152.* — (9) *dict. n. 152.*

cenda *n. 280.*, ubi probabilius est, quod præbens clerico venenum non incurrit censuram, nisi illud incipiat parere effectum, id est lædere. Et quod dictum est de consulente, idem affirmandum de mandante. *Advertendum* tamen *1.*, quod consulens sive mandans in tali casu, etsi excusatur a censura, non ideo tamen excusetur a restitutione(1), juxta probabiliorem sententiam relatam *l. 4, 559.* An autem consilium dans aut mandans, vel qui dedit venenum, revocando consilium aut mandatum, aut pœnitendo veneni dati, antequam mors sequatur, irregularitatem incurrat: vide dicenda *de irregularitate n. 370. Advertendum 2.*, quod, qui consilium præbuit, si executionem nequeat impedire, tenetur nihilominus ex justitia monere lædendum, ut sibi caveat; alias nec a censura excusatur, quia omittit modum, quo ille possit vitare damnum, in quod jam suo consilio influxit(2); nam tenetur ex justitia avertere homicidium; unde, si non avertit, illud ejus culpæ imputatur.

41. — Item hic notandum, quod non incurritur censura, prout excommunicatio, suspensio, interdictum personale, nisi ob culpam propriam(3). Secus autem, si fulminetur interdictum generale, quo ligantur etiam innocentes; ita tamen, quod, si hi mutent domicilium et exeant ab oppido interdicto aut collegio, non remanent interdicti(4). Quod vero non currit pro speciáliter interdictis, qui ubique interdicti sunt(5).

42. — „5. Quidquid excusat a peccato mortali, excu„sat etiam a gravi censura: v. gr. materiæ parvitas, im„potentia legem implendi, defectus advertentiæ et deli„berationis, ignorantia invincibilis, sive ea sit facti, ut „v. gr. si nescias, quem percutis, esse clericum; sive ju„ris, ut si scias, esse clericum teque mortaliter peccare „percutiendo, nescias tamen, percussionem illam sub ex„communicatione prohibitam esse. Ratio est, quia talis „non est contumax.

43. — Ut quis censuram incurrat, non solum debet

(1) *ut Salm. ib. n. 148. in fine.* — (2) *Salm. de cens. c. 1. p. 12. n. 158. in fine.* — (3) *ut Salm. ib. p. 10. n. 121. cum Suarez, Bonacina, Corn. etc. ex c. Si sententia de sent. excom. in 6.* — (4) *ex c. 2. de const.* — (5) *ex c. 24. Si habes causa 24. quæst. 3.*

scire, crimen illud esse vetitum jure divino, sed etiam ecclesiastico, quia alioquin deest contumacia contra ecclesiam, a qua puniri debet. Ita communiter (1). Imo scire debet, illud sub censura prohibitum esse, alias eam non incurrit; quia alias tunc deest adhuc contumacia et contemptus censuræ. Ita pariter communiter docent DD. (2). Ideo excusat ignorantia invincibilis, non solum si sit antecedens, sed etiam si sit concomitans. Unde, si quis occidit clericum, ignorans, esse clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis, si scivisset, etiam occidisset, aut si factum scienter approbat: quia nec ille pravus animus nec ratihabitio (nisi occisio sit facta nomine suo; vide *n. 267.*) de facto influunt in illam clerici occisionem; secus vero esset, si diceret: *Volo hunc occidere, etiamsi sit clericus;* nam si vere clericum occidit, tunc excommunicationem non effugiet (3).

44. — Quod autem dicitur de excommunicatione, idem dicendum putant *Salm.* (4) de suspensione et interdicto. Et idem probabiliter asserunt de irregularitate, quæ ob delictum incurritur, si delinquens nesciat invincibiliter, illud esse jure ecclesiastico prohibitum: ex *cap. Cognoscentes de const.* et *c. Proposuisti dist. 82.*, ubi excusatur depositione imposita in incontinentes, qui illam ignorans peccavit peccato incontinentiæ (5). An autem incurrat, qui scit jus prohibens, sed non irregularitatem impositam? Adest duplex satis probabilis sententia; vide dicenda *de irregularitate n. 351.*

45. — *Quæritur 1.*, an possit dari aliqua ignorantia vincibilis, quæ excuset a censura, licet non excuset a peccato gravi. Affirmant *Sanchez* (6) *ac Palaus*, *Diana etc.* (7), dicentes, posse dari ignorantiam, quæ non sit crassa seu

(1) *Sanch. de matr. l. 9. d. 32. n. 9. et 24., Viva de cens. q. 1. art. 3. n. 5. et Salm. ib. p. 15. n. 192. cum Suar., Soto etc.; vide infra n. 350. q. 2.* — (2) *cum Sanch. n. 13., Coninch., Henr., Diana etc. cum Salm. ib. n. 193. et Croix l. 7. n. 95. contra Avila, Cov. etc.* — (3) *ita Fill., Suar., Pal., Caj. etc. communiter cum Salm. c. 1. n. 202., Suar. d. 4. s. 8. n. 9., Bonac. q. 2. p. 1. n. 14. et Salm. de cens. c. 1. p. 15. n. 202. cum Caj., Montesino, Cand., Fill., Corn. etc.; vide dicenda n. 275. v. sic etiam.* — (4) *ib. n. 193. in fine.* — (5) *vide Salm. ib. et vide infra n. 350. q. 2.* — (6) *de matr. l. 9. d. 32. n. 31.* — (7) *ap. Salm. ib. n. 196.*

supina, et tamen sit graviter culpabilis: nam ignorantia crassa involvit summam negligentiam; ergo (ut ajunt) ignorantia, quæ accidit ob magnam, sed non summam negligentiam, erit mortalis, sed non crassa, et ideo excusabit a censura: ut inferunt ex *c. 2. De condit. in 6.*, ubi ignorantes excusantur a censura: *dum tamen ignorantia crassa non fuerit aut supina.* Verumtamen merito contradicunt *Laymann* (1), *Bonac.* (2), *Boss.* (3) *cum Suar. et communi, ac Salm.* (4) *cum Vasquez, Coninch., Corn. etc.*, qui asserunt, prædictam sententiam vix esse practice probabilem, cum vix inveniri possit ignorantia graviter culpabilis, quæ non sit etiam crassa. Crassa enim evenire potest, non solum quando nulla diligentia, sed etiam quando valde parva adhibetur.

46. — *Quæritur 2.*, an metus gravis excuset a censura. Respondetur: Si res est vetita jure tantum ecclesiastico, certe excusat, quia præcepta humana non obligant cum incommodo gravi (5). Hinc notat *Croix* (6), quod, si præcipiatur detectio criminis sub censura, nemo tenetur prodere seipsum vel complicem vel alium, si crimen probari nequeat, vel si proditio ipsi grave damnum afferret. Imo gravis metus excusat ab incurrenda censura, etiamsi res alias jure divino sit prohibita; et ideo, qui ob gravem metum patraret homicidium vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra jus ecclesiæ, contra cujus potestatem specialis injusta contumacia ad censuram requiritur (7). Nec obstat textus in *c. Sacris de his, qui viæ etc.*, ubi dicitur metus, qui non excusat a mortali, nec etiam excusare a censura; nam respondent DD. cit., textum loqui vel de metu levi, vel quando agitur in contemptum (8). Incurrit autem censuram aut aliam pœnam, qui metu gravi cogitur aliquid agere in contemptum præcepti ecclesiastici, vel qui ob metum perpetrat malum gravissimum, v. gr. si episcopum occideret, vel sine jurisdictione absolutionem sacramentalem præberet; secus, si impedi-

(1) *c. 20. n. 20.* — (2) *p. 1. n. 10.* — (3) *de usu matr. c. 5. n. 85.* — (4) *ib. n. 197.* — (5) *Salm. de cens. c. 1. p. 15. n. 203.* (6) *l. 7. n. 102.* — (7) *ita Pal. d. 1. p. 8. n. 9., Suar. d. 4. s. 3. n. 14., Bonac. q. 2. p. 3. n. 2. et Salm. ib. n. 204. cum Coninch., Cand., Henr. etc.* — (8) *vide Salm. ib. n. 206.*

tus ob metum ministraret in sacris; tunc enim non incurreret irregularitatem (1). Ratio, quia in dictis primis casibus metus non excusat a culpa, etiam contra præceptum ecclesiasticum: secus in aliis.

47. — „Dixi: *invincibilis;* quia ignorantia culpabilis „et crassa non excusat, nisi addatur in lege certus mo„dus, v. gr.: *qui hoc fecerit scienter, consulto,* „vel: *qui præsumpserit ausu temerario violare;* quæ verba, utpote in re odiosa, accipienda sunt „stricte; talis autem non potest dici temere præsumere, „nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum inclu„dens (2).

48. — *Quæstio* est, an, si censura sit imposita scienter peccantibus, excuset ignorantia affectata.

Prima sententia communior negat (3). Ratio, tum quia ignorantia affectata includit dolum formalem; tum quia talis ignorantia æquivalet scientiæ, ut probatur ex *c. Eos, qui de temp. ord. in 6.*, ubi: *Eos, qui clericos parochiæ alienæ absque superioris ordinandorum licentia scienter seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos.* Et ibi glossa verbo *affectata* dicit: *Aequipollent ergo scientia et affectata ignorantia.*

Secunda sententia vero affirmat (4). Ratio, quia ignorantia affectata in rigore non est vera scientia, qualis requiritur in pœnis impositis scienter peccantibus, cum pœnæ stricte sint intelligendæ; licet autem talis ignorantia includat dolum virtualem, non tamen formalem; qui enim peccat scienter contra legem, vere contemnit

(1) *ita Bon. et Pal. ll. cc. et Salm. ib. n. 205. cum Mach., Coninch., Henr. et Corn.* — (2) *Escob. t. 4. c. 6. n. 37., Sanchez de matr. c. 3. l. 9. d. 32. n. 31.* — (3) *et hanc tenent Suar. d. 4. s. 10. n. 3., Pal. de pecc. tr. 2. d. 1. p. 18. n. 8., Cont. Tourn. de cens. part. 1. c. 4. v. addit Suarez, Conc. c. 19. p. 434. n. 6., Viva de censur. q. 1. art. 6. n. 7., auct. addit. ad Spor. p. 122. n. 39., Boss. de usu matr. c. 5. n. 163. cum s. Antonino, Pont., Perez, Fill., Salas, Reg. etc., item Avila, Henr., Led., Vill. etc. ap. Salm. de cens. c. 1. p. 15. n. 198.* — (4) *eamque tenent Sanch. dec. l. 2. c. 10. n. 38., Bonac. d. 2. p. 4. n. 9., Ronc. p. 78. q. 1. r. 2., et Salm. ib. n. 199. cum Sylvest., Tanner, Hurt., Diana, Cœlest., Corn., Durando etc.*

eam; qui vero peccat ex ignorantia affectata, etsi velit ignorare, ut liberius peccet, tamen demonstrat aliquam reverentiam erga legem, dum quærit ipsam ignorare ex timore, quod, si ipsam sciret, retraheretur a peccando. Ad textum autem oppositum responderi potest, quod ibi per specialem dispositionem legis suspenditur episcopus sic injuste ordinans, non solum si sciat, sed etiam si affectate suspensionem ignoret. Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem, sed primæ magis adhæreo saltem ut communiori. Recte autem *Sanchez* (1) *et Salm.* (2) *cum Cov.* minime approbant sententiam *Panormitani* (quamvis probabilem eam putent *s. Antoninus, Sylv., Rodriq. etc.*), scilicet quod, si quis cum ignorantia crassa et etiam affectata clericum occidit, excusatur a censura canonis, cum ibi dicatur: *Si quis suadente diabolo etc.;* nam respondetur, quod hæc verba non importent scientiam formalem censuræ, sed tantum peccati.

Notandum hic (3), quod, ut incurratur censura pro foro interno, requiritur contumacia vera, pro foro autem externo sufficit præsumpta.

49. — „6. Non incurritur censura ob peccatum soli „naturali vel divino juri repugnans, sed requiritur præ„ceptum ecclesiæ, quod contumaciter violetur. Item nec „ob peccatum mere præteritum potest censura infligi ab „homine, nisi aliquo modo pendeat in futurum, ratione „scandali vel restitutionis non factæ, vel perseverantiæ „in peccato post monitionem, quia abest contumacia (4). „Nec refert, quod quis ob peccatum præteritum, vel etiam „sine peccato, modo justa causa subsit, possit ad tem„pus arceri ab aliorum consortio, altari, communione „etc., ut subinde fit in religionibus, et in jure etiam vo„catur excommunicatio vel suspensio, sed late, quia non „est censura proprie dicta, cujus violatio inducat irre„gularitatem, sed simplex tantum pœna (5).

„7. Non incurrit censuram, qui legem transgreditur „ex gravi metu, licet quandoque non excusetur a gravi „culpa: quia non censetur contumax (6).

(1) *n. 41.* — (2) *de cens. c. 1. p. 15. n. 200.* — (3) *cum Viva de cens. q. 1. art. 1. n. 5. cum Fill.* — (4) *(ita s. Thom., Suar., Coninch., Pal. et Salmant. ib. p. 10. n. 120. communiter.)* — (5) *Fill. t. 11. c. 6. n. 186.* — (6) *Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 5. n. 9., Bonac. d. 1. q. 2. p. 3. n. 2. ex Suar., Coninch. etc.*

Dubitatur, an episcopus possit per sententiam ferre censuram pro crimine futuro. Negat *Cont. Tournely* (1); et probat ex *c. Romana de sent. excomm. in 6.*, ubi dicitur: *Caveant prælati, ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter sive generaliter, in aliquos pro culpis futuris, videlicet si quid tale fecerint, proferre præsumant, nisi culpa seu offensa præcesserit.* Sed affirmant *Laymann*(2) *cum Abb., Cov. et Ugol., Sporer, ac Viva* (3) *cum Suarez et Coninchio.* Et hoc est valde probabile, quando adest justa causa; atque hic est usus communiter receptus in ecclesia. Respondent autem præfati AA. ad textum oppositum, illud intelligi, quando sine causa fertur hujusmodi censura.

50. — „8. Censura invalida est ex triplici capite:

„*Primo* ob defectum ferentis, si scilicet careat jurisdictione, vel eam habeat impeditam per censuram vel „suspensam per legitimam appellationem, de qua vide „*Laymann.*

51. — „*Secundo*, si substantialis ordo judicii prætereatur, ut si reus non citetur, nec moneatur sub commination censuræ. Ratio, quia non est contumax, qui „ante non fuit monitus de præcepto et pœna annexa. „Quod tamen intellige de censura ab homine lata per „sententiam particularem: quia quæ fertur a jure vel „per sententiam generalem vel etiam specialem, respectu tamen actus futuri non eget alia monitione; cum „lex aut sententia ipsa satis monet. Idem est de sententia „non illativa censuræ, sed declaratoria tantum: quia absque „alia monitione declarari potest censura incursa, quando „crimen, cui est annexa, commissum esse evidenter constat.

„Porro, ut censura sit licita, requiritur: 1) ut dicta „monitio sit canonica, id est, trina juxta canones, etsi „aliquando ex justa causa sufficit una tribus æquivalens, v. gr.: *Moneo te semel pro tribus vicibus:* 2) ut „ex scripto recitetur; 3) ut causa censuræ exprimatur; „4) ut reo petenti exemplum scripturæ intra mensem „tradatur; alioquin judex ipse suspenditur a divinis officiis (4).

52. — Prænotandum est hic, quod non in omnibus cen-

(1) *de censur. part. 1. c. 1. v. censura ab homine.* — (2) *de cens. c. 2. n. 2.* — (3) *q. 1. art. 1. n. 5.* — (4) *Fill. t. 11. c. 4.*

suris requiritur monitio rei; nam in excommunicatione, quia ibi omnino requiritur rei contumacia, requiritur etiam monitio; in suspensione autem et interdicto particulari (secus generali), quia hæ censuræ feruntur aliquando per modum non censuræ, sed puræ pœnæ ad punitionem peccati præteriti, ideo non semper monitio requiritur (1).

53. — Sed *quæritur 1.*, an censura sine monitione prolata sit valida. Quin monitio sit necessaria de necessitate præcepti, nemo dubitat (2). Et hic notandum, quod monitio debeat specialiter fieri de censura, cujus fit comminatio (3). Utrum autem monitio sit necessaria de essentia, adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia (4) dicit, ecclesiam sive Papam ex plenitudine potestatis posse censuras ferre nulla præmissa monitione. Et probant ex *c. Duo sunt d. 96.*, ubi *Innocentius* excommunicavit *Arcadium* ob delictum præteritum; et *c. Tanta d. 86.*, ubi *s. Gregorius* excommunicavit quosdam sine monitione ob crimen jam factum.

Secunda sententia vero communior et probabilior (5) docet, omnino præmittendam esse monitionem canonicam, nisi censura sit jam lata a jure. Probatur ex *c. Statuimus 3. de sent. excomm.*, ub dicitur, quod canonica monitio necessario præmittenda est: *aliter excommunicatio prolata non teneat.* Et idem dicitur in *c. Constitutionem 9. eod. tit.* Præterea probatur ex *Matth. 18.*, ubi: *Quod si ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus.* Ergo ecclesia non habet facultatem ferendi censuras nisi contra contumaces, qui nolunt ecclesiam audire; censura enim est pœna medicinalis, quæ tantum in eum fulminanda est, qui ob suam contumaciam aliter

(1) *ex c. Tam litteris 33. de testib., c. Cum in cunctis 7. de elect., c. Sacro 48. de sent. excomm., et c. 1. eod. tit. in 6.; ita Pal. d. 1. p. 5. n. 5., Bonac. q. 1. p. 9. n. 8. et Salm. de cens. c. 1. p. 7. n. 80. cum Coninch., Giballino et Diana.* — (2) *ex c. Reprehensibilis de appell. etc.; vide Salm. ib. n. 82.* — (3) *ut Suar. d. 3. s. 11. n. 7. et Salm. ib. n. 83. cum Soto, Coninch., Suar. etc. communiter.* — (4) *quam tenent Suar. d. 3. s. 8. n. 8., Bonac. q. 1. p. 9. n. 4. v. secundo, item Cajet., Diana etc. ap. Salm. ib. n. 85., qui putant probabilem.* (5) *quam tenent Sanchez de matr. l. 9. d. 32. n. 13. et 21., Anacl. tr. 13. dist. 1. q. 2. n. 19., Cont. Tourn. de cens. p. 1. c. 3. a. 4. s. 1. v. dico 1., et Salm. ib. n. 84. cum Soto, Coninch., Avila, Cornejo, Giballino etc.*

sanari non potest: nullus autem contumax dici potest, nisi prius de pœna infligenda fuerit admonitus. Nec obstant textus oppositi: nam ad *c. Duo sunt* respondent *Salm.* (1), quod *Arcadius* ibi excommunicatus fuerit, quia *Chrysostomum* injuste prius ejectum noluit revocare. Ad textum autem in *c. Tanta* respondetur, non esse ibi proprie sermonem de excommunicatione, sed tantum de privatione eucharistiæ. Dixi autem: *nisi censura sit a jure jam inflicta latæ sententiæ;* quia tunc ipsa lex monet. *Excipitur tamen 1.* suspensio lata contra religiosos usurpantes decimas, vel prohibentes aut non permittentes eas solvi, ex *clement. 1. de dec. Excipitur 2.* excommunicatio lata in religiosos impedientes visitationem episcopi, ex *clement. un. §. fin. de statu monachor.;* in utroque enim casu in præfatis textibus requiritur monitio.

54. — Stando autem in jure communi proculdubio invalida est censura lata ob peccatum mere præteritum, nisi habeat tractum successivum in futurum (2): nulla enim esset censura lata ob blasphemiam vel furtum mere præteritum. Quando ergo excommunicatur aliquis ob furtum, excommunicatur ratione contumaciæ, vel quia fur sciebat, furtum esse ab ecclesia vetitum sub censura, vel quia monitus sub pœna censuræ renuit restituere (3). Tunc enim incurritur censura sine alia sententia declaratoria, ad differentiam aliarum pœnarum ecclesiasticarum, ut sunt privatio officii, inhabilitas ad officia etc., quæ semper sententia saltem declaratoria indigent (4).

55. — *Quæritur 2.*, an requiratur monitio, si censura sit comminata a jure ferendæ sententiæ. Si censura sit comminata ab homine, certum est non requiri monitionem, quia per illud præceptum jam etiam habetur monitio ab ipso judice facta (5). Dubium ergo est, si sit a jure. Duæ sunt sententiæ.

Prima dicit, omnino requiri monitionem (6); quia, ut

(1) *de cens. c. 1. p. 7. n. 86.* — (2) *ut docent Anacl. l. c. n. 17., Conc. p. 422. n. 1. et Salm. ib. p. 10. n. 120. ex c. Ex parte de sign. verb.* — (3) *ita Viva de cens. q. 1. a. 4. n. 5. (vide dicta n. 33. in fine.)* — (4) *Croix l. 7. n. 77. cum Less., Barb., Pell. etc. communiter.* — (5) *ut Sanchez de matr. l. 2. d. 24. n. 28. et Salm. de cens. c. 1. p. 7. n. 90.* — (6) *et hanc tenent Pal. p. 5. n. 7., Suarez d. 3. s. 10. n. 19., Laym. c. 5. n. 6. et Salm. ib. n. 91. cum Caj., Corn., Diana etc.*

dicunt, cum sententia censuræ ferenda est ab homine, sicut censura lata a jure petit monitionem a jure, sic ferenda ab homine petit monitionem ab homine.

Secunda sententia tamen probabilior dicit, non requiri monitionem (1). Ratio, quia ad hanc censuram jam habetur utrumque, monitio et contumacia: monitio, quæ facta est ab ipsa lege; tam enim monet lex infligens censuram latæ sententiæ quam ferendæ: et contumacia, quia ille jam monitus noluit obtemperare. Nec obstat ratio opposita, quia tunc superior, cum teneat locum primi legislatoris, sicut posset legislator, sic etiam ipse superior potest censuram exequi. Bene tamen advertunt (2), quod eo casu requiritur citatio rei ad censuram declarandam, cum bene fieri possit, quod reus probabilem sui facti excusationem afferat; nisi forte, excipit *Bonacina*(3), crimen sit adeo notorium, ut evidenter constet, nullam reo competere defensionem.

56. — *Notandum autem 1.*, quod monitio canonica proprie est trina; sed etiam canonica est, si fiat una pro tribus (adhuc sine causa), dummodo pro ista una æquivalens tempus designetur, nempe sex dies (nam pro unaquaque monitione requiritur spatium saltem duorum dierum (4); et dummodo terminus sex dierum assignetur ut peremptorius et ultimus; alias reus contumax non constitueretur (5). Sufficit tamen, si dicatur: *Mandamus, ut infra sex dies restituat; alias excommunicatur ipso facto;* quia tunc virtualiter terminus peremptorie assignatur (6).

Notandum 2., quod ex justa causa tria illa intervalla redigi possunt ad unum diem vel brevius tempus, modo tria spatia assignentur (7). Et aliquando, si periculum

(1) *eamque tenent Bus. ut supra n. 51., Bonac. q. 1. p. 9. n. 4., Sanch. de matr. l. 2. d. 24. n. 28., item Fill., Abb. et Avila ap. Pal. n. 6., qui probabilem putat.* — (2) *Suar. d. 3. sect. 14. n. 6., Tolet. l. 1. c. 45. n. 3. et Bonac. d. n. 4. v. quarto, et p. 13. n. 6. cum Nav., Fill., Felino etc.* — (3) *eod. n. 4.* — (4) *ut dicunt Suarez d. 3. sect. 9. n. 3. et Salm. ib. p. 8. n. 93., et colligitur ex c. Constitutionem de sent. excomm. in 6.* — (5) *ita Salmant. de censur. ib., Bonacina quæst. 1. p. 9. n. 5.* — (6) *Suarez d. 3. sect. 12. n. 7., Pal. p. 5. n. 8. et Salm. dict. n. 93. in fine.* — (7) *ut Bonac. p. 9. n. 7., Suar. d. 3. sect. 9. n. 3. et Salm. ib. n. 94. cum Coninchio et Giballino.*

sit in mora, ut si clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimenda violentia et turbatione jurisdictionis, sufficit tunc una monitio sine illis competentibus tribus spatiis, modo terminus designetur (1).

Notandum 3., quod monitio debet fieri ab ipso judice vel ab alio ejus nomine. Et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam citatio fieri debet (2). Debet etiam monitio fieri in scriptis, nisi judex procedat ex officio, prout tenetur aliquando ob bonum commune (3): quia tunc sufficit, si monitio fiat oretenus, ita tamen, ut probari possit in foro (4).

57. — *Notandum 4.*, quod, si censura ferenda sit contra plures generaliter, sufficit, ut fiat monitio in ecclesia coram populo; si vero ponatur interdictum contra communitatem, sufficit, ut moneantur ii, ob quorum culpam fertur (5). Si autem fulminetur censura contra particularem personam, tunc ipsa specialiter monenda est. Excipe tamen tres casus sequentes, in quibus sufficit fieri monitio in ejus domo, vel si domum non habeat, in ecclesia vel loco publico. Casus 1. est, quando reus absconditur aut fraude impedit monitionem (6). Dolus autem debet constare testibus aut manifestis indiciis (7). Casus 2., quando reus est semel personaliter citatus; tunc enim aliæ citationes fieri possunt domi aut in ecclesia aut tribunali (8). Casus 3. est, quando probari potest citatio domi facta jam ad notitiam rei pervenisse; tunc enim reliquæ citationes etiam domi fieri possunt (9).

58. — *Notandum 5.*, quod, licet de necessitate præcepti trina monitio sit necessaria, alias judex lethaliter peccabit (nisi urgentissima causa, ut supra, excusaret), uti apud omnes est certum, sine tamen illa trina monitione minime equidem censura erit invalida, cum *in c.*

(1) *ut Salm. ib. cum Corn. et Croix. l. 7. n. 73.* — (2) *ita Suar. d. 1. s. 11. n. 1., Bonac. n. 4. et Salm. ib. n. 95. cum aliis.* — (3) *ex c. Venerabilibus §. Porro de sent. excomm. in 6.* — (4) *ita Salm. c. n. 95. in fine cum Gibalino et Corn. ex c. Sacro de sent. excomm.* — (5) *ita Suar. d. 3. sect. 8. n. 2., Bonac. p. 9. n. 11. et Salm. ib. n. 96. cum Gibalino etc.* (6) *ut Salm. de cens. c. 1. p. 8. n. 96. cum Avila ex c. final. de dolo et contum.* — (7) *Covinch. n. 9. et Cornejo cum Salm. ib.* — (8) *Salm. c. n. 96. cum Bonac. ex decisione rotæ Romanæ.* — (9) *Suar., Bonac., Corn. etc. cum Salm. l. c., et colligitur ex clem. 3. de elect.*

Romana de sent. excomm. in 6. censuræ sine monitione debita inflictæ vocentur injustæ, sed non invalidæ: imo in *c. Sacro de sent. excomm.* dicuntur justæ, intellige, eo quod saltem non sint contra justitiam commutativam aut distributivam, quamvis sint contra legalem (1). Excipiuntur tamen duo casus, in quibus, nisi præcedat trina monitio, vel una pro tribus, ut supra, invalida est censura: 1) Quando judex excommunicat aliquem (vel suspendit aut interdicit) communicantem cum excommunicato a se (2); 2) quando constat, delegatum non aliter accepisse facultatem ferendi censuras, quam trina monitione præcedente (3).

59. — Hæc quoad monitionem censuræ. Quoad autem censuræ sententiam

Notandum 1., quod ad censuram incurrendam non sufficit simplex voluntas superioris, sed requiritur, ut sensibiliter ipse eam manifestet scripto aut verbis (4) aut etiam alio externo signo (5).

Notandum 2., quod, licet pro censuris valide ferendis non sint necessaria verba aut signa determinata, oportet tamen, ut sufficienter determinetur persona, crimen et censura (6). Et idem dicitur de censuræ absolutione (7).

60. — *Notandum 3.*, quod ad censuras licite ferendas observandæ sunt solemnitates assignatæ ab *Innocentio IV.* in *c. Cum medicinalis 1. de sentent. excomm. in 6.*, ubi sic habetur: *Quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat... Exemplum vero hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.* Postea additur: *Si quis autem judicum hujusmodi consti-*

(1) *ita Pal. p. 5. n. 7., Bonac. p. 9. n. 6. et Salm. ib. n. 97. cum Coninch., Giball., Corn. et Diana.* — (2) *ex c. Statuimus et c. Statutum de sent. excomm. in 6.* — (3) *Salm. ibid. n. 98.* — (4) *ut est certum ap. Salm. ib. p. 6. n. 61.* — (5) *ut communiter Suarez d. 3. s. 2. n. 3. et Salm. ib. n. 65. cum Corn., Villal., Candid. etc. contra aliquos.* — (6) *Salm. de cens. c. 1. p. 6. n. 66. ex d. Thoma in 4. d. 27. q. 1. a. 2.* — (7) *Salm. ib. in fine cum Cand., Corn. et Giballino.*

tutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ et divinis officiis noverit se suspensum. Et ibidem: *Et hæc eadem in suspensionis et interdicti sententiis volumus observari.* Ratio Pontificis hæc omnia præscribendi fuit, ne festinanter et temere et imprudenter censuræ fulminentur. Ultra autem has pœnas ipso facto incurrendas alias assignat Pontifex a superioribus inferendas, nempe: 1) Ut reus protinus a censura absolvatur; 2) ut, si judex in eo mense, in quo suspenditur ab officiis et ingressu ecclesiæ, illis se ingesserit, tunc irregularitatem incurrat; 3) ut idem judex teneatur solvere expensas omnes et insuper arbitrio superioris alias pœnas subire. Ex quo infertur, quod, licet censura sine præfatis solemnitatibus sit valida, (ut verius tenent (1), dum ex ipso *c. c.* præcipitur, ut judex censuram relaxet, ergo valida censetur), attamen judex procul dubio graviter peccabit, si aliquam ex dictis solemnitatibus omittet, nempe si non ferat censuram in scriptis, si causam non assignet, si exemplum postulanti non concedat (2).

61. — *Advertendum tamen 1.*, quod hoc currit, quando censura fertur per modum sententiæ, cognita causa cum citatione, ut patet ex verbis in *cit. c. Cum medicinalis: Si quis judicum etc.* Secus, si censura fertur a jure vel etiam ab homine, sed per modum legis generalis sive præcepti particularis, v. gr. alicui, ne aliquid agat: tunc enim tales solemnitates non requiruntur (3). *Advertendum 2.*, quod in scriptura debet exprimi causa censuræ, non in genere, sed in specie; et insuper scriptura debet esse authentica; ita ut sit sigillo obsignata et subscripta a judice vel alio ejus nomine, aut saltem quæ idoneis testibus probari possit (4). *Advertendum 3.*, quod, si judex sit episcopus, sufficit, si proferat censuræ sententiam per alium, si vero sit episcopo inferior, debet per seipsum proferre, vel saltem per notarium aut alium ministrum (5). *Advertendum 4.*, non incurrere pœ-

(1) *Pal. d. 1. p. 5. n. 10., Salm. ib. n. 73. cum Avila, Leand., Giball., Candido etc. contra Ripa et Sayr.* — (2) *ita Bonac. p. 8. n. 1. et Salm. de cens. c. 1. p. 2. n 72. cum Sayr., Giball. etc.* — (3) *ita Salm. ib n. 74. cum Giball., Sayr. et Corn.* — (4) *Salm. ib. n. 75. cum Gib., Corn. etc.* — (5) *Salm. ib. n. 76. cum Villal., Corn., Mach. etc.*

nas, qui dictas solemnitates omitteret ex causa urgenti, quæ moram non pateretur, cum in textu dicatur: *Si quis temerarius etc.* Ex quo infertur, quod non solum non incurrit pœnas episcopus, etiamsi culpabiliter solemnitates omittat, dum in pœnis suspensionis et interdicti debet specialis mentio fieri de episcopis (1). Unde, dum in *c. c. Medicinalis* inter alias pœnas indicitur suspensio, apparet, quod sanctio illa, sicut non respicit episcopos quoad suspensionem, neque quoad alias pœnas (2); sed nec etiam quivis alius ex ignorantia culpabili omittens, quia temeritas veram scientiam requirit; juxta dicta *l. 1, 17.4. Advertendum 5.*, quod pœnæ incurruntur, etiamsi censura non habeat effectum, puta, si judex jurisdictionem habeat impeditam, vel si reus solvat aut appellet: quia a Pontifice non punitur prolatio injustæ censuræ, sed prolatio sine solemnitatibus præscriptis (3).

62. — Sed *dubitatur hic 1.*, an incurratur censura lata sub distinctione, v. gr. si dicatur: *Maneat excommunicatus aut suspensus.* Adsunt duæ sententiæ, ambæ probabiles. Negant *Sylv.*, *Nav.*, *Henr. etc.*, quia ad censuram incurrendam requiritur, ut ipsa in specie individue determinetur; affirmant autem *Suarez* (4), *Bonacina* (5) *et Candidus*, *Cornejus cum Salm.* (6), quia vi illius propositionis copulativæ tantum optio datur reo eligendi censuram, qua malit ligari; si autem nullam eligat, dicunt *Bon. et Cand.*, utramque incurrere; sed melius tenent *Salm.* cum *Suarez*, quod, si unam frangat, alteram eligere censeatur.

63. — *Dubitatur 2.*, an possit ferri censura sub conditione. Potest sine dubio (7): sed censura postea non incurritur nisi conditione impleta. Quare non incurritur, si ante impletionem appelletur (8): advertendo, quod appelatio ante sententiam censuræ eam suspendit; secus, si fiat post sententiam (9), vel si creditor pendente conditione proroget terminum pro censura a judice assi-

(1) *ut ex c. Quia periculosum de sent. excomm. in 6.* — (2) *ita Pal. tr. 29. d. 1. p. 5. n. 9. et Salm. ib. n. 77. cum Cand. et Mach.* — (3) *ita Salm. de cens. c. 1. p. 6. n. 79. cum Giball., Felin. etc. contra aliquos.* — (4) *d. 3. sect. 2. n. 12.* — (5) *p. 7. n. 4.* — (6) *ib. n. 63. et 64.* — (7) *ex c. Præterea 2. de appell.* — (8) *ex eod. c. 2.; vide Salm. ib. n. 68.* (9) *Croix l. 7. n. 109.*

gnatum: quia, sicut potest creditor debitum remittere, ita et terminum prorogare (1).

64. — Sed hic *dubitatur 3.*, an transacto termino prorogato a creditore, judice inconsulto, si debitor non solvat, censura incurratur. Negant *Ugolinus*, *Henriquez*, *Sayrus*, *Navarrus* (2), quia suspendere et prorogare censuram est actus jurisdictionis, quam non habet creditor. Sed probabilius affirmant (3). Ratio, quia ille terminus non assignatur ad finiendam obligationem, sed ne solutio ultra prorogetur sine creditoris consensu; quare transacto termino a creditore prorogato eadem censura manet et incurritur.

65. — Incurrit etiam censuram, qui pendente conditione mutat forum, quia adhuc primum forum retinet jurisdictionem (4). Limitant tamen (5), nisi ex justa causa et non in fraudem domicilium cum foro mutaretur.

Hic deinde *notandum 1.*, quod censura ferri debet diebus non feriatis, quando ipsa per modum sententiæ profertur (6). Si vero diebus feriatis feratur, erit illicita quidem, sed non invalida (7). Verum bene possunt ferri diebus feriatis censuræ, quando imponuntur per modum legis aut præcepti; et etiam illæ, quæ feruntur per modum sententiæ, quando contumacia ita patet, ut cognitione causæ non egeat (8). Monitio autem censuræ frequenter fieri solet die non feriato, si causæ cognitio non præcedat; secus, si præcedat (9).

Notandum 2., quod, si judex sciat, censuratum esse absolutum pro foro interno, docent *Henriquez*, *Filliuc* et *Decius* (10), non esse puniendum pro foro externo.

Notandum 3., quod, qui semel censuram incurrit, debet denuntiari et publicari, ut sic citius resipiscat (11).

(1) *ut docent Pal. p. 8. n. 5., Salm. ib. n. 69. cum Nav., Sylv. et Corn., ac Cont. Tourn. tr. de cens. p. 1. c. 4. q. 5. r. 2. ex cap. Pastoralis de appell.* — (2) *ap. Salm. ib. n. 70.* (3) *Suar. d. 3. s. 2. n. 11., Pal. p. 8. n. 6., Cont. Tourn. l. c. q. 4. v. cæterum, et Salm. l. c. in fine cum Cov., Corn. et Leand.* — (4) *ita Ugol. et Coninch. ap. Salm. de cens. c. 1. p 6. n. 68.* — (5) *ib. in fine Coninch. et Suar.* — (6) *ex c. final. de feriis.* — (7) *ut Palaus p. 5. n. 13. et Salm. ib. p. 9. n. 100. cum Sayr. et Corn.* — (8) *ex c. Evidentia de accus.* (9) *Salmant. ib. in fine cum DD. cit.* — (10) *ap. Croix l. 7. n. 80.* (11) *ex c. Pastoralis §. fin. de appell. et clem. fin. de cens.*

Hæc autem, si lata fuit ab homine, sive per modum statuti sive per modum sententiæ particularis, ab ipsomet debet denuntiari. Si vero lata fuerit a jure communi, denuntiatio debet fieri ab ordinario loci, ubi censura incursa fuerit (1). Sed tunc ante denuntiationem præcedere debet citatio rei, facienda a superiore proprio, dato ei termino ad jus suum dicendum; alias denuntiatio erit nulla (2). Si autem reus satisfactionem offerat, statim est absolvendus (3).

66. — „*Tertio* ob defectum justæ causæ. Hæc autem „deficere potest tripliciter: 1) Si nec a parte rei, nec „secundum allegationes fori externi subsistat; 2) si a „parte rei crimen subsistat quidem, non tamen in ordine „ad judicium, quia reus de eo non confitetur, nec legitime „de eo convincitur; 3) si a parte rei non subsistat cri„men, etsi juridice probetur, ideoque titulum seu cau„sam præsumptam habet judex. In quo casu, etsi sen„tentia a parte rei sit injusta, ideoque probabilius cen„sura non liget in foro conscientiæ; in foro tamen ex„terno servari debet propter scandalum (4)."

67. — In dubio, an censura sit incursa vel ne, in foro conscientiæ non tenemur nos gerere ut censuratos. Et hoc, sive dubium sit facti, id est circa crimen, puta si dubitetur, an percussio clerici fuerit graviter injuriosa (5); sive dubium sit juris, id est circa sententiam, puta si dubitetur, an censura fuerit latæ an ferendæ sententiæ, vel an conditio apposita in sententia sit impleta vel non (6): ex *d. Thoma* (7), qui docet, quod post determinationem judicis standum est ejus sententiæ; secus ante determinationem. Ratio pro dubio facti est, quia in dubio nemo est expoliandus jure suo communicandi, quod possidet, pro dubio

(1) *ex clement. 1. de privil.* — (2) *ex clem. Sæpe de verb. sign.; ita Croix l. 7. n. 76. cum Nav., Cov., Pal. et aliis communiter ap. Salm. ib. n. 101. et eod. tr. c. 3. p. 2. n. 16.* (3) *Salm. cum Suarez c. n. 101. in fine.* — (4) *vide Laym. p. 1. c. 6.* — (5) *ut docent Sanchez dec. l. 1. c. 10. n. 42., Bonac. d. 2. q. 1. p. 6. §. 2. n. 49., Holzmann de cens. c. 4. n. 151., Mazz. t. 1. p. 63., Pal. d. 1. p. 8. n. 8., Laym. c. 5. §. 4. n. 38., Ronc. de 5. præc. c. 2. q. 6., et Salm. de cens. c. 1. p. 16. n. 209. cum Cand., Tanner et Diana contra Sayr., Azor etc. ap. Bon.* — (6) *ut Sanch., Bon., Holzm., Ronc. ll. cc. et Salmant. ib. n. 210. cum Val., Cov. et Diana.* — (7) *quodl. 4. art. 14.*

autem juris ratio est, quia pœnæ sunt restringendæ ; unde in dubio non incurruntur. Si vero post censuram incursam dubitetur de absolutione obtenta vel de appellatione interposita et similibus, tunc omnino reus debet se habere ut censuratum, quia tunc possessio stat pro superiore (1). Et idem dicendum (2), si dubium sit de potestate superioris, quando hic pacifice eam possidet.

68. — *Dubitatur 1.*, in dubio, an censura fuerit justa vel ne, an ut justa sit judicanda. Negat *Dicastillus* (3), dicens, superiorem esse quidem in possessione ferendi censuras justas, sed cum de justitia dubitatur, potius dicendum est, possidere libertatem subditi. Et idem sentiunt *Vasquez*, *Sancius etc.* (4), loquendo de lege dubie justa ; probabile putat *Tamb.* (5). Sed verius affirmant (6), quia in dubio possidet potestas judicis.

Dubitatur 2., an, si reus habet opinionem probabilem pro se, teneatur parere judici aliquid præcipienti sub censura, puta solutionem pecuniæ. Affirmandum etiam cum communi, sive dubium sit juris sive facti, quia alias nunquam lites finirentur (7). Bene tamen advertunt *Salmant.* (8) *cum Avila*, quod in dubio facti id procedit durante dubio ; nam si postea censuratus fieret certus de sua innocentia, tunc non tenetur nec solvere nec se gerere ut censuratum ; tunc enim sententia non potest obligare, cum nitatur præsumptione certe falsa. Sed si talis censuram in publico violaret, v. gr. in sacris ministrando, licet irregularitatem non incurreret, peccaret tamen ob scandalum ; et tunc in foro externo gerere se deberet ut irregularem (9). Hoc tamen intelligendum, nisi publice constet, censuras esse nullas, ita ut omnino absit

(1) *ut recte dicunt Sanch. l. c. n. 67. et 59., Pal. l. c. et Salm. c. n. 210. cum Cov.* — (2) *cum Sanch. n. 60. et Salm. ib. in fine.* — (3) *ap. Croix l. 7. n. 123.* — (4) *ap. Viva de leg. q. 1. a. 3. n. 4.* — (5) *dec. l. 1. c. 3. verb. subditus* — (6) *Salm. de legib. c. 1. p. 2. n. 15. in fine, Viva l. c., Bonac eod. tit. d. 1. q. 1. p. 7. §. 3. n. 11. cum Vasq., Suar. et Salas : item Pal. et alii communiter cum Croix dict. n. 123.* (7) *ita Salmant. de cens. c. 3. p. 1. n. 6. cum Soto, Diana, Vasq. et Avila.* — (8) *ib. in fine.* — (9) *ita Suar. d. 4. s. 7. n. 11., Pal. p. 8. n. 15. et 16., Croix l. 7. n. 84. et Salm. eod. tr. c. 1. p. 16. n. 212. cum Coninch.*

scandalum (1). Præterea advertit *Cont. Tournely cum d. Thoma* (2), quod executor sententiæ, quæ sit justa secundum allegata et probata, tenetur eam executioni mandare, etiamsi ex privata scientia noverit esse injustam; secus vero, si sententia etiam secundum probata esset omnino injusta (3).

DUBIUM V.

Qui possint absolvere a censuris.

69. *Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine, et inter latam ab jure vel ab homine per sententiam generalem.*
70. *Quis potest absolvere a censuris latis a jure?*
71. *An omnes confessarii possint absolvere ab excommunicatione minori: an simplex sacerdos.*
72. *Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem.*
73. *Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas.*
74. *Quæ censuræ reservatæ possint absolvi ab episcopo per cap. Liceat.*
75. *Vide verba capituli.*
76. *Not. 1., an episcopus possit dispensare in irregularitate propter hæresim. Not. 2, quando crimen dicatur occultum vel deductum ad forum.*
77. *Dub 1., an possit absolvi ab episcopo, qui fuerit punitus in foro alterius episcopi.*
78. *Dub. 2, an crimen publicum in uno loco possit absolvi ab episcopo in alio, ubi est occultum.*
79. *Not. 3., qui veniant nomine episcoporum. Not. 4., qui veniant nomine subditorum. Not. 5. Episcopi possunt absolvere a casibus papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum.* (Remissive ad lib. 6, 594.)
80. *Not. 6., an episcopi gaudeant hac facultate, ubi Tridentinum non est receptum.*
81. *Qu. 1., an episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus cum suo subdito in aliena diœcesi morante.*
82. *Qu. 2., an facultas concessa in cap. Liceat fuerit revocata per bullam cœnæ.*
83. *Verior sententia.*
84. *Qu. 3., an episcopi possint absolvere a censuris bullæ cœnæ impeditos adire Romam.*

(1) *Salm. tr. cit. c. 3. p. 1. n. 5. cum Nav., Avila etc. ex clement. Pastoralis de re judicata.* — (2) *ex c. Pastoralis de offic. et pot. jud. del.* — (3) *ex c. Super eo de crim. falsi.*

85. *Qu. 4., quinam dicantur impediti.*
86. *Quid, si impedimentum sit ad breve tempus, et quid, si ad longum?*
87. *An teneatur reus absolutus deinde se præsentare Pontifici, si jam sit emendatus et parti satisfecerit.*
88. *Quid, si impedimentum sit perpetuum? Et qui dicantur perpetuo impediti.*
89. *Qu. 5., an impediti teneantur adire Romam per epistolam aut procuratorem.*
90. *Qu. 6., an episcopus possit absolvere hæreticum impeditum etiam per alium.*
91. *Qu. 7., an, cum inferior absolvit impeditum a casu reservato sine censura, teneatur pœnitens se præsentare superiori.*
92. *Qu. 8., an impediti adire episcopum possint a quocumque absolvi.*
93. *Qu. 9., an possint episcopi generaliter delegare aliis facultatem eis concessam in c. Licet.*
94. *De facultate Mendicantium absolvendi reservata.*
95. *Quas censuras possint regulares absolvere quoad sæculares.*
96. *An possint eos absolvere a casibus papalibus occultis.*
97. *An pro foro externo.*
98. *An a casibus ab episcopis sibi reservatis.*
99. *An a censuris episcopis reservatis a jure vel a consuetudine.*
100. *An a casibus Clementis occultis.*
101. *An regulares possint absolvere subditos ab omnibus casibus papalibus extra bullam cœnæ.*
102. *An etiam novitios.*
103. *An novitios etiam a censuris ab episcopo sibi reservatis.*
104—106. *An prælati regulares possint absolvere subditos a casibus bullæ cœnæ.*
107. *An subditos a censura ob percussionem alterius religiosi aut clerici sæcularis.*
108. *Quid circa recipientes bullam cruciatæ? Remissive.*
109. *Regulæ pro absolvendis censuris.*
110. *An data facultate absolvendi a papalibus comprehendantur censuræ bullæ cœnæ.*
111. *An in jubilæo, data potestate absolvendi, omnes censuræ comprehendantur, etiam latæ ab episcopo specialiter.*
112—113. *An habens facultatem circa casus bullæ cœnæ possit absolvere etiam ab hæresi.*
114. *Quid amplius notandum circa facultates regularium?*
115. *Quid amplius circa facultatem concessam in jubilæis?*

69. — „Resp. I. A censura lata per sententiam par„ticularem ordinarie is tantum potest absolvere, qui eam „tulit, vel ejus superior vel successor vel delegatus. Ab

„ea, quæ lata est a jure communi vel ab homine per „sententiam generalem, si non sit reservata, potest ab„solvere quivis, qui censuratum potest absolvere a mor„talibus: si vero sit reservata, ordinarie et per se po„test tantum relaxari ab auctore legis vel ejus succes„sore vel delegato.

„Dixi 1.: *ordinarie;* quia in articulo mortis quivis sa„cerdos absolvere potest a quavis censura.

„Dixi 2.: *per se;* quia per accidens et ex privilegio „possunt etiam alii (1).

70. — Universe loquendo ad tollendas censuras ex parte absolventis requiruntur eædem conditiones, quæ requiruntur ad ferendas, juxta dicta *n. 12.*

Cæterum *dicendum 1.:* A censuris latis *a jure* non reservatis certum est, episcopum vel proprium sacerdotem absolvere posse, ex *c. Nuper de sent. excomm.* Ubi, licet sermo sit de excommunicatione minori, idem tamen de omnibus aliis censuris communiter DD. intelligunt (2). Et idem concedunt capitulo sede vacante, prælatis religionum et habentibus jurisdictionem quasi episcopalem. An autem ab hujusmodi censuris omnes confessarii possint absolvere ? Negant *s. Antoninus, Covarruvias, Palud. etc.* (3): quia, ut dicunt, sicut ad ferendas censuras, ita ad absolvendas requiritur jurisdictio in foro externo, qua carent simplices confessarii et etiam parochi. Affirmandum est tamen cum communi sententia, quam tenet *s. Thomas* (4), ubi ait: *Si excommunicatio sit major, aut est lata a judice: et sic ille, qui tulit, vel ejus superior potest absolvere; vel est lata a jure: et tunc episcopus vel etiam sacerdos potest absolvere* (5). Ratio, quia, licet ex jure ordinario nec confessarii nec parochi hanc facultatem habeant, habent tamen ex concessione speciali *Innocentii XIII.*, qui in *d. c. Nuper 29.* sic inquit: *In secundo casu* (scilicet quod excommunicatio non sit reservata) *a suo episcopo vel a*

(1) *Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 7.* — (2) *ut Pal. d. 1. p. 11. §. 5., Roncaglia de censuris c. 6. quæst. 3. r. 111., Suarez d. 7. s. 3. n. 2. et Salm. de cens. c. 2. p. 4. n. 42. cum Henr., Ugol., Corn. et Gibalt. communiter.* — (3) *ap. Salm. ib. n. 43.* (4) *suppl. q. 24. a. 1.* — (5) *ita etiam Cont. Tourn. de cens. p. 1. c. 4. a. 1. r. 5., Conc. p. 441. n. 3., Pal. l. c., Ronc. ut supra, Salm. de cens. c. 2. p. 4. n. 44. cum Soto, Vasquez, Coninch., Avila etc.*

proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtineri. Quamvis enim et tunc non juris, sed judicis sententia sit ligatus, quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Quoties igitur censura non reservatur a jure, ab ipso jure datur potestas absolvendi cuilibet confessario, ut intelligitur sub nomine *proprii sacerdotis*, prout probavimus *de euch. l. 6, 564.* Et hic *advertendum 1.*, quod hæc absolutio valebit etiam pro foro externo (1). *Advertunt 2* (2), quod hanc absolutionem parochi et alii confessarii impertiri possunt tam intra quam extra confessionem. Ratio, quia decreta Pontificum præcipue forum externum spectare solent, et cum favores principis ampliari debeant, non est, cur tantum ad forum internum restringantur. *Advertunt 3.* (3), quod confessarii possunt absolvere non solum ab excommunicatione, sed ab omnibus aliis censuris non reservatis, nempe a suspensione et interdicto personali, etsi absolutio earum non requiratur ad perceptionem sacramenti pœnitentiæ. Ratio, quia illa concessio, cum sit favorabilis, merito ampliatur ad omnes censuras.

71. — Certum est autem et communiter inter DD., omnes episcopos et confessarios absolvere posse innodatos excommunicatione minori (4). Sed valde *dubitatur*, an simplex sacerdos possit absolvere ab excommunicatione minori? Affirmant *Salm.* (5) *cum Navarro*, *Armilla et Hurtado*, ac probabile putant *Bonacina* (6) *et Viva* (7); quia, ut ajunt, cum sacerdos probabiliter possit absolvere a culpis venialibus, potest etiam a censuris eis annexis, juxta id, quod dicit *d. Thomas* (8): *A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis.* Sed omnino negandum (9), tum

(1) *ut dicunt Pal. n. 4. et Giball., Ugol. ap. Salm. l. c.* (2) *Ronc. p. 80. q. 3. r. 3. cum Conc., Pal. d. 2. p. 11. §. 5. n. 3. cum Suarez et Ugol., Sporer suppl. p. 124. n. 55. cum Avila, et Salm. dict. n. 44. in fine cum Con.* — (3) *Salm. ib. n. 49. cum d. Thoma, Pal., Soto, Vasq. ac aliis cit. n. 45. contra Candidum.* — (4) *vide Salm. de cens. c. 3. p. 14. n. 164.* — (5) *ib. n. 166.* — (6) *q. 3. n. 15.* — (7) *q. 2. a. 2. n. 5.* — (8) *in 4. d. 28 q. 2. a. 1. q. 1.* — (9) *cum Suarez d. 7. sect. 4. n. 17., Pal. d. 2. p. 21. n. 23. et Soto, Cajetanus, Cornejus et Led. ap. Salm. ib. n. 165.*

quia in *c. Nuper de sent. excomm.* dicitur excommunicatio minor absolvenda esse vel ab episcopo, vel *a proprio sacerdote*, qui sane intelligi nequit simplex sacerdos; tum quia juxta decretum *Innocentii XI.*, relatum in *l. 6, 543. v. quær.*, hodie vetitum est sacerdotibus simplicibus absolvere a venialibus. Hæc reddunt primam sententiam omnino improbabilem.*)

72. — *Dicendum II.* quoad censuras *ab homine* latas, quod, si censura feratur per modum sententiæ particularis contra determinatam personam, non potest illa absolvi nisi ab ipso ferente vel ab ejus superiore, vel ab ejus successore aut delegato. Est certum et commune (1). Quod si autem judex in foro externo testetur, censuratum jam satisfecisse partibus vel esse emendatum, tunc censetur vel ipse jam absolvere, vel cuilibet absolvendum remittere (2). Et hic obiter *notandum 1.*, quod episcopus etiam in alieno territorio potest suos subditos absolvere in foro tam externo quam interno, semper ac absolutio sit sine strepitu judiciali (3). *Notandum 2.*, quod, si quis in alieno territorio delinquit et ab illius episcopo *specialiter* excommunicatur, non potest absolvi ab episcopo proprio nisi de episcopi loci licentia (4). Dixi: *specialiter*; nam si excommunicatus sit per sententiam generalem, potest a quocumque absolvi, ut mox dicetur.

73. — Si vero censura feratur ab homine per modum statuti sive sententiæ generalis contra personas indeterminatas, sive in futurum, v. gr. in omnes, qui hoc crimen patrabunt, sive in præteritum in omnes, qui hoc crimen commiserunt (posita contumacia, juxta dicta *n. 54.*): tunc alii (5) tenent, non ab alio quam ab ipso ferente absolutionem impendendam esse, quia censura ab homine, juxta regulas juris, ab eo duntaxat auferri potest, a quo est lata. Sed probabilius dicendum, absolutionem

(1) *vide Croix l. 7. n. 131. et Salm. c. 2. p. 4. n. 50.* — (2) *Salm. ib.* — (3) *ut Sylv., Henriq., Avila cum Salm. ib. n. 36.* — (4) *ita Cont. Tourn. l. c., Diana, Cand. et cum Salm. de cens. c. 2. p. 4. n. 37.* — (5) *ut Suar. d. 7. sect. 2. n. 23. et Vasq., Fill. etc. ap. Salm. ib. n. 50.*

*) Et sic etiam prima sententia rejicitur in retractatione 92. *Editor.*

tunc a quocumque confessario impertiri posse, si censura non sit reservata (1). Ratio, quia hæ censuræ æquiparantur censuris latis a jure, et ideo a quocumque absolvi possunt, cum agatur de re favorabili, quæ ampliand a est, quantum res patiatur (2).

74. — „*Resp. II.* Episcopi secundum Tridentinum (3) „possunt 1) absolvere in foro conscientiæ per se vel vi„carium ab omnibus censuris occultis, etiam in bulla „cœnæ Papæ reservatis, excepta hæresi, a qua per se„ipsos tantum absolvere possunt (quantum est ex vi hujus „decreti). Dicitur autem censura occulta, quæ contracta „est ob delictum non publicum, nec ad forum contenn„tiosum deductum, aut si deductum fuit, a quo reus ob „defectum probationis fuit absolutus (4). 2) Possunt etiam „sæpe absolvere a censura Papæ reservata, propter imn„pedimentum ejus, qui incurrit, vel quando propter sen„nium, morbum, sexum, pauperiem Pontifex non potest „adiri (5).

75. — Quoad facultatem, quam habent episcopi circa peccata reservata Pontifici, ante omnia notanda sunt verba Tridentini in *cap. Liceat 6. sess. 24.*: *Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi apostolicæ reservatis, delinquentes .... subditos in diœcesi sua per seipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis sit permissum.*

76. — Hinc *notandum 1.*, quod episcopi, licet non possint absolvere ab hæresi occulta, juxta sententiam, quam mox exponemus, possunt tamen dispensare in irre-

(1) *ut cum Bus. tenent Pal. §. 4. n. 10., Laym. c. 7. n. 3., Roncaglia q. 3. resp. 11., Conc. p. 443. n. 6., Holzm. n. 127., Sporer suppl. p. 124. n. 53., et Salm. ib. n. 51. cum Coninch., Sayro, Toleto, Soto, Avila, Bon. et Croix l. 7. n. 128. cum communi.* — (2) *ex cit. cap. Nuper de sent. excomm.* — (3) *sess. 24. c. 6.* — (4) *Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 15. et p. 2. n. 1. ex declar. cardin. etc.* — (5) *Bon. l. c. ex Nav., Sanchez, Avila, Coninch. etc.*

gularitate ex hæresi occulta contracta (1). *Notandum 2.*, quod, ut crimen dicatur non occultum, requiritur, ut vel sit deductum ad forum contentiosum, vel sit notum fere omnibus (2) aut saltem majori parti oppidi, viciniæ, parochiæ, collegii seu monasterii (3): ita ut occultum adhuc dicatur crimen, si illud sciant quinque vel sex personæ (4). Tunc autem crimen censetur ad forum deductum, cum ibi est probatum saltem per unum testem; secus, si nullo modo fuerit probatum, etsi reus malis artibus hoc obtinuerit et ibi absolutus fuerit, quia tunc adhuc censetur occultum (5). Imo dicitur occultum, etiamsi crimen complicis sit ad forum deductum, quia ex *l. 1. c. Res inter etc.: Res inter alios acta non potest afferre præjudicium aliis, quibus res judicata non nocet* (6).

77. — Sed hic *dubitatur 1.*, an possit absolvi ab episcopo reus alicujus casus papalis, qui jam punitus sit in foro alterius episcopi, ubi judicium sit finitum.

Prima sententia affirmat (7). Ratio, quia intentum concilii fuit, servare auctoritatem judicum et vitare scandalum, si publica crimina publice non punirentur; at eo casu neque scandalum adest, neque auctoritati judicum præjudicatur.

Secunda sententia vero communior et verior negat (8). Ratio, quia, licet tunc judici sit satisfactum, tamen, cum crimen juridice publicum factum fuerit, manet simpliciter publicum, et ut tale omnino est Pontifici reservatum. *)

(1) *ita Potesta t. 1. n. 3338., Salm. de cens. c. 2. p. 5. n. 54.* (2) *ut ait Viva cum Suarez.* — (3) *ut dicunt Bonac. §. 4., Sanchez de matr. l. 8. d. 34. n. 35., Salm. ib. n. 59. cum Pal., Pell. etc.* — (4) *ut ait auctor cit. istruz. etc. p. 2. c. 13. n. 300.; vide dicta l. 6, 593. v hic autem et, n. 1111.* — (5) *ita Sanchez de matr. l. 8. d. 34. n. 57., Bonac. q. 3. p. 2. n. 2., et Salm. ib. n. 60. cum Coninch., Avila, Henr. etc.* (6) *ita Salm. de cens. c. 2. p. 5. n. 60. in fine cum Nav., Bon. et Sanch.* — (7) *et hanc tenent Sanch. l. 1. c. 11. n. 21. et Salm. ib. n. 62. cum Reg., Avila, Leandro etc.* — (8) *eamque tenent Suar. d. 4. s. 2. n. 6., Pal. t. 1. tr. 4. d. 4. p. 3. §. 1. n. 17., Barb. alleg. 39. n. 3., Conc. p. 445. n. 12, Bonac. de irreg. q. 5. p. 1. n. 6. cum Garcia et Rodr., ac Croix l. 7. n. 146. cum Mascardo, Menoch. etc.*

---

*) Idem asserit *s. Alphonsus* in sua retractatione 94.
Editor.

78. — *Dubitatur 2.*, an crimen in uno loco publicum possit absolvi ab episcopo in alio, ubi est occultum. Negant *Bonacina* (1) *et Suarez* (2); sed probabiliter affirmant (3): dummodo locus, ubi crimen est notum, ita distet, ut non sit timor, ne publicetur, ubi est occultum.

79. — *Notandum 3.*, quod nomine episcoporum veniunt abbates et alii jurisdictionem episcopalem habentes (4). Venit etiam capitulum sede vacante (5). *Notandum 4.* Nomine subditorum veniunt etiam vagi et omnes habentes animum permanendi in loco illo per majorem partem anni (6). *Notandum 5.*, quod episcopi vi concessionis in dicto *c. Liceat* possunt absolvere a casibus papalibus etiam post Tridentinum reservatis, ut probabile esse diximus *l. 6, 594. dub. 9.*

80. — *Notandum 6.* circa facultatem a Tridentino concessam episcopis in *c. Liceat*, absolvendi aut dispensandi a casibus papalibus vel ab irregularitatibus occultis, id, quod dicit *Fagn.* (7), ubi ait: *Ex sententia sancti concilii episcopi illarum regionum, in quibus concilium adhuc receptum non est, non possunt uti facultate in hoc decreto concessa.* Notat deinde ibidem, declaratum fuisse a *Gregorio XIII.*, prædictam facultatem nec etiam cardinalibus competere, etsi ecclesiarum Urbis titulum habeant.

81. — *Quæritur 1.*, an episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus occultis cum suo subdito, qui in aliena diœcesi moratur.

Prima sententia negat (8). Ratio, ut ajunt, quia concilium tribuit episcopis facultatem dispensandi tantum in sua diœcesi.

Secunda sententia vero communior et probabilior af-

(1) *d. 1. q. 3. p. 2. n. 3.* — (2) *t. 4. d. 30. sect. 2. n. 3.* — (3) *Sanch. l. 2. c. 11. n. 20., Cont Tourn. tr. de irreg. p. 3. c. ult. not. 2. cum Piasec., Barb. alleg. 35. n 28. cum Gutt., et Salm. c. n. 62. cum Trull., Leandro, Avila et aliis ap. Croix l. 7. n. 144.* — (4) *ut Sanch. n. 6. et Salm. ib. n. 54. circa fin. cum Henr., Dic., et Aversa contra Bon. et Suar. ap. Croix l. 7. n. 141.; vide dicta l. 6. n. 593. v. eamdem.* (5) *ut Bon. n. 1., Sanch. n. 4, et Salm. ib. in fine.* — (6) *ut Croix l. 7. n. 136. cum Sanch., Suar., Bonac., Barb. etc.* — (7) *in c. Dilectus 15. de temp. ordin.* — (8) *et hanc tenent Avila, Henriq. et Ugolino ap. Barb. in Trid. sess. 24. c. 6. n. 44.*

firmat (1). Ratio, quia dispensatio per se potest concedi absenti; ergo non oportet, ut dispensandus adsit in diœcesi, cum actus jurisdictionis voluntariæ bene possit exerceri etiam extra territorium. Nec obstat, quod in Tridentino dicatur: *in diœcesi sua*; nam respondetur, quod vel particula illa satis verificatur, cum aut episcopus aut subditus existit in propria diœcesi, ut dicunt *Cont. Tourn. l. c. et Salm. d. n. 53.*: vel quod præfata particula refertur tantum ad secundam partem, ubi agitur de absolutione casuum, ut respondent *Suarez*(2) *et Sanchez*(3), *Holzm.* (4). *cum Palao*, *Pignat. et Croix* (5). Ex quo hi auctores inferunt, quod, etiamsi uterque tam episcopus quam subditus sint extra diœcesim, bene poterit episcopus dispensare ab irregularitate et absolvere a suspensionibus. An autem episcopus possit absolvere et delegare facultatem absolvendi casus papales occultos extra sacramentum pœnitentiæ? Affirmant *Sanchez*, *Suarez*, *Bonacina*, *Salm.* (6): sed id hodie omnino negandum ex declaratione *Gregorii XIII.*, relata *l. 6, 593.*

82. — *Quæritur 2.*, an prædicta facultas a Tridentino episcopis concessa fuerit revocata per bullam cœnæ quoad hæresim et alios casus in ea reservatos? Adest duplex sententia.

Prima negat (7). Ratio, ut ajunt, quia in bulla cœnæ nulla fit mentio concessionis factæ episcopis per Tridentinum, sed per clausulam generalem minime revocantur facultates a concilio generali alicui tributæ (8).

Et juxta hanc primam sententiam notant (9), quod epi-

(1) *et hanc tenent Sanch. dec. l. 2. c. 11. n. 12., Suarez d. 41. s. 1. n. 10. et 12., Bon. d. 1. q. 3. p. 2. n. 1. v. tertio, et d. 7. q. 5. p. 1. n. 4., Diana p. 4. tr. 4. r. 96., Cont. Tourn. de censur. p. 1. c. 5. r. 3. v. possunt episcopi, Salm. de cens. c. 2. p. 5. n. 53. et Barb. l. c. cum Boss., Marchino, Fag. etc.* (2) *n. 10.* — (3) *n. 13.* — (4) *n. 227.* — (5) *n. 139.* — (6) *de cens. c 2. p. 5. n 54.* — (7) *et hanc tenent Nav. man. c. 27. n. 260. ac Bannez, Vega, Sa, Arrag., Angl., Henr., Fag. etc. ap. Barb alleg. 40. n. 21., item Coninch., Avila, Becan., Granadus, P. Ledesma etc. ap. P. Milante in prop. 3. Alexandri VII., et probabilem putant Salm. ib. n. 56.* — (8) *ut habetur ex c. Ex parte de capell. monach. cum glossa ib. v. nulla mentio, et ex cap. Nonnulli de rescriptis, et ibid. glossa v. fecerit mentionem.* — (9) *Salm. ib. n. 54. cum Nav., Henriquez et Gran., ac Felix Potesta cum Dic. et Diana.*

scopus circa crimen hæresis, licet non possit concedere alteri generalem facultatem absolvendi ab illa, cum talis facultas fuerit tributa a concilio *episcopis tantum, non eorum vicariis*, bene tamen eam potest delegare alteri in casu particulari; quia, cum ipsa sit annexa dignitati episcopali, competit episcopis jure ordinario, et ideo potest ab eis delegari omni modo, quo eisdem expresse non est vetitum.

83. — *Secunda sententia* vero verior affirmat, et hanc tenent *Sanchez*(1), *Pignat.*(2), *Lugo*(3), *Anacl.*(4), *Toletus*(5), *Diana* (6), *Ronc.* (7), *Croix* (8), *Viva* (9), *Vidal* (10), *Holzmann* (11), *Mazz.* (12), *Elbel* (13), *Barb.* (14) *cum Sayro, Molina, Philiarcho, Homobono, Ugolino et pluribus aliis*; item *Fagnanus* (15), ubi id affert decisum a S. C.; duasque similes declarationes affert *Pittonius* (16), unam emanatam die 4. Decembr. 1642, alteram 28. Oct. 1741. Eamdem sententiam omnino tenendam docet *Benedictus XIV.* (17) *cum card. Petra, Duardo, Clericato etc.*, ibique testatur, quod *P. Suarez* prius censuerit probabilem primam opinionem, sed deinde (18) ab illa recessit, et asseruit, ipsam revera omni probabilitate esse destitutam. Probatur nostra sententia ex verbis ipsius bullæ cœnæ, ubi dicitur: *Nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo, absolvi possit, prætextu quarumvis facultatum et indultorum, quibuscumque personis, etiam episcopali vel majori dignitate præditis ... per nos et dictam sedem ac cujusvis* (nota) *concilii decreta concessorum vel concedendorum.* Per quæ ultima verba jam apparet derogatum concessioni Tridentini. Nec obstat ratio opposita, quod per clausulam generalem non revocantur facultates concessæ per concilium generale. Nam *respondetur 1.*, id locum habere, quando revocatio fit per rescripta, non vero, cum fit per constitutiones

(1) *dec. l. 2. c. 11. n. 27.* — (2) *t. 1. cons. 291.* — (3) *de pœnit. d. 23 sect. 2 §. 1.* — (4) *tr. 4. dist. 4. q. 3. n. 30.* — (5) *in explic. bullæ cœnæ n. 14. in fine.* — (6) *p. 7. tr. 2. r. 23.* (7 *de cens. tr. 4. q. 1. c. 6. q. 4.* — (8) *l. 6. p. 2. n. 1617.* — (9) *in prop. 3. Alex. VII. n. 7.* — (10) *in ead. prop.* — (11) *de pœnit. eccl. n. 218.* — (12) *t. 3. p. 460. n. 2.* — (13) *t. 2. n. 253.* — (14) *alleg. 40. n. 23.* — (15) *l. 1. in c. Quoniam. de constit. n. 28.* — (16) *de episcop. n. 960. et n. 1926.* — (17) *de syn. l. 9. c. 4. n. 4.* — (18) *in tr. de fide d. 1. §. 4. n. 13.*

pontificias; in præfatis enim textibus adductis, ut legenti patet, tantum de rescriptis habetur sermo. Valde autem dispar est ratio inter rescripta et pontificias constitutiones: nam rescripta, quia sunt contra jus, et propter importunitatem ac multitudinem petentium non fiunt ea maturitate et consilio, quo constitutiones Pontificum et decreta conciliorum emanantur; ideo id quod dicitur de rescriptis, non procedit de constitutionibus (1). Ac propterea observat *Fagnanus* (2), Tridentinum derogasse pluribus decretis conciliorum generalium, nulla ipsorum facta mentione; imo testatur idem *Fagnanus* (3), *s. Pium V.* in quodam motu proprio, relato ad litteram a *Nicolao Garcia*, declarasse, satis esse ad revocandum concilium, quod Papa contrarium disponat, supplicationem manu propria signando. Insuper laudatus *Benedictus XIV.* testatur, *s. Pium V. et Gregorium XIII.* (4), de hac re signanter interrogatos, respondisse, nulli præter Papam hodie integrum esse absolvere ab hæresi etiam occulta. Item in vita s. Francisci Salesii, descripta a Petro Gallizia (5), narratur, ut notat idem *Benedictus*, quod, cum Papa *Clemens VIII.* Salesium pro examine ad episcopatum præsentatum interrogasset, an posset episcopus ab hæresi absolvere, respondit affirmative. At Papa subjunxit: *Sed Nos non ita sentimus.* Et tunc s. Franciscus dixit: *Beatissime Pater, si S. V. non ita sentit, nec ego deinceps sic sentiam.*

Respondetur 2., quod, etiamsi ad derogandum decretis Tridentini fuisset requisita specialis illius mentio, hæc jam adfuit in præfata bulla cœnæ, cum ibi dictum fuerit, episcopum non posse absolvere a casibus bullæ *prætextu facultatum per cujusvis concilii decreta concessarum.* Quænam hic expressior mentio fieri debebat? Tanto magis, quod solum concilium Tridentinum et non aliud talem facultatem episcopis concesserat.

Accedit ad hæc damnatio propositionis 3. ab *Alexan-*

(1) *ut bene advertunt Fagn. in d. c. Nonnulli de rescript. et Ronc. de leg. p. 47. q. 4. cum card. de Luca et communi.* (2) *n 24.* — (3) *l. 3. in c Nulla de concess. præb. n. 86.* — (4) *et idem asserit P. Viva l. c. p. 4. ac alii ap. Barb.* — (5) *l. 2. c. 32.*

dro VII., quæ dicebat: *Sententia asserens, bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt; et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629 18. Julii in consistorio S. C. eminentiss. cardinalium visa et tolerata est.* Merito hinc dicunt *Viva*, *Holzmann*, *Elbel* et *Benedictus XIV.*, quod per hanc damnationem prima sententia ita a sua probabilitate, si quam habeat, deturbata est, ut nunc probabilis non amplius videatur. Nec obstat dicere cum *Coreglia*, *Concina*, *Salm. et Milante*, quod Pontifex non damnavit sententiam, sed tantum, quod ipsa in consistorio visa et tolerata fuerit; et ideo putant, illum illam in sua probabilitate reliquisse. Nam respondetur, quod, licet Pontifex directe solum damnaverit factum, nempe quod visa fuerit et tolerata, indirecte tamen aperte ipsam sauciavit opinionem; nisi enim falsam existimasset, non utique tam sollicitus fuisset de mendacio illo damnando; cum igitur declaravit, eam non fuisse toleratam, implicite declaravit, non esse dignam, ut toleretur. Ex his omnibus concludit præfatus *Benedictus XIV.* (1), hodie *episcopos non sine temeritatis nota hanc auctoritatem* (nempe absolvendi ab hæresi) *posse sibi ostentare, et tanto minus delegandi.* Poterit ergo solummodo episcopus ut delegatus apostolicus hæreticum notorium pro foro externo absolvere (2): postquam autem ab episcopo sublata fuerit excommunicatio, a quovis confessario peccatum hæresis absolvi poterit.

84. — *Quæritur 3.*, an episcopi absolvere possint a censuris bullæ cœnæ impeditos Romam adire. Adsunt tres sententiæ.

Prima absolute negat cum *Bonacina* (3), qui citat *Suarez et Innoc.* (sed dicit: *in simili;* ergo prædicti DD. non loquuntur proprie de hac sententia.) Ratio *Bonacinæ*, tum quia in bulla excipitur tantum articulus mortis, tum quia contrarium nullo jure probatur. Non autem suffragatur epikeja, ut ait, in hoc casu, ubi constat de contraria intentione Pontificis; nec obstare addit textus infra citan-

(1) *l. c. n. 4.* — (2) *ut dicit Ronc. l. c. cum Pal. et Farinac.* — (3) *de censur. disp. 1. q. 22. p. 2. n. 22.*

dos, quia vel ibi non datur facultas absolvendi episcopis, vel, si datur, hæc revocata fuit per bullam cœnæ, sicut fuit revocatum decretum Tridentini. Excipit tamen *Bonacina* (1) casum gravis necessitatis, v. gr. celebrandi, communicandi et similis.

Secunda sententia concedit episcopis absolvere a cæteris casibus, sed negat ab hæresi. Ita *de Alexandris* (2). Ratio, cur excipit hæresim, quia in generali concessione (puta in jubilæo) absolvendi a casibus bullæ, non datur facultas absolvendi ab hæresi, ut declaravit *Gregorius XIII.* Sed hæc ratio debilis est; nam ex infra dicendis hæc facultas non oritur ex concessione, sed ex epikeja et præsumpta mente Pontificis.

Tertia sententia communis, cui subscribo, docet, episcopos posse per se vel per alios ab eis specialiter delegatos absolvere in utroque foro legitime impeditos ab omnibus casibus, et etiam ab hæresi, præstito tamen juramento ab eo, qui absolvitur, de se præsentando postea superiori, ut infra dicetur (3). Ratio, quia existente impedimento adeundi Papam restituitur episcopis potestas ordinaria, non jam vi Tridentini, sed vi juris communis; et probatur ex *c. Ea noscitur 13. de sent. excomm.*, ubi: *Mulieres, senes et valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad apostolorum sedem non veniant, ab episcopis valeant fidelium communioni restitui.* Idem sancitur in *c. Quamvis 58. eod. tit.*, ubi habetur, quod percussor clerici a sede apostolica absolvi debet: *Nisi* (additur) *imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia aut inopia, puerili vel senili ætate, fragilitate sœxus seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire.* Idem in *c. De cætero* et in *c. Nuper 20. eod. tit.*, ubi in fine generalius dicitur, quod,

(1) *n. 23.* — (2) *conf. mon. c. 6. § 8. q. 3. et 4.* — (3) *ita Pal. disp. 1. p 2. §. 5. n. 6., Ronc. d. q 2. r. 11., Laym. de censur. c. 2. n. 63., Conc. p. 445. n. 13. cum communi, Lugo de pœnit. n. 218., Salm. tr. 10. c. 2. p. 5. n. 63. et tr. 18. c. 4. p. 4. §. 11. n. 164., Viva in prop. 3. Alex. VII. n. 5., Milante ib. cum Coninchio, Avila, Corn. etc., Potesta t. 1. n. 3347. cum Tamb., Donato, Leand., Pelliz., et communi theologorum et canonistarum, ut testatur Ronc. l. c.*

quoties difficulter quis ex justa causa possit accedere pro absolutione excommunicationis ad eum, a quo absolvendus esset, *a suo absolvatur episcopo vel proprio sacerdote.* Quamvis autem prædicti canones loquantur de censura ob percussionem clerici, quia hæc frequentior est, tamen communiter DD. extendunt ad omnes alias censuras, in quibus currit eadem ratio salutis animarum, ex *c. Cum dilectæ, de confirmat. etc.*; nam ibi notat glossa: *Ubi eadem ratio, idem jus debet esse* (1). Immo (2) in *c. Eos, qui 22. de sentent. excomm. in 6.* universe sancitur, omnes casus papales, quando adest impedimentum Papam adeundi, posse ab alio absolvi; sic enim ibi habetur: *Eos, qui a sententia canonis vel hominis, cum ad illum, a quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeunt propter impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvantur.* Per quæ verba *a sententia canonis* intelliguntur omnes casus Papæ reservati, ut notat ibi glossa verbo *canonis.*

85. — *Quæritur 4.*, quinam dicantur legitime impediti. Dicuntur (3) mulieres, senes, valetudinarii. Adduntur (4) pueri, pauperes, habentes inimicitiam, *vel alias justas excusationes* (5), *quibus ab itinere rationabiliter excusentur.* His verbis comprehenduntur omnia alia justa impedimenta, quæ infra adnotabimus.

86. — Sed hic præcedenter advertendum, quod, si impedimentum sit ad breve tempus, tunc innodatus censura reservata non potest ab alio absolvi, nisi urgeat necessitas celebrandi aut communicandi, nempe ad evitandum scandalum aut infamiam. Si tamen impedimentum sit ad longum tempus, puta ad annum vel sex menses (imo *Mendoza ap. Viva* (6) ad unam noctem; sed *Viva* non admittit neque ad biduum, quia in tali spatio non adest morale periculum mortis), tunc, excepto impedimento ætatis puerilis, quisque alius impeditus non debet absolvi, nisi præstito prius juramento, quod cessante impedimento ad sedem apostolicam quantocius se præsentabit (7): alias

(1) *ita Salm., Potesta, Ronc. etc. l. c.* — (2) *ut bene notat Ronc. ib.* — (3) *ut habetur ex d. c. Ea noscitur 13. de sent. excomm.* — (4) *in c. Quamvis.* — (5) *ut dicitur in c. De cætero eod. tit.* — (6) *in prop. 3 Alex. VII. n. 6.* — (7) *ut habetur ex c. De cætero de sent. excomm.*

omittens se præsentare reincidet in eamdem excommunicationem (1); et iste ab hac obligatione se præsentandi non excusatur, etiamsi confessarius omittat illam ei imponere, cum ea sit imposita a jure (2). Sufficit autem, ut reus se præsentet per procuratorem: *Salm.* (3) *cum Cajetano, Leandro, Avila et Potesta* (4), qui excipit casum percussionis clerici, pro quo (5) taxative exigitur persona.

87. — Sed hic *dubitatur*, an, si aperte constet, reum esse omnino emendatum et partibus satisfecisse, ipse excusetur a tali præsentatione.

Prima sententia affirmat (6). Ratio, quia, ut dicunt, finis Pontificis non est alius quam emendatio rei et partium satisfactio; idque inferunt ex *c. Quamvis de sent. excomm.*, ubi nulla alia ratio præsentationis exprimitur, quam ut reus excipiat mandatum satisfaciendi: *ad apostolicam sedem accedant, mandatum ipsius humiliter susceperi.*

Secunda sententia vero communior et probabilior negat (7). Ratio, quia mandatum, ad quod suscipiendum tenetur reus se præsentare, non solum suscipi debet ad implendam satisfactionem partis læsæ; obligatio enim hæc de ipso jure naturæ in omni læsione est insita; sed etiam ad exequenda cætera, quæ a Pontifice imponuntur ad cavendum idem crimen futurum (8), tanto magis, quod in *eod. c. Quamvis* supponitur casus de eo, qui jam satisfecerit. Et pro casibus bullæ cœnæ id in eadem bulla circa finem expressum est, his verbis: *A prædictis censuris nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc nisi de standi ecclesiæ mandatis et satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit.* Ubi observa, bene distingui obli-

(1) *exc. Eos. qui de sent. excomm. in 6.; vide Roncaglia d. q. 4. r. 11. cum Mansi.* — (2) *Sanch. l. 2. c. 13. n. 50, Salm. de cens. c. 2. p 4. n. 46.* — (3) *de cens. c. 2. p. 5. n. 66.* — (4) *n. 3351.* — (5) *in c Quod de his de sent. excomm.* — (6) *et hanct enent Navarr. man. c. 26. n. 26., item Avila, Cornejo, et Henr. ap. Salm. d. n. 66., qui putant probabilem saltem extrinsece.* — (7) *quam tenent Suar. t. 4. in 3. p. d. 30. s 3. n. 6., Sanch. dec. l. 2. c. 13. n. 29., Laym. de cens. c. 6. n. 4. et Salm. l. c. in fine.* — (8) *ut dicit Croix l. 7. n. 164. cum Suar., Sanch. etc.*

gationem standi ecclesiæ mandatis, et satisfaciendi, id est parti læsæ.*)

88. — Si autem impedimentum sit perpetuum, absoluti omnino manent liberi ab onere comparendi (1). Dicuntur autem perpetuo impediti: 1) Filiifamilias (2); 2) regulares (3), etiamsi censura incursa sit ante ingressum in religionem (4): hi enim absolvi possunt a suis prælatis: nisi (excipitur (5) *excessus extiterit enormis* (6); 3) senes (7), quamvis hi sint potentes ad ambulandum (8). Nomine autem *senium* veniunt non solum septuagenarii (9), sed etiam sexagenarii, ut probabiliter *P. Viva l. c.* (10): non vero quinquagenarii, ut improbabiliter dicit *Farinac.* (11). 4) Servi; 5) pauperes, scilicet qui ob inopiam nequeunt Romam petere (12). Secus, si inopia iter non impediret, ut evenit in medicis vagabundis; et sic intelligitur textus in *c. Ea noscitur de sent. excomm.*, ut explicat ibi glossa *v. pauperes*. Nemo autem tenetur accedere mendicando (ut ait *Potesta*), si ad hoc non sit solitus (13). 6) Carceribus vel triremibus perpetuo damnati et similes; 7) infirmi, scilicet laborantes longa et gravi ægritudine, licet non mortifera, puta quartena, ut dicunt *P. Milante* (14), *Salm.* (15), *et Potesta cum Palao*; qui his addunt debiles sive delicatos, non valentes ferre labores itineris. Sed pro istis, nisi periculum sit in mora, consulendus est Papa (16). 8) Cura obstricti alendi sive administrandi familiam, vel

(1) *Bon. d. 1. q. 3. p. 2. n. 4., Conc. p. 445. n. 13., Cont. Tourn. de cens. p. 1. c. 5. v. possunt 2., Viva de sacr. pœnit. q. 9. a. 2. n. 8., Potesta n. 3349., Ronc. d. q. 4. r. 11.* — (2) *argum. c. Mulieres, et c. Relatum de sent. excomm.* — (3) *ex c. Monachi 2. et c. Cum illorum 32. §. Qui de sent. excomm.* — (4) *ut Ronc. p. 82. q. 6., Barb. alleg. 41. n. 17., et Holzmann de pœn. eccl. n. 126.* — (5) *in d. c. 32.* — (6) *vide alia circa percussionem n. 280.* — (7) *ex c. Ea noscitur de sent. excomm.* — (8) *ut Barb. n. 27. cum Sylv., Sayr. et Graff.* — (9) *ut ait P. Milante in prop. 3. Alexand. VII.* — (10) *juxta dicta de jejun. l. 4, 1036.* — (11) *ap. Barb. et alii ap. Vivam.* — (12) *ut in c. Quamvis de sent. excomm.* — (13) *ut notat Palaus p. 23. n. 18.* — (14) *in prop. 3. damn. ab Alexandro VII. et Innoc. III.* — (15) *de cens. c. 2. p. 5. n. 64.* — (16) *ex cap. Mulieres de sent. excomm.*

*) Et ad hunc modum suam sententiam reformavit *s. Alphonsus* in retractatione 93. *Editor.*

publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico detrimento (1); 9) mulieres, non solum moniales, de quibus est certum ex *c. De monialibus 33. de sent. excomm.*, ubi earum absolutio remittitur episcopis; sed omnes mulieres. Ratio, quia, dum in *c. Quamvis de sent. excomm. et c. Ea noscitur eod. tit. in 6.*, fœminæ excusantur a se præsentando, non alia ratio assignatur, nisi quia fœminæ sunt (2). Hic autem advertendum, quod moniales non possunt absolvi ab episcopo a censura ob violationem clausuræ, etiam occultam, excepto mortis articulo, ex declaratione *Gregorii XIII.*, ut diximus *l. 6, 593.* Pontifex enim illam sibi specialiter reservavit, quamvis sciret, moniales esse perpetuo impeditas. 10) Impuberes, quorum absolutio ex jure ordinario datur episcopis (3). Ideoque hi sunt exempti ab onere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant; *Salm.* (4) *cum Coninch., Cornejo, Avila; et cap. fin. de sent. exc.*, ubi assignatur ratio: *Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit temperandus.* Recte autem *Avila ibid.* advertit, quod, si sacerdos carens facultate absolvendi absolvat impuberem in periculo mortis a censura papali, debet ei imponere, ut extra periculum se præsentet episcopo. Etiam impediti censentur illi, qui simul vitam ducunt, ut milites, vel qui in seminario morantur: unde hi ab episcopis absolvi possunt a casibus Romano Pontifici reservatis (5) *ex c. Quoniam de vita et honest. cler.*, ubi datur facultas episcopo absolvendi eos, qui simul vivunt, si quis eorum clericum socium percusserit, modo percussio non fuerit enormis. *Denique* censentur impediti, quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali vel temporali suo vel suorum (6), *ex c. Quamvis de sent. excomm.*, ubi dicitur excusari, *sive quolibet impedimento canonico retrahatur.* Ut autem hi supra enumerati dicantur perpetuo impediti, sufficit, ut tali impedimento laborent per decennium, et secundum *Tamb.* (7)

(1) *Laym., Potesta et Pal.* — (2) *ita Salm. de cens. c. 2. p. 5. n. 68., Milante in d. prop. 3., Cont. Tourn. l. c. et Pal. p. 23. n. 8., ac Barb. n. 30. cum Nav., Bonac. etc.* — (3) *in c. fin. de sent. excomm.* — (4) *ib. n. 67.* — (5) *ut Milante in d. prop. 3. et Barb. alleg 41. n. 16. cum Nav., Bon. etc.*
(6) *Viva l. c.* — (7) *in dec.*

etiam per quinquennium, et consentit *Viva* (1) *et Ronc.* (2). Leviter autem clericos percutientes semper possunt absolvi ab episcopo (3).

89. — *Quæritur 5.*, an impediti adire Romam in persona teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem, ad absolutionem a prædictis casibus obtinendam. Affirmat *Bonacina* (4), cui adhæret *Potesta* (5), putans, quod pro casibus occultis recurrendum sit per epistolam ad s. pœnitentiariam, quando commode fieri possit, et aliqua necessitas non impediat; quia ad hoc est s. pœnitentiaria a Pontifice constituta. Hæc sententia est probabilis; sed probabilior et communis est sententia negativa (6). Ratio, tum quia, stante impedimento Romam adeundi, restituitur, ut diximus, ex jure episcopis potestas ordinaria absolvendi per reservationem bullæ ablata; tum quia (7) jus non obligat reum, nisi ut personaliter adeat Papam: unde, si id præstare nequit, ad aliud non tenetur. Præterea, addit bene *Roncaglia*, obtinere absolutionem a s. pœnitentiaria, est privilegium: sed privilegia, utpote favorabilia, nullam inducunt obligationem iisdem utendi. Et sic pariter ab episcopo in casu impedimenti reus absolvi potest; etiamsi adsit nuntius apostolicus, qui possit facile adiri, ut probabilius tenent (8). Sicut enim nuntius, ita et episcopus tunc absolvere potest ex delegatione Pontificis.

90. — *Quæritur 6.*, an casu, quo hæreticus sit impeditus recurrere ad Papam, possit episcopus eum absolvere (juxta sententiam mox supra relatam in quæst. 3.), non solum per se, sed etiam per alios. Jam diximus

(1) *in prop. 3. Alex. VII. n. 6.* — (2) *d. q. 4. r. 11.* — (3) *ex arg cap. Pervenit de sent. excomm.; vide dicenda n. 279.* — (4) *d. 1. q. 3. p. 2. n 4.* — (5) *t. 1. n. 3346.* — (6) *cum Ronc. d. q. 4. r. 11., qui vocat tutissimam sententiam, Milante in prop. 3. Alex. VII., Viva ib. n. 7., Pal. d. 1. p. 11. §. 5. n. 6., et Sporer n. 750. cum communi, et Salm. de cens. c. 2 p. 5. n. 65. cum Coninch., Henriq., Dic., Avila, Diana, Coninch.; vide dicta l. 6, 563. v. dub. 3.; idem dicit Sanch. dec. l. 4. c. 13. n. 13., qui excipit casum hæresis, et hanc exceptionem rejiciunt Pal. d. 1. p. 2. §. 5. cum Aversa et Dic. ap Croix l. 6. p. 2. n. 1624.* — (7) *ut ait Ronc. l. c.* — (8) *Ronc. et Salm. eod. n. 65. cum Corn., Diana, Avila, Henr. et Lugo ap. Croix l. c. (contra Mol., Bon., Coninch. etc. ap. Salm. l. c. in fine).*

supra in quæst. 2. *n. 82.*, quod extra casum impedimenti non potest episcopus absolvere ab ullo casu in bulla cœnæ reservato, et tanto minus delegare In casu vero impedimenti dicimus(1), valde probabiliter posse episcopum ab omnibus casibus pontificiis, etiam hæresis, absolvere et delegare, non solum specialiter in casu particulari, sed etiam generaliter. Nec obstat Tridentinum in laudato *c. Liceat*, ubi, cum sermo fit de hæresi, dicitur: *Eis tantum, non eorum vicariis* (absolvere) *sit permissum.* Nam recte respondent AA. citati, quod id procedit juxta antiquum præscriptum Tridentini, ubi concessum erat episcopis absolvere ab hæresi occulta etiam extra casum impedimenti; sed cum agitur de impedito ab adeundo Pontificem, facultas hæc absolvendi ab hæresi aliisque casibus bullæ cœnæ competit episcopis non jam vi Tridentini, sed vi juris communis, ut communiter loquuntur DD., utque late probavimus in dicta *quæst. 3. n. 84.* ex pluribus textibus ibi allatis. Unde, cum in casu impedimenti prædicta facultas de jure ordinario spectet ad episcopos, eo quod est annexa ipsi episcopali officio et dignitati, ideo ipsi bene possunt generaliter eam delegare. Et hoc est juxta communem doctrinam AA., nempe quod omnes, qui habent potestatem ordinariam, possunt eam delegare(2), ex *l. More 5. de jurisd. omnium judic.*, ubi expressum habetur: *Is demum jurisdictionem mandare potest, qui eam suo jure* (id est *ordinario*, ut explicat ibi glossa), *non alieno beneficio habet.* Certum contra est, quod, cum alicui prælato aliqua potestas conceditur et ejus officio sive dignitati annectitur, illa est vel saltem æquiparatur potestati ordinariæ(3).

91. — *Quæritur 7.*, an, quando ob mortis periculum vel ob aliud impedimentum absolvitur ab inferiore peccatum reservatum, sed absque censura, imponendum sit

(1) *cum Bonac. in bulla cœnæ d. 1. q. 22. p. 2. n. 14., Ronc. p. 81. c. 6. q 4. r. 2. v. quod si, et de Alexandro confess. moniat. c. 6. §. 8. q. 3.* — (2) *ut docent Salm. tr. 11. de legib. c. 5. p. 4. §. 3. n. 51. et tr. 17. de voto c. 3. p. 10. n. 83. cum communi, Cont. Tourn. t. 2. de leg. p. 194. v quod spectat, Holzm. de leg. n. 485. et alii passim.* — (3 *ut docent iidem Salm. dict. c. 5. de leg. p. 4. §. 3. n. 50., et Laym. l. 1. tr. 5. c. 22. n. 6., qui id probat ex l. 1. ff. de offic. ejus cui comm. est jurisd., et ex c. Quoniam de offic. deleg.*

onus pœnitenti, ut superiori se præsentet. Negant *Sanchez* (1) *cum Corduba*, *Zambrano*, item *Salm.* (2), qui citant *Suarez* (3), sed non bene, ut infra videbimus. Ratio, ut ajunt, tum quia eo casu directe absolvitur peccatum, tum quia nullo jure cavetur tale onus comparendi. Sed omnino distinguendum: Si peccatum sit absolutum in articulo sive periculo mortis, tunc nulla remanet obligatio se præsentandi ad superiorem, quia tunc vere directe peccatum fuit absolutum, cum eo casu cesset omnis reservatio (4). Secus vero, si peccatum est absolutum ab inferiore propter aliquod impedimentum adeundi superiorem extra mortis articulum, quia tunc nullus inferior potest directe absolvere a reservatis, sed tantum indirecte (5). Unde pœnitens, ut postea directe a superiore absolvatur, omnino cum convaluerit, tenetur eum adire; ita communissime (6).*)

92. — *Quæritur S.*, an impediti adhuc episcopum adire pro his censuris vel aliis reservatis possint a quocumque confessario absolvi. Negant communius *Suarez*, *Lugo*, *Decius etc.* (7), quia hoc in jure conceditur tantum episcopis, nec in lege positiva valet argui a pari. Sed probabiliter affirmant, cum onere tamen comparendi ad episcopum cessante impedimento (8). Ratio, tum quia, ubi eadem est ratio, idem jus debet esse, ut dicit glossa in *c. Cum dilecta de confirm.*; tum quia non deest lex hoc expresse indulgens; nam in *c. Nuper 29. de sentent. excomm.* habetur, ut supra annotavimus, quod impeditus ex justa causa adire superiorem jus habentem absolvendi a censura, *a suo absolvatur episcopo vel proprio sacer-*

(1) *dec. l. 2. c. 13. n. 24.* — (2) *de censur. c. 2. p. 4. n. 46.* (3) *in 3. p. t. 4. d. 30. s. 3. n. 6.* — (4) *ut recte docent Suar. d. n. 6. et Salm. de pœnit. c. 11. p. 2. n. 21. cum Palud. et Nav., ac Diana p. 5. tr. 3. r. 66. cum Gran., Præp., Hurt. etc.* — (5) *juxta dicta l. 6, 585. v d. 1.* — (6) *Suar. l. c. n. 8., Laymann de pœnit. c 12. n. 10. cum Nav., Soto, Coninch., Ricc etc. et Ciera de cas reserv. n. 164. cum communi, ut asserit.* — (7) *ap. Viva de pœnit. q. 9. a. 2. n. 9.* — (8) *Ronc. d. c. 6. q. 4. r. 3., Pal. d. 2. p. 11. §. 5. n. 6., Sporer n. 750., Croix l. 6. p. 2. n. 1624. cum Nav., Abb., Ang. et Tab., Salm. de cens. c. 2. p. 5. n. 93. prope finem cum Tanner, Sylv, Henr., Viva l. c. cum Perez, Hurt., Gran., Dic., Boss. et Cœlest.*

*) Confer retractationem 84. *Editor.*

dote. Sub nomine autem *proprii sacerdotis* venit quidem quilibet confessarius, ut notat ibi glossa ex *c. ult. q. 26.*, et recte inferunt *Salm.* (1) *ex c. Omnis etc. de pœnit. et rem.*, ubi præcipitur, quemque semel saltem in anno confiteri *proprio sacerdoti*, qui communiter intelligitur quivis confessarius, ut probavimus *l. 6, 564. et 670*. Si igitur non potest verificari casus, quod sacerdos absolvat reum a censuris Pontifici reservatis, quando episcopus adiri potest, saltem verificari debet, quando episcopus adiri non potest (2). Imo *Palaus l. c.* dicit, ex vi prædicti textus impeditum adire Papam posse indistincte absolvi a proprio sacerdote. Sed probabilius puto (3), hoc non admittendum, nisi quando non patet facilis recursus ad episcopum; nam to *a suo episcopo vel proprio sacerdote* communissime DD. interpretantur non disjunctive, sed subrogative, nempe quando episcopus nequit adiri. Tanto magis, quod in *c. De cætero 11.* et *c. Ea noscitur 13.* expresse disponitur, quod, cum non potest adiri Pontifex, adeatur episcopus. Satis etiam probabile est (4), ut notavi *l. 6, 563. v. dub. 1.*, quod in articulo sive periculo mortis quilibet confessarius possit, etiam præsente episcopo, absolvere a casibus papalibus, quia tunc omnis reservatio cessat. Nec obstant textus mox supra citati in *c. 11. et 13. de sent. excomm.* Nam probabiliter respondet *Sanchez* cum aliis ut supra, eos procedere tantum in casu percussionis clericorum, de quo loquuntur, non vero in aliis. Præterquam quod nullum expressum inveni textum, qui in articulo mortis præscribat, quod infirmus ab episcopo absolvatur a censuris Pontifici reservatis. Excipit tamen *Sanchez l. c.* cum aliis, si casus Pontifici reservatus esset occultus, quia tunc jure ordinario potest episcopus ab illo absolvere, vi Tridentini in laudato *c. Liceat.* Unde censet, tunc omnino adeundum episcopum, si ad eum est recursus, cum ipsi tunc reservatus sit casus. Sed hoc non obstante mihi et aliis junioribus videtur probabile, etiamsi crimen fuerit occultum, posse absolvi in periculo mortis a simplici confessario, adhuc

(1) *de cens. c. 3. p. 14. n. 164.* — (2) *ut recte arguunt Roncagl. et Salm. ll. cc cum Henr. et Diana.* — (3 *cum Sporer n. 761., Salm. eod. tr. c. 2. p. 5. n. 63., Roncagl. l c. et aliis communiter ut supra.* — (4) *cum Suarez, Sanchez et Mol.*

præsente episcopo, quia in tali periculo, ut diximus, cessat omnis reservatio quorumcumque peccatorum et censurarum, ut docet Tridentinum (1). Neque in hoc mihi contradixi dicto *n. 563. dub. 1.*, ubi videor oppositum tradidisse; nam ibi sermo fit de censuris ab eodem episcopo reservatis, et eo casu, cum confessarius debeat imponere pœnitenti, ut, postquam convaluerit, se præsentet episcopo ad congruam pœnitentiam ab eo accipiendam, ut communiter docent DD. (2) ex *c. Quod de his* et *c. Sæpe de sent. excomm.*, ac signanter ex *c. Eos, qui*, ubi id expressum habetur: notantque ibi (3), quod eo casu pro foro externo confessarius debet exigere a pœnitente juramentum se præsentandi superiori, cum primum poterit, (sed pro foro interno dicunt sufficere promissionem); ideo præsente episcopo infirmus nequit absolvi a simplici confessario. At quando agitur de censuris papalibus, non debet infirmus, elapso periculo, se præsentare episcopo, sed Pontifici; unde cessat ratio, cur præsente episcopo non possit absolvi. An autem in articulo mortis laicus aut simplex clericus possit absolvere a censuris, deficiente sacerdote? Probabilius negandum juxta dicta *l. 6, 540.*

An vero habens peccata et censuras reservatas teneatur ea exponere confessario non habenti super eis potestatem, casu quo urgeat necessitas communicandi aut confitendi, et aditus non pateat ad superiorem? Vide dicta *de euchar. l. 6, 265. v. quær. 2.*, ubi diximus, teneri. Vide ibi rationem.

Si quis autem est impeditus adire episcopum, an possit simplex confessarius eum absolvere a casibus et censuris ab eodem episcopo reservatis? Respondet *Roncaglia* (4) *cum Hurtado et Diana*, quod, si impedimentum esset diuturnum, poterit absolvi, cum obligatione tamen comparendi coram superiore cessante impedimento. Si vero impedimentum sit perpetuum, poterit absolute absolvi. Attamen *Laymann*(5) *cum Suarez, Soto, Coninch. etc.* dicunt, casu, quo urgeat necessitas, et episcopus longe distet,

(1) *sess. 14. c. 7.* — (2) *cum Salm. de pœnit. c. 11. p. 2. n. 21. et Tamb. de cas. res. l. 5. c. 10. §. 4.* — (3) *Tamb. n. 7. cum Fill., Boss. et Pasqualigo, ac Viva in prop. 3. Alexand. VII. n. 5. cum Val., Nav., Bordono etc.* — (4) *tr. 4. c. 6. q. 5.* — (5) *de pœnit. c. 12. n. 10.*

simplicem confessarium posse pœnitentem absolvere directe tantum super non reservata, et indirecte super reservata.

93. — *Quæritur 9.*, quomodo episcopi hanc facultatem eis concessam in *d. c. Licet*, tam dispensandi in irregularitatibus quam absolvendi a casibus reservatis occultis, possint aliis delegare.

Prima sententia (1) dicit, non posse episcopos hanc facultatem generaliter delegare, sed tantum specialiter in aliquo casu particulari, qui occurrit.

Secunda sententia vero probabilior (2) docet, bene posse episcopos generaliter committere hanc facultatem tam dispensandi quam absolvendi alteri specialiter ad hæc deputato. Idque testatur *Suarez* sic esse receptum et interpretatum a consuetudine, quæ est optima legum interpres. Imo probabiliter dicunt (3), quod non solum alius specialiter deputatus, sed etiam quicumque, cui episcopus generaliter suam facultatem committit, potest dispensare in irregularitatibus et absolvere a suspensionibus reservatis occultis. Ratio, quia concilium facultatem circa hæc non limitat, sicut limitat in secunda parte facultatem absolvendi a casibus: unde, cum eam habeant episcopi de jure ordinario, generaliter possunt eam delegare, nulla facta speciali deputatione ad ipsa. Bene autem advertit *Palaus* (4), episcopum non posse dispensare in irregularitatibus (vel absolvere a suspensionibus reservatis) cum alienigenis, etiamsi ipsi habeant quasi domicilium in sua diœcesi, ex declaratione *Gregorii XIII.*, relata *l. 6, 593.*

94. — „*Resp. III.* Multi religiosi, præsertim Mendican„tes, possunt ex suis privilegiis, in foro tamen interno „tantum, a variis censuris absolvere (5). Quare a supe„rioribus suis illa privilegia petant, cum ad confessiones

(1) *quam tenent Henriq., Menoch. et Cord. ap. Sanch de matr. l 2. d. 40. n. 16.* — (2) *quam tenent Suar. t. 4. d. 30. s. 2. n. 9., Sanch. l. c. n. 17., Laymann l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2., ac Croix l. 7. n. 135.* — (3) *Sanch. ib. n. 25., Barb. in Trident. d. c. 6. sess. 24. n. 45. v ego tamen; et idem clare sentit Suarez l. c. d. 41. s. 2. n. 8.* — (4) *de leg. d. 6. p. 8. §. 2. n. 7.* — (5) *vide Diana p. 9. t. 4. res. 63.*

„audiendas exponentur, et circa ea sequentes regulas se„quantur.*)

95. — Quoad regularium autem facultatem in reservata distinguenda est facultas, quam habent erga sæculares, ab illa erga subditos.

Et 1) quoad *sæculares*, olim regulares absolvere poterant eos a censuris tam a Pontifice quam ab episcopis sibi reservatis, ex diversis privilegiis (1), nempe *Eugenii IV.*, *Urbani IV.*, *Pauli III.*, *Julii II.*, *s. Pii V.* etc. Verum (2) *Clemens VIII.* die 26. Nov. anni 1602 et *Paulus V.* 7. Januarii 1607 limitarunt talem facultatem et declaraverunt, eos extra Romam et intra Italiam non posse absolvere sæculares a casibus Papæ reservatis in bulla cœnæ; nec ab aliis sex celebribus illis, nempe percussionis clericorum, duelli, violationis immunitatis, violationis clausuræ monialium ad malum finem, simoniæ realis et simoniæ confidentialis in beneficiis (3); nec pariter a casibus, quos ordinarii sibi reservant. Deinde s. congregatio de mandato *Urbani VIII.* 17. Novemb. 1627 sic sancivit: *Per confirmationes privilegiorum, quas regulares a sede apostolica post sacrum concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem concilio, ac deinde etiam ipsius congregationis decretis sublata atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus ordinario reservatis; quemadmodum nec indulta absolvendi a casibus contentis in bulla, quæ in die cœnæ Domini legi consuevernnt, utpote sublata per annuam ipsius bullæ publicationem, vires ac robur acquisivisse ex sequentibus privilegiorum confirmationibus. Ac proinde regulares cujusvis ordinis etc.* Ibique additum fuit: *Ab aliis casibus et censuris* (præter casus bullæ cœnæ) *sedi apostolicæ reservatis absolvendi facultatem extra Italiam minime sublatam fuisse ejusdem S. C. decretis hac de re editis jussu Clementis VIII.*

(1) *quæ referunt Salm. de sacr. pœnit. c. 13. p. 3. n. 51.* (2) *ut testantur ipsi Salm. ib et Viva in prop. 12. Alex. VII. n. 1.* — 3) *decretum Clementis in extensum refert P. Milante in prop. 12. Alex. VII. t. 1. p. 98.*

*) Sequuntur regulæ infra n. 109—114. *Editor.*

96. — Sed *dubitatur 1.*, an regulares possint absolvere sæculares a casibus papalibus.

Prima sententia negat (1) ex decreto *Pauli V.*, quo sancitum fuit: *Ac insuper, ut nulli ex sacerdotibus prædictis* (scilicet sæcularibus et regularibus) *quibuscumque privilegiis, indultis et facultatibus suffulti, ab excommunicationibus vel casibus eisdem ordinariis vel sedi apostolicæ reservatis, præterquam in articulo mortis, absolvere audeant vel præsumant.*

Secunda sententia tamen probabilior (2) docet, regulares posse absolvere sæculares a casibus papalibus occultis; et probant ex privilegio societatis Jesu, in quo communicant omnes regulares, ut notat *Potesta* (3), concesso a *Paulo III.* anno 1545. In dicto privilegio, cujus verba refert *Potesta ib.*, conceditur absolvere fideles *ab omnibus peccatis, etiam sedi apostolicæ res rvatis, exceptis contentis in bulla cœnæ etc.: necnon vota quæcumquc, exceptis votis castitatis, religionis etc.* Nec obstare, dicunt *Pell.* (4) *et Bon.* (5). laudatum decretum *Pauli V.*; nam prohibitio ibi facta de absolvendis casibus papalibus refertur ad casus in decreto *Clementis VIII.* reservatos, quod *Paulus V.* et inde *Urbanus VIII.* confirmarunt et innovarunt. ut referunt *Bonacina*, *Viva etc.* Ibi enim tantum casus bullæ cœnæ et alii sex enunciati excepti fuerunt.

97. — Quod autem tuentur *Pelliz. ap. Viram et Rodriquez ap. Potestam*, scilicet ex præfato privilegio posse regulares absolvere etiam a papalibus pro foro fori, merito rejicit *Potesta* (6): nam ex verbis privilegii: *Confessionibus auditis*, atque *pœnitentiam salutarem injungendi*, satis constat, facultatem pro solo foro interno esse concessam.

98. — *Dubitatur 2.*, an religiosi possint absolvere sæculares a casibus ab episcopis sibi specialiter reservatis. Affirmarunt *Suarez*, *Hurtadus etc.* (7). Ratio, quia, qui potest

(1) *cum Viva in prop. 12. Alex. VII. n. 14., Bord. et Floron.* — (2) *quam tenent Bonac. p. 2. n. 18., Salm tr. 18. de privileg. c. 4. p. 2. § 10 n. 153., atque Aversa et Pell. ap. Vivam l. c. n. 13. et 14.; et sequitur Potesta t. 1. de min. pœn. c. 5. n. 3458. cum Peyr., Donato, Rodr., Vidal, Joan. de la Crux, et ipse Viva se revocans id admittit in tract. de cens. q. 2. art. 2. n. 6. et 7.* — (3) *n. 3459.* — (4) *ap. Vivam.* — (5) *n. 19.* — (6) *n. 3465.* — (7) *ap. Salm. de cens. c. 2. p. 4. n. 40.*

majus (nempe absolvere a papalibus), potest etiam minus, scilicet absolvere ab episcopalibus. Et huic opinioni inclinarunt *Rodriq.*, *Quintanadv.*, *Cand etc.* (1) ob privilegia postea et iterum regularibus concessa. Nec obstare dicebant decreta s. congregationis de mandato *Clementis VIII.* et *Urbani VIII.*, cum talia decreta non habeant vim legis. His tamen non obstantibus omnino tenendum est oppositum, cum præfata decreta fuerint confirmata ab iis Pontificibus pro tota ecclesia ipsorum speciali mandato, et ideo vere habent vim legis, juxta communem doctrinam relatam *lib. 1, 106.* Insuper (2) prædicta opinio satis evasit improbabilis post prop. 12. damnatam ab *Alexandro VII.*, quæ dicebat: *Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.* Hæc enim proscriptio sola sufficit ad privilegia revocanda.

99. — *Dubitatur 3.*, an regulares privilegiati possint absolvere a censuris episcopis reservatis a jure vel a consuetudine. Adest duplex sententia probabilis.

Prima sententia negat (3): quia in decreto citato *Pauli V.* fuit regularibus sublata facultas absolvendi a censuris ordinariis reservatis.

Secunda sententia tamen probabilior affirmat, quam tenent *Concina* (4), *Sporer* (5), *Croix* (6), *Salm.* (7); et sequitur se revocans *Viva* (8), qui docet, posse absolvi a regularibus censuras episcopis reservatas a jure communi. Quænam autem sint censuræ, vide infra apud *Busembaum n. 213.* Excipe tamen eas, quas episcopi sibi reservant. Ratio, quia, licet in decretis *Pauli V. et Urbani VIII.* regularibus vetetur absolvere a casibus ordinariis reservatis, attamen hoc verius intelligitur (9) de casibus tantum ab ordinariis sibi reservatis, cum hæc decreta sint (ut supra diximus) confirmativa decreti *Clementis VIII.*,

(1) *ap. Vivam in d. prop 12 n. 4.* — (2) *ut recte dicunt Salm. l. c. prope fin. et Viva de cens. q. 2. art. 2. n. 7.* — (3) *et hanc tenent Cabassut. theoria jur. l. 1. c. 11., Conc. de pœnit. p. 571 n. 8, Milante in prop. 12. damn. ab Alexandro VII., et Viva in d. prop. 12. n. 14. cum Bordono et Florono.* — (4) *de cens. p 447. n. 17* — (5) *de pœnit. n. 745.* (6) *l. 6. p. 2. n. 1628.* — (7) *de sacrament. pœnit c. 13. p. 3. n. 52. cum Sanch., Aversa, Lez., Pelliz., Peyr., Diana etc.* (8) *in tr. de cens. q. 2. art. 2. n 7.* — (9) *ut dicunt Salm. l. c. et Aversa, Lez., Leand. ap. Vivam d. prop. 12. n. 13.*

ubi dicitur: *Nec a casibus, quos ordinarii reservarunt aut in posterum sibi reservabunt.* Notatque recte *Suarez* (1), quod casus a jure episcopis reservati reipsa magis dicendi sint episcopis delegati, quam reservati. Omnino tamen excipiendi sunt sex casus expressi in decreto edito jussu *Clementis VIII.* ut supra. At hoc intelligendum intra Italiam, ut explicavit *Urbanus VIII.* prout supra *n. 95.*; nam extra Italiam vel in Urbe, ut dicitur in decreto *Clementis*, bene possunt regulares absolvere ab omnibus censuris, quæ a jure sunt episcopis reservatæ, et intra Italiam regulares possunt absolvere a censura propter abortum fœtus animati, cum hic casus non sit in casibus expressis a *Clemente VIII.* Ita communiter DD. (2). Si vero episcopus hunc casum specialiter sibi reservaverit, tunc nullo modo regulares possunt illum absolvere (3).

100. — Quod autem dicit *Viva* (4) cum aliis, nempe regulares posse absolvere etiam a sex casibus *Clementis VIII.*, quando sunt occulti, ob eamdem rationem ut supra, quia prædicti casus, cum sint occulti, reservantur episcopis, non Papæ, vi Tridentini in *c. Liceat*, id minime probatur: nam in tantum regulares possunt absolvere a casibus episcopis reservatis sive delegatis, in quantum ipsi etiam sunt papales; quare, ablata regularibus facultate absolvendi a casibus *Clementis* uti papalibus, non habent illi, unde hac facultate uti possint, sive casus sint publici sive occulti. Probabiliter autem *Viva* (5) *cum Comitolo* et communiori sententia, cui adhæret etiam *Concina* (6), dicit, posse regulares absolvere casus in synodis reservatos, quando episcopus eos in tabella non exponit; quia eo ipso, quod in tabella non reservat, censetur velle omnibus confessariis facultatem concedere absolvendi ab iis, ex regula: *Non expressum habetur pro omisso.*

101. — 2) Quoad facultatem autem, quam prælati regulares habent erga *suos subditos*, communiter docent DD., posse ipsos subditos absolvere ab omnibus casibus Papæ

(1) *de pœnit. d. 29. s. 3.* — (2) *vide l. 4, 397. v. pariter.* (3) *ut diximus l c. in fine, et lib. 6, 599. v. certum circa finem.* — (4) *de cens. q 5. art. 3. n. 10. et prop 12. damn. ab Alex. VII.* — (5) *q. 2. art. 2. n. 7.* — (6) *p. 447. n. 17.*

reservatis extra bullam cœnæ (1), ex variis privilegiis, quæ congerunt *Salm. l. c.:* quidquid in contrarium dicat *Croix*(2) cum *Dicastillo*. Nam licet ex vi Tridentini in *c. Liceat* non censeatur data prælatis regularibus facultas ibi concessa episcopis, quia videtur concessa tantum iis, qui habent diœcesim propriam, cum in Tridentino dicatur: *in diœcesi sua;* attamen adest privilegium a *s. Pio V.* (3), cujus vi prælati regulares in suos fratres et moniales possunt idem, quod episcopi in suos subditos vi Tridentini in *c. Liceat.* Et licet *Mendo*(4) astruat confutare privilegium *s. Pii*, tamen illud authentice referunt *Salm.* (5), *Viva et Concina*, qui etiam asserit, ipsum confirmatum fuisse cum aliis a *Benedicto XIII.* in const. 79. *Pretiosus*, edita anno 1727, quam refert etiam *P. Milante* (6); qui insuper refert, ab eodem Pontifice concessam fuisse facultatem absolvendi etiam a casibus bullæ cœnæ, exceptis *relapsu in hæresim, falsificatione litterarum apostolicarum, et delatione prohibitorum ad infideles;* generali vero ordinis concessit, *ut ipse solus possit ab irregularitate hujusmodi* (orta ex homicidio) *dispensare cum fratribus sibi subditis, dummodo homicidium non fuerit appensatum, et intra claustra exiterit consummatum.* Nomine autem prælatorum veniunt provinciales et eorum vicarii in ipsorum absentia, vel alii ab eis deputati, ut asserunt *Salm.* (7): necnon veniunt omnes superiores locales, rectores, priores, guardiani etc. (8). Sed post hæc scripta inveni, quod *Clemens XII.* in bulla *Romanus* die 30. Maji 1732 revocaverit omnes constitutiones et privilegia (præsertim contenta in præfata bulla *Pretiosus*) concessa a *Benedicto XIII.*, omniaque reduxit ad pristinum statum. Insuper hic notandum, quod, cum disceptatum fuisset, an revocatio per Tridentinum facta privilegii regularibus concessi absolvendi hæreticos esset vel ne intelligenda pro sæcularibus, non vero pro religiosis subditis: S. C. dijudicavit, intelligi pro omnibus (9).

(1) *ita Salm. de cens. c. 2. p. 6. n. 70., Conc. p. 444. n. 19., Viva in prop. 4. Alex. VII. n. 6. et Potesta de min. pœn. t. 1. n. 3372.* — (2) *l. 8. n. 141.* — (3) *quod in extensum referunt Conc. l. c. et Salm. de sacr. pœnit. c. 13. p. 3. n. 33.* — (4) *ap. Croix l. c.* — (5) *c. n. 33.* — (6) *in prop. 3. Alex. VII. p. 23.* (7) *de cens. c. 2. p. 6. n. 80.* — (8) *ut ait Potesta l. c. n. 3379* (9) *ita refert P. Ferraris bibl. v. absolvere. art. 1. n. 40.*

102. — Possunt etiam prælati regulares absolvere novitios sui ordinis a censuris papalibus (exceptis casibus bullæ) ante ingressum in religionem contractis. Ita *Salmant.* (1) ex privilegio a *Clemente VII.* concesso anno 1530.

103. — Sed *dubitatur 1.*, an dicti prælati possint novitios absolvere etiam a censuris ab episcopis sibi specialiter reservatis. Respondetur negative ex decreto S. C., edito de mandato *Urbani VIII.* ut supra relato; quamvis etiam contradicat *Joan. de la Cruæ apud Salm. l. c.*, cui ipsi adhærent (2), quia (ut ajunt *Salm.*) per tale decretum revocata est facultas concessa per privilegium *Clementis VII.* quoad absolutionem casuum episcopalium; non autem illa, quæ per consuetudinem est obtenta, ut est ea, qua habentes facultatem absolvendi a reservatis Papæ possunt absolvere etiam ab illis, quæ ordinarii sibi reservant, ut testantur *ib. Suarez et Hurtadus.* Addunt alii(3), decretum illud non habere vim legis, quia non fuit de ejusdem Pontificis speciali mandato solemniter promulgatum pro tota ecclesia, juxta sententiam relatam *l. 1, 106.* Omnes tamen hæ rationes ex supradictis non videntur amplius probabiles post prop. 12. damnatam ab *Alexandro VII.* ut supra allatam, qua oppositum apparet satis declaratum.

104. — *Dubitatur 2.*, an prælati regulares possint absolvere suos subditos religiosos a casibus reservatis in bulla cœnæ ac etiam ab hæresi. Quoad sæculares jam damnata fuit ab *Alexandro VII.* propositio 4., quæ dicebat: *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta et ab excommunicatione ob ipsam incursa.* Quoad subditos vero adsunt tres sententiæ:

Prima universe affirmat (4): et hanc sequitur et enixe defendit *Potesta* (5) ex diversis privilegiis et juribus, quæ ibi congerit.

105. — *Secunda sententia* (6) dicit, non posse absolvere ab hæresi, sed bene posse a cæteris casibus bullæ. Ratio

(1) *dict. n. 80. cum Rodr., Cand. etc.* — (2) *ib. n. 81.* — (3) *ap. Vivam in d. prop. 12. Alexand. VII. n. 6.* — (4) *cum Pal., Rodriq., Peyrin. etc. ap. Salm de cens. c. 2. p. 6. n. 75.* (5) *t. 1. p. 4. c. 5. n. 3375. cum Villal., Donato et aliis.* — (6) *quam tenent Salm. l. c. n. 76. et 77. cum Suar., Bann., Cand., Arag. et aliis.*

istorum, quia, licet per bullam cœnæ revocentur quæcumque privilegia regularibus indulta per verba: *Non obstantibus privilegiis etc. alicui vel aliquibus cujuscumque ordinis concessis*, attamen *s. Pius V.* extendit ad prælatos regulares privilegium episcopis concessum per Tridentinum in *cap. Liceat* ut supra, eodem modo ac in episcopis invenitur. Sicut igitur, dicunt *Salm.* (1), non obstante dicta bulla possunt episcopi vi illius privilegii absolvere suos subditos etiam a casibus bullæ occultis, sic etiam possunt regulares. Excipiunt autem *Salm.* (2) hæresis crimen, quia ex constitutione *Pauli V.*, ut referunt, hæretici omnino remitti debent ad inquisitores. Sed hoc explicant (3) valere pro locis, ubi viget tribunal s. inquisitionis; et ideo pro aliis locis referunt doctrinam *Suarii*, qui dicit, prælatos posse absolvere subditos etiam in hæresim relapsos ex concessione *Gregorii XIII.*

106. — *Tertia sententia* demum, quam tenendam esse dicunt *Viva* (4) *et Croix* (5), citans *Sanchez*, *Suarez*, *Diana et Mendo*, dicit, non posse absolvere ab ullo casu bullæ cœnæ. Ratio est, tum quia decretum *Urbani VIII.* ut supra allatum expresse declaravit, per annuam bullæ publicationem sublatam esse regularibus facultatem a casibus bullæ cœnæ absolvendi; tum quia, ut recte arguit *Viva* (6), si hodie nec etiam episcopi a casibus bullæ absolvere possunt post prop. 3. damnatam ab *Alexandro VII.*, ut diximus supra *n. 83.*, ergo tanto minus poterunt prælati regulares. Sed hodie quæstio finita est; nam (7) *Benedictus XIII.* in bulla *Pretiosus* (cujus verba retulimus *n. 101.*) novissime concessit superioribus ordinis s. Dominici et per communicationem aliorum ordinum, posse absolvere suos subditos, nempe fratres et moniales sibi subjectas, a quibusvis censuris etiam in bulla cœnæ, aliquibus tamen exceptis.

107. — *Dubitatur 3.*, an prælati regulares possint absolvere suos subditos a censura ob percussionem alterius religiosi aut clerici sæcularis. Diximus: *suos subditos;* nam circa sæculares nihil regulares possunt, cum

(1) *ib. n. 77.* — (2) *ib. n. 76.* — (3) *in tr. de sacr. pœnit. c. 13. p. 3. n. 50.* — (4) *in prop. 4. damn. ab Alex. VII.* — (5) *l. 6. p. 1. n 1622.* — (6) *in d. prop. 4. n. 3.* — (7) *ut referunt P. Milante in dicta prop. 3. t. 1. p. 23. et P. Conc. t. 10 p. 449. n. 21. et 22.*

facultas absolvendi sæculares ab hac censura sit ipsis expresse adempta a *Clemente VIII. et Paulo V.* extra Romam et intra Italiam (1). In *c. Cum illorum 32. §. Qui de sent. excomm.* affirmatur, si religiosus percusserit alium ejusdem ordinis: *nisi excessus* (ut ibi dicitur) *extiterit difficilis et enormis, utpote si ad mutilationem membri vel ad effusionem sanguinis est processum, aut in episcopum aut abbatem violenta manus injecta.* Si vero percusserit religiosum alterius claustri, dicitur ibidem, quod *per abbatem proprium et ejus, qui passus est injuriam, absolvatur.* Si autem percusserit clericum sæcularem, dicitur: *nonnisi per apostolicam sedem absolutionis gratiam poterit promereri.* Idem autem, quod dicitur de religioso, dicunt communiter (2) de novitio percussore, etiamsi ipse crimen commiserit ante ingressum, quia in favorabilibus novitii habentur ut religiosi. Addunt tamen (3), quod novitius, si egrediatur ante professionem, tenetur se præsentare sedi apostolicæ, juxta *c. Eos, qui de sent. excomm. in 6.*, adhuc si fuerit a prælato absolutus, quia illa absolutio fuit concessa ob temporale impedimentum, ne vagaretur. Hic vero *notandum 1.*, quod, si religiosus levi percussione læserit clericum sæcularem, bene poterit absolvi ab episcopo illius, ut communiter dicunt (4). *Notandum 2.* (5), quod prædicta procedunt juxta jus commune; nam spectatis privilegiis religiosi bene possunt absolvi a suis prælatis, etiamsi percussio fuerit enormis, ex pluribus privilegiis, quæ referunt *Palaus* (6), *Salm. l. c. et Roncaglia* (7). Idque dicunt præfati AA. valere, etiamsi religiosus percusserit alium alterius ordinis vel clericum sæcularem: additque *Croix* (8) *cum Krimer*, etiamsi percussio fuerit publica; ac posse abbatem absolvi per confessarium a seipso electum. *Notandum 3.*, quod, licet regulares possint absolvi a suis prælatis ob hujusmodi privilegia, bene tamen valent etiam se subjicere episcopis, ut ab eis absolvantur: intellige, si percussio fuerit levis vel enormis occulta. Et in eo casu illi, qui sunt

(1) *vide dicta n. 95.* — (2) *Pal. d. 3. p. 23. §. 4. n. 10., Laymann tr. 5. p. 2. c. 5. circa finem et alli passim.* — (3) *Laym. l. c. in fine et Pal. ib. cum Mol. et Sayr.* — (4) *iidem Laym. et Pal. ll. cc. cum aliis ex c. Religioso de sent. excomm. in 6.* — (5) *cum eisdem AA. et Salm. de cens. c. 2. p. 6. n. 69.* (6) *n. 10. in fine.* — (7) *p. 104. c. 2. q. 2.* — (8) *l. 7. n. 32.*

prælati alicujus ordinis, possunt per se exposcere talem absolutionem ab episcopis; reliqui vero religiosi de suorum prælatorum licentia, nisi hæc injuste denegetur (1).

108. — A quibus autem censuris possint absolvi recipientes bullam cruciatæ: vide *Salm.* (2) et *Croix* (3).

109. — „Regulæ: *Prima.* Qui habet potestatem absol„vendi a censuris reservatis episcopo, non potest vi illius „absolvere a reservatis Papæ.

110. — „*Secunda.* Qui habet potestatem absolvendi a „reservatis Papæ, non censetur posse absolvere a cen„suris bullæ cœnæ, eo quod hæ censeantur majores, nec „comprehendi in concessione generali (4)."

111. — Cæterum quotiescumque conceditur a Papa facultas absolvendi a censuris, etiam de papalibus intelligitur; alias nihil concederetur, quia quilibet approbatus potest absolvere a non reservatis (5). Pariter in jubilæo, concessa facultate ab omnibus censuris reservatis, intelliguntur comprehensæ ex communi usu etiam reservatæ episcopis (6). An autem, data potestate absolvendi a censuris tam a jure quam ab homine latis, comprehendantur censuræ ab episcopo specialiter latæ? Affirmant apud *Croix*(7) *Avila*, *Henr. etc.*: negant *Vasquez*, *Hurtadus etc.* Utraque est probabilis. Facultas autem concessa ab episcopo de absolvendis casibus reservatis non intelligitur data pro peccatis, quibus annexa est censura reservata (8): secus, si talis concessio fiat a Papa (9). Ratio, quia omnes casus papales sunt principaliter reservati cum censura et propter censuram (10).

112. — „*Tertia.* Qui habet potestatem absolvendi a „censuris bullæ cœnæ, habet etiam a quibusvis papali„bus et episcopalibus a jure latis, etsi aliqui negent de „excommunicatione contracta propter hæresim, de qua „alii probabilius affirmant, præsertim pro regionibus se-

(1) *ut docent Sanch. dec. l. 2. c. 12. n. 10. et Salm. ib. p. 5. n. 52. cum Boss., Henriquez, Diana etc.* — (2) *ib. p. 7. n. 82.* — (3) *toto l. 8.* — (4) *Diana p. 5. t. 12. res. 14. (ita Bon. q. 3. p. 1. n. 12. et Suar., Ugol. etc. ap. Salm. de cens. c. 2. p. 4. n. 41.)* — (5) *ut Bon. n. 11. et Salm. l. c. cum Nav., Azor, Cand. etc.* — (6) *Croix l. 7. n. 132. et 149. cum Suar. et Dic.* — (7) *n. 133.* — (8) *Tamb. de cas. r. c. 9. §. 1. n. 11.* (9) *Croix l. 7. n. 134.* — (10) *vide l. 6, 580.*

„ptentrionalibus, pro quibus alioqui concessio per magnam „partem esset inutilis.

113. — Concessa facultate absolvendi a casibus papalibus, non intelligitur a casibus bullæ cœnæ; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ superior non fuisset concessurus, si specialiter de iis rogatus fuisset (1). Certum autem est hodie, quod concessa facultate absolvendi a casibus bullæ cœnæ non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi, licet occulta: ut decrevit *Alexander VII.* die 23. Martii 1656, et novissime rursus declaravit *Benedictus XIV.* in bulla *Convocatis*, emanata pro jubilæo anni 1750 *n. 53.* Qui tamen *n. 7.* concessit in eodem jubilæo facultatem absolvendi ab hæresi occulta, modo pœniteus non habuerit complicem.

114. — „*Quarta.* Possunt regulares per sua privilegia, „sicut ab aliis censuris Papæ reservatis, ita etiam ab„solvere duello certantes (idem dic de similibus casibus) „post constitutionem *Clementis VIII.*, sicuti poterant ante „eam: præterquam in Italia extra Urbem; idque ex de„claratione ipsiusmet *Clementis* (2).

115. — „*Resp. IV.* Ampla etiam solet dari potestas a „censuris absolvendi in jubilæis: in quibus diligenter con„siderandum est, quid, quantum et quomodo concedatur. „Si enim detur potestas absolvendi a casibus reservatis „Papæ, etiam conceditur potestas absolvendi a censuris „Papæ reservatis: quia is non solet reservare casus nisi „ratione censuræ adjunctæ." *(Cæterum universe loquendo, qui absolvere potest a peccato reservato, potest etiam a censura annexa, cum nequeat absolvi peccatum, nisi prius censura absolvatur* (3). „Porro absolutio data con„fitenti bona fide in jubilæo cum intentione lucrandi illud, „etsi postea vel sua negligentia vel propter aliud impe„dimentum non lucretur, est valida tollitque censuram: „secus, si ab initio indulgentias lucrari noluerit; eo enim „casu probabilius est, absolutionem non valere, et tam

(1) *ut dicunt Bon. q. 3. p. 1. n. 12., Croix l. 7. n. 132., Salm. de cens. c. 2. p 4. n. 41. cum Suar., Cand., Ugolino etc.* — (2) *ap. Comitolum l. 6. mor., Regin. l. 21. d. 83., Filliuc. t. 1. tr. 15. c. 5., Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 5.* — (3) *Salm. ib. n. 38. cum Avila, Cand. etc.*

„peccata reservata quam censuram de novo debere tolli „ab eo, qui potest extra jubilæum (1)."

DUBIUM VI.

Quomodo danda sit absolutio a censura.

116. *Quomodo absolvendæ censuræ in foro externo; et quomodo in interno.*
117. *An possit absolvi absens.*
118. *De eo, qui absolutus est in jubilæo.*
119. *De absolutione metu extorta.*
120. *An valeat absolutio non satisfacta parte.*
121. *Quid, si cum hac conditione sit concessa facultas?*
122. *An secuta satisfactione de se auferatur censura.*
123. *An valeat et liceat absolutio sub conditione.*
124. *An possit dari absolutio ad reincidentiam.*
125. *An ad reincidendum requiratur nova culpa.*
126. *An censura possit absolvi extra confessionem.*
127. *Ad absolvendas censuras requiritur 1. satisfactio partis.*
128. *In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem.*
129. *Requiritur 2., ut reus præstet juramentum non amplius committendi crimen, si sit valde enorme.*
130. *Requiritur 3., ut censuratus petat absolutionem.*
131. *Plura notanda. Quid, si reus adhuc sit contumax vel invitus vel oblitus non petierit?*
132. *An valeat absolutio, si reus falsum exponat.*

116. — „Respondetur, id statuendum esse ex natura „tum censuræ tum cujusvis absolutionis.

Ex qua circa absolvendi modum resolves:

„1. Ex natura rei non requiruntur certa verba, sed „sufficiunt ea signa, quibus aperte significetur absolutio „impendi." (*Ad absolvendam censuram sufficiunt quæcumque signa externa, sed non sufficit sola voluntas judicis* (2).

„In foro tamen externo communiter servanda est forma „cujusque episcopatus. In foro autem conscientiæ hæc „fere est in usu: *Ego te absolvo*, v. gr. *a vinculo excommunicationis, suspensionis* etc., *quam incurristi propter „NN.* (talem causam), *et* (si sit excommunicatus) *restituo „te sacramentis ecclesiæ et communioni fidelium aut* (si sit

(1) *vide dicta de pœnit. l. 6, 536.* — (2) *Suar. d. 6. sect. 9. n. 2. 5. et 6., Pal d. 1. p. 11. §. 3. n. 1. et Salm. de cens. c. 2. p. 2. n. 14. cum Cornejo et Giballino.*

„suspensus) *executioni tuorum ordinum vel officiorum.* „*In nomine Patris* etc. In publica autem ac solemni ab„solutione præmittitur psalmus *Miserere*, et ad singulos „versus pœnitentis humeri denudati leviter percutiuntur „(nisi ex justa causa talis cæremonia videatur omittenda, „præsertim in fœminis); tum adjectis precibus absolvi„tur et in ecclesia introducitur. Idem modus fere ser„vatur in absolutione mortuorum, nisi quod sepulchrum „virga percutiatur (1).

117. — „2. Absolvi a censura potest absens" *(Certum est, quod absens, sicut potest ligari censura, ita absolvi* (2). *Cæterum sine urgenti causa non licet absolvere absentem*; *Sanchez* (3), *Salm.* (4), *qui notant, quod, si obtineatur absolutio per procuratorem, hic debet habere speciale mandatum censurati de obtinenda absolutione, ut constet de emendatione; debetque procurator implere, quæ mandans implere deberet, si præsens esset)*, „imo et invi„tus; etsi hoc communiter non liceat, ne censura con„temnatur. Ratio, quia, sicut pœna in absentem et in„vitum potest statui, sic et auferri (5).

118. — „3. Is, qui pluribus censuris est astrictus, po„test absolvi ab una relictis aliis; quia inter eas non est „necessaria connexio. Unde si dicatur: *Absolvo te ab omni* „*vinculo etc.*, valet pro omnibus: ideoque, si sic absolu„tus in jubilæo forte omisisset invincibiliter peccatum ha„bens annexam censuram, id est excommunicationem, „posset is postea ab eo peccato per quemvis approba„tum absolvi, cum non sit amplius reservatum, eo quod „censura, ratione cujus tantum erat reservatum, sit „sublata (6)."

119. — „4. Absolutio vi aut metu gravi injuste incusso „extorta non valet; imo novam excommunicationem in„currit, qui metum incutit (7)." *(Secus tamen, si metus non fuerit injuste incussus, nempe si extorta sit absolutio a judice, qui nolebat absolvere, adhuc cessante contumacia* (8).

(1) *rituale Romanum.* — (2) *ex c. De manifesta causa 2. q. 1., c. Quanto causa 2. q. 5.* — (3) *l. 2. c. 11. n. 14.* — (4) *ib. n. 16. cum Pal., Avila, Sayro etc.* — (5) *Turr., Diana p. 5. t. 9. r. 10.; (vide infra n. 131.)* — (6) *(vide d. n. 131. in fine.)* (7) *(ex c. unic. De his, quæ vi, etc. in 6.)* — (8) *Ronc. c. 6. q. 6. et Cont. Tourn. de cens. part. 1. c. 5. a. 2. q. 6.*

120. — „5. Absolutio data ab ordinario, non præstita „satisfactione, etsi sit illicita, valida tamen est; imo etiam „data a delegato, modo non delegetur cum conditione sa„tisfactionis: quæ si impossibilis sit, sufficit præstare „cautionem aut juramentum de satisfaciendo, cum poterit.

121. — *Quæritur*, utrum sit invalida absolutio censuræ data a delegato, non satisfacta parte, si illi facultas concessa est absolvendi cum clausula: *satisfacta parte*. Probabiliter negant (1); nisi exprimatur in concessione, nullam fore absolutionem hac conditione non impleta: alias, cum illa conditio sit de jure, intelligitur apposita ad monendum delegatum, non ad limitandam facultatem; sed probabilius affirmant (2). Ratio, quia prædicta clausula probabilius importat veram conditionem (3). Tanto magis, quod, cum Pontifices volunt tantum monere de aliqua obligatione, monitionem exprimant per verbum *hortamur*, *monemus*, et simile; cum vero adhibent ablativum absolutum, aliquid aliud exprimere intendunt. Hoc tamen non obstante non puto improbabilem (ut dixi) primam sententiam, saltem ob auctoritatem DD., qui hic illud *satisfacta parte* non interpretantur pro conditione. Omnes autem conveniunt, graviter peccare confessarium, qui censuratum absolveret parte non satisfacta (4).

122. — Certum autem est, quod etiam secuta emendatione vel satisfacta parte, ad cujus instantiam lata est censura, hæc non aufertur sine absolutione; quia, licet cessante contumacia censura debeat statim absolvi (5), ex hoc tamen non infertur, quod sit jam absoluta; patet ex prop. 44. damnata ab *Alexandro VII.: Quoad forum conscientiæ, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

123. — „6. Dari potest absolutio sub conditione de „futuro contingenti, cum sit actus jurisdictionis externæ, „qui conditionatus esse potest. Communiter tamen non

(1) *Sanch. de matr. l. 3. d. 33. n. 6., Pal. d. 1. p. 51. §. 3. n. 6., Bon. q. 3. p. 9., Ronc. c. 6. q. 6., et Salm. de cens. c. 2. p. 2. n. 25.* — (2) *Suarez d. 7. s. 5. n. 42., Sporer suppl. n. 214, item Vasq., Coninch., Sayr. ap. Pal l. c. et alii citati l. 6, 537. v. q. 7. cum communiori sententia, ut fateturipse Palaus.* — 3) *ut in simili dictum est eod. l. 6. n. 1115. circa fin.* — (4) *vide tamen alia dicta c. n. 537. v. q. 7.* — (5) *ex c. Cum desideres de sent. excomm.*

„expedit sic absolvi: si enim reus absolutionem me-„retur, non debet apponi conditio; si non meretur, non „debet absolvi." *(Ideo illicita de se est talis absolutio, quamvis ex aliqua causa posset cohonestari* (1). *Si quis excommunicet sic: Excommunico te, donec solvas: vel si quis ita absolvat: Absolvo te, si intra mensem solvas: facta solutione tollitur ensura* (2).

124. — „7. Potest etiam dari absolutio ad reinciden-„tiam, id est pro certo actu et tempore, quo transacto „reincidit: item sub certo onere, quo non impleto cen-„sura reviviscat.

125. — *Quæritur* autem, utrum, censura absoluta cum reincidentia, (v. gr. si intra mensem non satisfacias) requiratur nova culpa ad reincidendum.

Prima sententia negat, quia tunc manet eadem prima censura, quæ non fuit sublata nisi sub tali conditione (3).

Secunda sententia tamen probabilior (4) docet, requiri novam culpam. Ratio, quia prima censura non potest dici suspensa, cum non possit suspendi censura nisi auctoritate Pontificis (5). Ergo fuit sublata, et ideo sine nova culpa renasci non potest. Et idem dicendum (6), si Pontifex a censura absolverit ad omnem effectum, etsi ad reincidentiam; quia, nisi aliud exprimat, censetur absolvisse modo ordinario; secus tamen, si a censura absolverit ad aliquem effectum tantum, nempe ut censuratus reddatur habilis ad beneficium obtinendum etc., manente censura quoad alios effectus.

126. — „8. Probabilius est, eum, qui habet potestatem „absolvendi in foro conscientiæ a censura, posse id fa-„cere etiam extra confessionem (7)." *(Vide tamen l. 6, 593.*

(1) ut Ronc. ib. q. 2. cum Suarez, Coninch. et Salm. de cens. c. 2. p. 1. n. 11. et 12. — (2) ut Pal, Henriq., Avila, Coninch., Vasq. etc. cum Salm. ib. n. 13. — (3) ita Suar. d. 7. sect. 8. n. 27., Bon. q. 3. p. 3 n. 16., item Hurt., Fill. etc. ap. Salm. ib. n. 5. — (4) quam tenent Ronc. c. 6. q. 2. in fine, Pal. d. 1. p. 11. §. 2. n. 10. et Cont. Tourn. de cens. p. 1. c. 5. a. 2. in fine et Salm. de cens. c. 2. p. 1. n. 6. cum Avila, Henriq., Coninch., Laym. etc. — (5) ut dicunt Salm. l. c. — (6) ajunt Salm. cum iisdem AA. cit. n. 6. in fine. — (7) ut contra Navar., Suar. et alios docent Sanch. l. 8. de matr. d. 16., Coninch., Diana etc. (idem tenent Salm. ib. p. 4. n. 44. in fine cum Coninch., Ugolino.)

v. eamdem, ubi diximus, episcopum non posse absolvere a casibus papalibus occultis extra sacramentum pœnitentiæ ex declaratione Gregorii XIII.)

127. — Sed pro complemento hujus puncti hic sedulo recensendæ sunt solemnitates requisitæ a jure, ut absolutio debite impendatur.

Requiritur 1., ut reus prius satisfaciat parti, in cujus damnum commissum fuit crimen, ob quod censura lata fuit, nimirum furtum, percussio etc.; nam licet absolutio data, parte non satisfacta, fuisset valida, graviter tamen peccat absolvens et tenetur illa damna restituere, quia ex officio tenebatur ei consulere. Ita communiter (1). Sufficit tamen, cum creditor est in loco distanti, si reus pecuniam in loco tuto depositet, ut possit absolvi (2).

128. — Tribus tamen casibus posset reus absolvi, non satisfacta parte: 1) Quando pars injuriam remittit; sufficit enim satisfactio damnificati, quin satisfiat ecclesiæ (3). Hinc si percussus a clerico remittat injuriam expresse vel tacite, percussorem familiariter tractando, hic bene posset absolvi (4). 2) Quando pars læsa rejicit justam satisfactionem oblatam; quia tunc jam per se satisfacit (5). 3) Quando reus impotens est ad satisfaciendum; quia tunc judex eum absolvere bene potest, imo tenetur et valet compelli (6); quia cessante contumacia debet reus absolvi. Reus tamen, qui non est solvendo, nec in toto nec in parte, debet cautionem præstare, si potest: alias saltem juramentum solvendi, cum poterit (7). Sed vide dicta *l. 6, 537. v. si vero.* Hoc autem currit, si reus certe est debitor; nam si habet opinionem probabilem pro se, vel si sit dubius, cum melior sit conditio possidentis, non potest obligari, nisi ad summum ad præstandum juramentum solvendi, si de obligatione constiterit. Quod si debitor statim solvere non posset nisi cum magno damno aut incommodo, potest etiam, præstita cautione, ab-

(1) *Avila, Coninch., Henr., Cand. cum Salm. ib. p. 2. n. 22.* (2) *ut bene notant Salm. ib. n. 21. in fine cum Avila.* — (3) *ut tenent Salm. de cens. c. 2. p. 2. n. 20.; vide l. 6. n. 536.* — (4) *ut Avila, Navar., Sylv. ap. Salm. ib.* — (5) *Salm. cum Card. l. c. in fine.* — (6) *ut ait Coninch. ap. Salm. ib. n. 21. ex c. Qua fronte de appell.* — (7) *ex c. Odoardus de solut., et c. Ex parte 23. de verb. signif.*

solvi; nisi pars idem incommodum ex dilatione pateretur (1).

129. — *Requiritur 2.*, ut reus ante absolutionem censuræ præstet juramentum de non committendo amplius tale crimen (2). Hoc juramentum tamen exposcitur tantum ab iis, qui ob enorme crimen excommunicationem incurrunt: utpote sunt scandalose violantes ecclesias, graviter percutientes clericum, incendiarii, usurarii publici, notorii percussores episcopi vel cardinalis etc. Secus, si excommunicatio sit contracta ob alia peccata non ita gravia; et hoc currit tam in foro interno quam externo. Ita communiter (3).

130. — *Requiritur 3.*, ex *c. Per tuas de sent. excomm.*, ut censuratus absolutionem petat. Ibi: *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur.* At quia textus dicit: *non debet*, non autem: *non potest*, ideo bene docet *s. Thomas*(4), quem sequuntur *Palaus*(5) *et Coninchius, Avila etc. cum Salm.* (6), censuratum, modo sit emendatus a peccato, etiam renitentem, valide posse absolvi.

131. — Hinc autem *notandum 1.*, quod, si reus non sit emendatus, et peccatum habeat tractum successivum, ut hæresis, furtum, non potest absolvi nisi a ferente censuram; secus tamen, si peccatum non habeat tractum successivum, ut perjurium, blasphemia (7). *Notandum 2.* (8), quod aliquando ex justa causa etiam licite datur absolutio censurato adhuc contumaci, puta ob bonum publicum, vel ut reus facilius resipiscat. *Notandum 3.*, quod, si privilegium sit factum pœnitentibus, prout in jubilæo, ubi datur eis facultas eligendi sibi confessarium, a quo absolvantur, tunc nequit absolvi invitus, quia usus privilegii pendet a voluntate privilegiati (9): secus, si

(1) *ut Nav., Coninch., Avila cum Salm. dict. n. 21.; de hoc vide dicta l. 4, 701.* — (2) *colligitur ex c. De cætero, et c. Ex tenore de sent. excomm.* — (3) *Pal. d. 1. p. 11. §. 3. n. 4. et Salm. ib. n. 18. cum Suar., Coninch., Hurt., Avila, Diana, Henr. etc.* — (4) *3. p. q. 24. art. 2.* — (5) *d. 1. p. 11. §. 3. n. 9.* — (6) *de cens. c. 2. p. 3. n. 29.* — (7) *ut Cont. Tourn. de cens. part. 1. c. 5. a. 2 q. 2., et Salm. ib. n. 28.* — (8) *cum Roncaglia c. 7. q. ult. et Salm. ib. n. 30. et ib. Pal., Suar., Sayr., Diana etc.* — (9) *ita Pal. et Tournely ll. cc., item Avila, Coninch., Corn. ap. Salm. ib. n. 29. cum Ronc. l. c.*

privilegium sit in favorem confessariorum, ut sunt privilegia regularium, prout recte notant *Salm. ib. cum Antonio a Spiritu sancto. Notandum 4.*, quod aliquis pluribus censuris innodatus posset absolvi ab una et non ab aliis; quare, si censuratus unius tantum petat absolutionem, odiose alias celando, ab illa tantum censetur absolutus, nisi superior aliud exprimat (1). Si autem sine dolo alias celasset, judicatur absolutus ab omnibus, nisi constet, absolventem aliud intendisse. (2) Et hæc absolutio valet etiam pro foro externo, si absolvens jurisdictionem habet in contentioso; si vero in foro conscientiæ tantum sive in sacramento pœnitentiæ jurisdictionem solum habet, tunc reus, qui omiserit confiteri inculpabiliter peccatum, cui annexa erat censura reservata, poterit tantum pro foro conscientiæ a quocumque postea absolvi, ut cum *Bus.* dicunt *Salm.*(3) *cum Coninch., Avila, Giball. etc.* Idem dicitur ibi cum *Nav., Cov., Arila, Sylv. etc.* de absolutione generali, quam prælati impertiuntur suis subditis in visitatione. Excipiunt tamen cum *Bonacina, Arila etc.*, si aliqua censura exposcat satisfactionem partis; quia tunc non præsumitur prælatus velle ab illa absolvere contra juris præscriptum et in alterius præjudicium; ita præfati AA., et quidem probabiliter: sed *l. 6, 597.* probabilius esse diximus (4), quod, pœnitens confessus superiori etiamsi inculpabiliter fuerit oblitus peccati reservati, non sit ablata reservatio, quia reservatio imposita est, ut culpæ cognoscantur a superiore, utque debitis pœnitentiis puniantur monitisque in futurum vitentur. Secus vero dicendum, si privilegium sit ipsi pœnitenti concessum, ut in jubilæo etc. (5).

132. — An autem valeat absolutio, quando datur ob falsam causam, nempe si judex absolvat, quia reus dicit, jam se emendatum vel parti satisfecisse, quod verum non sit? Respondetur negative, si deficiat causa principalis; secus, si minus principalis, vel si judex certo conscius sit falsitatis (6).

(1) *ex c. Cum pro causa, et c. Officii de sentent. excomm.; vide Salm. ib. n. 32.* — (2) *ita Salm. ib. cum Cand., Giball.* (3) *de cens. c. 2. p. 3. n. 33. et 34.* — (4) *cum Suar., Sylv., Conc., Antoine et aliis,* — (5) *vide d. n. 597.* — (6) *ut Cont. Tourn. l. c. quær. 6. r. 2. cum Suar. et Bonac., ac Salm. ib. n. 35. cum Pal., Sayro, Avila, Henr. communiter.*

CAPUT II.
DE EXCOMMUNICATIONE.

DUBIUM I.
Quid sit et quotuplex.

133. *Quid excommunicatio? Quænam veniat illius nomine, majorne aut minor; et qui sint vitandi.*
134. *Resolutiones.*
135. *Quid requiratur, ut quis sit vitandus. Vide constitutionem concilii Constantiensis.*
136. *De prima conditione, ut sit nominatim excommunicatus.*
137. *De secunda conditione, ut sit publice denuntiatus.*
138. *An liceat toleratis cum aliis communicare.*
139. *An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in divinis sine necessitate.*
140. *An idem de suspenso et interdicto vitando.*
141. *Quando percussor clerici sit vitandus.*
142. *An ad vitandum eum requiratur notorietas facti.*
143. *An sufficiat, ut alicui factum sit notum.*
144. *An requiratur etiam notorietas juris.*
145. *An percussor notorius in uno loco sit vitandus in aliis, ubi non est notus.*
146. *Quando possit credi vitandus absolutus.*

133. — „Resp. Excommunicatio est censura, per quam „quis privatur communione ecclesiæ. Estque duplex: *mi-„nor*, quæ tantum privat usu passivo seu receptione sa-„cramentorum; et *major*, quæ etiam dicitur anathema, „ac in jure fere semper nomine excommunicationis intelligitur," *(habetur in c. 1. Si quem 59. de sent. excomm., quod nomine excommunicationis intelligatur major, non minor* (1). *Per anathema autem intelligitur excommunicatio major lata cum majore solemnitate)* „privatque omni communione ecclesiastica, secundum di-„cenda." *(Non dicitur simpliciter: omni communione: nam etiam excommunicatus cum fidelibus tamquam membris unius corporis communicat in pluribus bonis spiritualibus; sed additur ecclesiastica, id est pro bonis, quorum distributio ad ecclesiam pertinet* (2). „Per „hanc majorem excommunicatus rursus est duplex: *To-*

(1) *et ita AA. ap. Croix l. 7. n. 177.* — (2) *vide Salm. de cens. c. 3. p. 1. n. 1.*

„*leratus*, quem fideles non tenentur vitare; *non tolera-*
„*tus*, quem tenentur vitare. Et quidem post concilium
„Constantiense non tolerati sunt hi tantum: 1) Notorius
„clerici percussor, de quo infra; 2) quivis nominatim ex-
„communicatus et specialiter ac publice denuntiatus.

Unde resolves:

134. — „1. In Germania catholici secure communi-
„cant cum iis, qui notorie sunt hæretici, et consequen-
„ter excommunicati; quia non sunt nominatim excommu-
„nicati ac publice denuntiati.

„2. — Non teneris vitare eum, quem scis peccasse
„contra legem, per quam illi, etiam in particulari, sub
„pœna excommunicationis aliquid est vetitum vel præ-
„ceptum; quia requiritur, ut per sententiam expressam
„et specialem contra personam in particulari, post pec-
„catum commissum, censura sit publicata, v. gr. ut Joan-
„nes sit denuntiatus excommunicatus; vel saltem ita ex-
„primatur persona, ut non liceat de ea dubitare, v. gr.:
„*Excommunicamus talis loci decanum, prætorem.*" (*Nota hic, quod agere rem sub excommunicatione majori vetitam non excusatur a culpa gravi* (1). *Nota deinde, quod, si peccatum est vetitum sub censura ex eodem motivo, puta si vetetur homicidium, peccans unum peccatum committat; secus, si ex diverso motivo, ut si vetetur homicidium clerici ob reverentiam status. Est commune* (2).

„3. Licet dicatur: *Excommunicamus Petrum*, v. gr. *in-*
„*cendiarium et ejus complices*, solus Petrus vitandus est,
„non vero alii, etsi sint notorii: quia sententia quoad il-
„los est tantum generalis, et non specialis contra cer-
„tam personam.

„4. Non teneris vitare eum, qui privatim in conclavi
„est denuntiatus, quia id non est factum publice; ad
„hoc enim requiritur, ut sententia legatur vel affigatur
„alicui loco celebri, v. gr. in templo, tempore concionis
„vel aliter pro more regionis."

135. — *Notandum 1.*, olim omnes excommunicatos fuisse vitandos; post constitutionem vero concilii Constantiensis, quæ incipit: *Ad evitanda*, (cujus exemplum

(1) *Salm. ib. n. 7. cum s. Thoma, Suar., Lez et communi.*
(2) *cum Laym. c. 5. n. 1., Pal., Avila et Salm. ib. n. 8.*

nunc non extat, sed legitur apud *s. Antoninum* et *Sotum*, ultra quod sufficit, fuisse confirmatam a *Martino V.* in *extrav. Ad evitanda*) vitandi tantum sunt nominatim excommunicati ac denuntiati et publici percussores clericorum. Verba constitutionis (1) hæc sunt: *Ad evitanda scandala... indulgemus, quod nemo de cætero a communione alicujus in sacramentorum administratione vel receptione, vel aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ aut censuræ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ...., teneatur aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare: nisi sententia vel censura ejusmodi fuerit in vel contra personam, collegium etc. vel locum certum, a judice publicata vel denuntiata specialiter vel expresse.... Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in clericum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio excusari: nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri, juxta canonicas sanctiones.* Sed inde additur: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos et interdictos seu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*

Sunt igitur vitandi tantum nominatim excommunicati ac denuntiati, et deinde notorii percussores clericorum. De singulis hic discutiemus.

136 — Et quoad primos, ut aliquis excommunicatus sit vitandus, juxta prælaudatum decretum

Requiritur 1., ut sit nominatim excommunicatus, expresso nomine per verba aut signa indubitata, v. gr.: *Excommunico prætorem Salmantinum*, et ita, ut non possit cum alio prætore æquivocari(2). Ex quo infertur, quod non tenemur vitare hæreticos, etiamsi notorium sit, hos esse a jure excommunicatos, nisi sint insuper nominatim excommunicati et denuntati. Nec obstat 1) decretum posterius concilii Basiliensis, quo sancitum fuit, esse vitandos omnes notorie excommunicatos. Nam respondetur 1 cum *Turrecr., Salm. et aliis DD.* communiter, quod decreta dicti concilii, edita post schisma (prout hoc decretum editum fuit), ab *Eugenio IV.*

(1) *relatæ a Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 10.* — (2) *ut notant Sotus, Avila et Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 15.*

fuerunt revocata (1). Respondetur 2., quod tale decretum, quamvis legitimum fuisset, a contraria tamen consuetudine ecclesiæ fuit abrogatum; et decretum concilii Constantiensis communiter fuit receptum. Ita communiter DD. (2). Nec obstat 2) dicere, quod saltem ex jure divino tenemur publice excommunicatos, maxime hæreticos, vitare, ex illo ad *Titum 3.: Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita;* et ex epist. 2. *Joan.: Nolite recipere eum in domo, nec ave ei dixeritis.* Hoc enim respondetur, intelligi præceptum, quando esset periculum, quod ab eo inficeremur, vel si scandalum adesset, aut si spes esset, fore ut delinquens ex vitatione resipisceret (3).

137. — *Requiritur 2.*, ut reus publice excommunicatus publice etiam denuntietur. Circa quod non sufficit, si denuntiatio fiat coram ligantibus, sed debet fieri in loco publico (prout in ecclesia, tempore missæ vel concionis), et in charta affigi in loco publico vel alibi juxta usum religionis (4). Et in dubio, an quis excommunicatus sit sufficienter denuntiatus, non tenemur eum evitare (5), nisi adest periculum scandali. Sufficit tamen, ut teneamur vitare, si constet nobis, esse illum denuntiatum per famam publicam vel per testimonium etiam unius personæ gravis autoritatis (6).

Notandum 2., quod excommunicatus a jure, nisi crimen sit notorium, debet prius a suo proprio superiore citari, ut se defendat (7): juxta dicta supra *n. 55. in fine.* Et deinde debet publice ut excommunicatus denuntiari seu declarari. Sufficit autem, ut excommunicatus a jure tantum denuntietur tanquam talis, ut jam sit vitandus (8). Non vero sufficit, si reus sententia declaretur tantum, quod commiserit crimen, cui annexa est excommunicatio (9). Nam verius requiritur, ut expresse declaretur ex-

(1) *vide dicta l. 1, 133.* — (2) *vide Salm. ib. n. 13.* — (3) *Salm. ib. n. 14.* — (4) *Pal. disp. 2. p. 4., Salm. ib. n. 15. in fine, Croix l. 7. n. 185. cum Suar., Henr., Coninch., Avila, Hurt.* (5) *ut notat Croix n. 186. cum Dic. et aliis.* — (6) *ut Croix ib. cum Nav., Dic. etc.* — (7) *Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 16.* (8) *Salm. ib. n. 15.* — (9) *ut alias tenent sufficere Suarez, Sayr., Avila etc. ap. Salm. ib. n. 17.*

communicatus (1). Ratio, quia in decreto concilii Constantiensis et in extravagantia *Martini V.* dictum est, neminem esse vitandum, *nisi censura vel sententia ejusmodi fuerit a judice publicata, vel denuntiata specialiter et expresse.* Ex quibus verbis *Giballinus* cum *Sanchez* addit, nec sufficere, si declaretur reus incurrisse omnes censuras crimini annexas, nisi in specie denuntietur excommunicatus.

Notandum 3., quod, licet vitare non teneamur excommunicatum non denuntiatum, possumus tamen vitare, etiam publice, eum, qui publice est notus ut excommunicatus, uti recte dicunt *Avila et Dicastellus.* (2).

138. — *Notandum 4.*, quod, etsi permissum sit aliis communicare cum excommunicato tolerato, attamen, prout patet ex verbis concilii ut supra, cuicumque etiam clam excommunicato interdictum est cum aliis communicare tam in divinis quam in humanis. Sed dubium hic fit, an liceat fidelibus cum illo communicare in divinis et sine necessitate. Dixi: *in divinis;* nam in humanis certum est semper licere. Dixi item: *sine necessitate*; quia in casu necessitatis vel specialis utilitatis, puta, si alius æque utilis non inveniatur, licite potest quisque ab excommunicato sacramenta petere (3).

139. — *Quæritur* igitur, an liceat communicare in divinis cum excommunicato tolerato sine necessitate vel utilitate. Negant *Pont.* (4), *Suarez* (5) *et Avila*, *Palacius ac Coninchius* (6), quia, licet communicans non agat contra præceptum censuræ, agit tamen contra charitatem, inducendo excommunicatum ad actum illicitum; nisi (excipiunt) ille esset paratus sacramenta ministrare, aut nisi teneretur ea præstare ex officio, nempe si esset parochus, quia tunc alter utitur jure suo. Probabilius vero affirmant universe *Sanchez* (7), *Palaus* (3), *Bonac.* (9) *et Salm.* (10) *cum Soto*,

(1) *uti docent Sanch. dec. l. 2. c. 9. n. 4., Pal. n. 6., Ronc. p. 84. q. 2. r. 1. et Salm. dict. n. 17. cum Bon., Reg., Diana etc., quod probabile putat Croix l. 7. n. 183.* — (2) *ap. Croix l. 7. n. 184.* — (3) *ita Suar. d. 11. sect. 1. n. 15., Pal. d. 2. p. 5. n. 3. et Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 23. cum Coninchto et Cornejo.* — (4) *l. 5. c. 18. §. 9.* — (5) *d. 11. sect. 4. n. 10.* (6) *ap. Salm. ib. n. 24.* — (7) *de matrim. l. 7. d. 9. n. 8.* — (8) *d. 2. p. 5. n. 5.* — (9) *p. 2. §. 3. n. 4.* — (10) *ib. n. 25.*

Hurt., Sayro, Corn., Giball., Henr. etc. Ratio, quia, quando excommunicatus rogatus communicat, v. gr. sacramenta ministrat, nec ipse tunc peccat; nam si ipse adhuc peccaret, inutilis evaderet concessio facta fidelibus a concilio, dum eis, saltem indirecte, ratione charitatis prohiberetur communicatio. Quare, cum fidelibus communicatio cum excommunicato universe concessa sit, indirecte indultum est etiam excommunicatis cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen currit, si sacramenta petantur ab excommunicato; quia, si petantur a ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur equidem causa justa, secundum dicta *l. 6, 88. v. resp. 3.*

140. — *Notandum 5.*, quod hæc, quæ hucusque dicta sunt de excommunicato, currunt pariter de suspenso aut interdicto vitando in iis rebus, in quibus vi suspensionis vel interdicti vetitum est eis communicare; ita ut, usquedum non sint publice denuntiati, possimus indifferenter communicare cum illis, quia concilium loquitur universe de quacumque censura (1). Et idem asserit *ib. Avila* de irregulari, qui, si non sit denuntiatus, non est vitandus; hinc ait, licite posse fideles a parocho irregulari, etiam ob publicum homicidium, sed non denuntiato, petere missam et sacramenta, cum concilium loquatur tam de impeditis per censuram quam per quamcumque sententiam, per verba to *cujuscumque sententiæ vel censuræ.*

141. — Quoad vero *percussores clericorum*, hi, ut sint vitandi, requiritur, ut sint notorii. Sed hic quæritur, an requiratur notorietas juris vel facti. Notorium *juris* dicitur, quod notum est vel per sententiam judicis, vel per confessionem rei in judicio, vel per sufficientem dispositionem judicialem testium. Notorium autem *facti* dicitur, quod notum est majori parti collegii, monasterii, viciniæ, vel magno numero personarum, sive quod creditur mox venturum ad earum notitiam; nam, ut bene notant *Salm.* (2), in magna civitate non requiritur, ut factum sit notum majori parti civium; verum non sufficit contra, ut sciant 14 testes (3) licet *Dicastillus* (4) putet, quod,

(1) *Pal. p. 5. n. 8. et Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 21. cum Sayr., Caj., Gutt. etc. communiter.* — (2) *ib. n. 19. cum Bon., Hurtado, Nav.* — (3) *ut dicunt Salm. l. c. cum AA. cit.* — (4) *ap. Croix l. 7. n. 182.*

si percussio fiat in foro coram septem, dicenda sit notoria; secus, si fiat in domo privata aut in monasterio (1); sufficit autem fama communis, orta a viris fide dignis et integre probata; quæ quidem jam præbet moralem certitudinem(2). Putant tamen *Viva*(3), *Avila* et *Dicastillus*(4), non sufficere famam, quod quis percusserit, sed requiri etiam famam, quod publice percusserit. Imo docent(5), non sufficere publicam hujusmodi infamiam, quando hæc non procedit ex notorietate facti per testes oculatos: alias dicetur crimen famosum, sed non notorium; et hoc *Croix* probabile censet ex verbis bullæ *Ad evitanda*, ut supra *n. 135.*, ubi: *Si sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incurrisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari.* Hinc, ut dicit *Viva l. c.*, non erit notorius percussor, qui laborat publica infamia, quod clericum percusserit, si revera ipse non percusserit publice.

142. — His positis *dubitatur 1.*, an sufficiat, ut percussor clerici sit vitandus, sola notorietas juris. Respondetur negative cum communi; namque licet olim ante concilium Constantiense sufficiebat notorietas juris, quia tunc omnis excommunicatus erat vitandus, nunc tamen requiritur etiam notorietas facti, ex verbis illis: *Quod factum non possit aliqua tergiversatione celari*(6). Advertendum tamen est, quod, sicut est vitandus is, quem per publicam famam constat fuisse notorium clerici percussorem, ut dictum est supra, ita etiam vitare debemus eum, qui per sententiam judicis (juxta concilium Constantiense) denuntiatus est vitandus; quia tunc per talem sententiam satis certi evadimus etiam de notorietate facti(7).

143. — Sed *dubitatur 2.*, an sufficiat, ut factum sit alicui notum, quamvis aliis sit occultum, ut ille percussorem vitare teneatur. Affirmant *Suarez*, *Dicastillus* et alii(8), quia factum jam illi notorie constat. Sed probabilius negant(9):

(1) *vide dicta l. 4, 975.* — (2) *ut Pal. d. 2. p. 4. n 8., Bon. d. 2. q. 2. p. 1. §. 1. n. 9., Salm. c. n. 19. in fine cum Sayro et aliis.* — (3) *q. 3. a. 2. n. 5.* — (4) *ap. Croix l. 7. n. 182.* (5) *Suar., Mol. et Dic. ib.* — (6) *ita Suar. d. 9. s. 2. n. 11., Pal. d. 2. p. 4. n. 7., Bonac. d. 2. p. 1. §. 1. n. 3., Croix l. 7. n. 180. cum Laym., et Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 18. cum Coninch., Avila etc.* — (7) *vide Croix l. c.* — (8) *ap. Croix l. 7. n. 179.* — (9) *Bonac. d. 2. q. 2. p. 1. §. 1. cum Avila, et Pal. l. 2. n. 6. cum Nav., Laym., Hurt. ac Coninch. et Croix ib. cum Pignat.*

quia ex verbis mox relatis jam satis apparet requiri, ut crimen sit simpliciter notorium, id est pluribus notum, ita ut celari non possit.

144. — *Dubitatur 3.*, an ultra notorietatem facti, ut percussor sit vitandus, requiratur notorietas juris, id est, quod reus sit etiam in judicio confessus vel per sententiam damnatus. Visum est alicui omnino negandum, casu quo factum nulla possit tergiversatione celari, ut supra; at probabiliter quidem affirmant *Avila*, *Cœlest.*, *Fagundez*, *Corarr.*, quos sequuntur *Salm.*(1) et *Roncaglia*(2). Ratio, quia dicit textus(3), quod ad obligationem vitandi percussorem requiritur, ut constet, non solum, eum percussisse, sed etiam censuram incurrisse, ita ut factum non possit celari, *nec* (nota, ut additur) *aliquo suffragio excusari.* Ideo, usquedum reus non sit in judicio confessus aut condemnatus, semper aliquo suffragio valet excusari, dicendo v. gr., se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram etc. Huic sententiæ adhæret *Diana*(4), ubi dicit: *Quamobrem raro contingit, percussionem clerici ita notoriam esse facto, ut non possit aliquo juris remedio aut probabilitate aliqua excusari.* Et idem docent *Viva*(5) *et Pignatelli*(6). Quare, nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit censuram incurrere, probabiliter nunquam est vitandus.

145. — *Dubitatur 4.*, an percussor clerici notorius in uno loco sit vitandus in alio, ubi non est notorius. Affirmant *Hurtadus*, *Bonacina*, *Vasquez*(7), quia a concilio universe fuit declaratus ut vitandus, qui alicubi fuit notorius clerici percussor. At probabiliter negant(8): quia, ut dicunt, factum publicum in uno loco non vere est publicum in alio, ubi communicatio cum excommunicato occulto non affert scandalum, quod præcipue voluit concilium evitari. Et idem, quod dicitur de clerici percussore, dicendum de excommunicato in aliquo loco denuntiato, modo notitia denuntiationis non sit brevi in illum alium locum perventura, ut dictum est supra *n. 78.*

(1) *de cens. c. 3. p. 2. n. 18. et 19.* — (2) *p. 84. q. 2. r. 2.* (3) *vide n. 135.* — (4) *p. 5. tr. 9. res. 60.* — (5) *quæst. 3. a. 2. n. 5.* — (6) *ap. Croix l. 7. n. 181.* — (7) *ap. Salm. de cens. c. 3. p. 2. n. 20.* — (8) *Pal. n. 9., Sanch. dec. l. 2. c. 12. et Salm. ib.*

146. — Ultimo hic notandum, quod, postquam noscatur quis semel esse denuntiatus sive declaratus excommunicatus, tenemur eum vitare, donec constet nobis de absolutione vel per publicam famam, vel saltem per testimonium unius fide digni (1). Potest tamen ipsi excommunicato fides adhiberi, si alias sit fide dignus et timoratæ conscientiæ asseratque, se absolutionem recepisse, vel se gerat ut absolutum (2).

DUBIUM II.

Ob quam causam incurratur, et quem effectum habeat excommunicatio minor.

147 *Ob quam causam incurratur excommunicatio minor*
148. *An episcopus possit alicui interdicere sacramenta. Effectus directus excommunicationis minoris est privatio suscipiendi sacramenta.*
149. *An sit privatio etiam ministrandi.*
150. *Effectus indirectus est privatio electionis passivæ ad beneficia.*
151. *Incurritur communicando cum vitando.*
152. *An sit mortale recipere sacramenta cum excommunicatione minori: an ministrare.*
153. *An incurratur cum solo veniali.*
154. *Et an hoc veniale possit omitti in confessione.*
155. *Quis possit absolvere ab ea; an etiam quicumque, quæ potest absolvere venialia.*
156. *Quis incurrat, remissive ad* n. 188.

147. — „Resp. Incurritur ob unicam tantum causam, „si quis nimirum cum excommunicato majore excommu-„nicatione communicet iis casibus, quibus non licet. Ef-„fectus ejus est privatio sacramentorum perceptionis (3).“

148. — Quoad causam igitur excommunicatio minor de jure incurritur tantum ob communicationem cum excommunicato vitando. Hoc tamen non impedit (4), quominus episcopus in pœnam alicujus criminis possit nominatim alicui interdicere usum passivum sacramentorum vel saltem communionis. Quoad effectum vero excommunicatio

(1) *uti habetur in c. Sicut 39. de sent. excomm.* — (2) *ita Croix l. 7. n. 188. cum Nav., Avila, Dic. et Henr.* — (3) *vide Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3.* — (4) *ut docet Laym. ib. n. 5.*

minor unicum tantum effectum directum habet, nempe privare perceptione sacramentorum, ex *c. Si celebrat de cleric. excomm.:* ibique dicitur graviter peccare, qui hac excommunicatione irretitus sacramentum aliquod suscipit, (ut est commune apud DD.), valide tamen recipere (1).

149. — Sed magnum *dubium* est, an hic peccet sacramenta ministrando. Commune est inter DD. contra *Vasquez*, non peccare graviter, quia in *d. c. Si celebrat*, postquam Pontifex dixit, peccare graviter, si sacramenta recipiat, addidit: *Peccat autem conferendo sacramenta*, sed non dixit: *graviter*. Hinc probabiliter sentiunt *Palaus* (2), *Sayrus. Coninch. et Arila* (3), saltem peccare venialiter: attamen *Bonacina* (4) et *Navarrus*, *Sayrus*, *Vill.* aliique multi (5) cum *Busenbaum* (6) et *Salm.* (7) tenent, nec etiam venialiter peccare, quia in nullo jure reperitur vetita ei ministratio, sed tantum perceptio sacramentorum; imo expressum in citato textu habetur: *Cum non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum remotus.* Cum autem dicitur ibi: *peccat conferendo*, intelligendum (dicunt citati DD.), quando minister ad conferendum aliquod sacramentum ante illud aliud sacramentum suscipere debet; nempe cum episcopus confert ordines sacros, vel cum sacerdos communionem dispensat in missa, opus est ei antea celebrare et eucharistiam suscipere, de quo casu specialiter loquitur textus; et tunc certe peccat, imo graviter. Utraque sententia est satis probabilis.

150. — Habet autem excommunicatio minor et alium effectum indirectum, qui est privatio electionis passivæ ad beneficia (8). Qui enim directe privatur susceptione sacramentorum, prohibetur etiam indirecte beneficia recipere, quæ ex institutione ecclesiæ ordinantur ad receptionem ordinum et ad missæ celebrationem. Et quamvis textus loquatur tantum de receptione per electionem, idem tamen communiter DD. intelligunt etiam de receptione per collationem et præsentationem, tum quia eadem ratio currit tum quia collatio et præsentatio sunt quædam virtualis electio. Quare tam excommunicatus bene-

(1) *vide Salm. de cens. c. 3. p. 14. n. 159.* — (2) *d. 2. p. 21. n. 8.* — (3) *ap. Salm. ib. n. 160.* — (4) *d. 2. q. 3. n. 4.* — (5) *ap. Croix l. 7. n. 190.* — (6) *hic n. 3.* — (7) *ib. n. 161.* — (8) *ut habetur ex eod. c. Si celebrat.*

ficium recipiens, quam eligentes, præsentantes et conferentes tunc graviter peccant, cum transgrediatur præceptum ecclesiæ in re gravi (1). Talis autem electio etc. non erit de se irrita, sed irritanda, ut legitur in eodem textu, ubi sancitur: *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda.*

Dubitatur, ex cujus parte hæc scientia requiratur, ut electio sit irritanda. Adest triplex sententia:

Prima docet, requiri scientiam tantum ex parte electi, qui sciverit suam excommunicationem et inhabilitatem ad beneficium: ita *Palaus* (2), *Laymann l. c.*, citans glossam *d. c. v. scienter*, quæ dicit sufficere, quod electus scienter communicarit cum excommunicatis. *Palao et Laym.* adhæret *Croix* (3), qui dicit, saltem requiri, quod electus memor sit suæ excommunicationis, dum beneficium ei confertur: nam contra, cum ipse ignorans bene capax sit sacramentorum, sic etiam capax est beneficiorum. Et hoc probabilius mihi videtur, quia illud *scienter* verius ad to *electus* quam ad to *excommunicatus* refertur.

Secunda sententia autem requirit scientiam ex parte electorum (4). Ex quibus sententiis

Tertiam sententiam demum probabilem deducunt *Salm. ib.*, nempe requiri tam scientiam excommunicationis ex parte electorum quam scientiam inhabilitatis ex parte electi. Electores autem scienter conferentes beneficium excommunicato nullam pœnam incurrunt (5).

151. — „1. Cum jura dicunt, communicantem cum excommunicato incurrere similem excommunicationem, sensus est, quod similiter, i. e. vere excommunicetur, licet „minore excommunicatione.

„2. Propter communicationem cum excommunicato minore excommunicatione, etiam nominatim denuntiato, „nulla incurritur censura.

152. — „3. Etsi excommunicatus minore excommunicatione recipiendo aliquod sacramentum non incurrat

(1) *ita Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 3. n. 5., Pal. d. 2. p. 21. n. 13., Bon. disp 2. q. 3. n. 7., Croix l. 7. n. 194., Salm. de cens. c. 3. p. 14. n. 162. cum Suar., Avila, Sayro, Hurtado, Henr. et communi.* — (2) *d. 2. p. 21. n. 19.* — (3 *l. 7. n. 195.* (4) *ut Avila et Sylv. apud Laym. l. c., atque idem tenent Bon., Hurt., Reg. ap. Salm. ib. n. 163.* — (5) *Salm. l. c. in fine, Avila, Diana etc.*

„irregularitatem, graviter tamen peccat: administrando „vero probabile est, nec venialiter peccare(1).

153. — „4. Incurritur hæc censura, etsi quis propter „levitatem materiæ tantum venialiter peccet, v. gr. con„fabulando cum nominatim excommunicato, quando non „licet: secus, si sit veniale propter imperfectum usum „rationis, quia pœna infligitur propter actum, qui, quan„tum est ex se, sufficit ad mortale.

154. — „5. Etsi peccatum veniale possit omitti in con„fessione, non tamen illud, cui hæc censura est annexa, „ne sacramentum in ea recipiatur. Unde etiam confes„sarii ordinarie prius absolvunt fideles ab omni vinculo „excommunicationis, etiam minoris, deinde a peccatis.

155. — „6. Ab hac excommunicatione lata a jure ab„solvere potest parochus, et quisquis potest a mortali„bus, cum non sit reservata. An vero, qui potest absol„vere a venialibus, habente annexam hanc excommunicatio„nem, possit etiam ab ipsa? Quidam affirmant(2); alii „probabilius negant(3); quia, sicut hæc absolutio est „distincta a sacramentali, ita etiam ad eam requiritur „distincta jurisdictio, quæ nusquam conceditur omnibus „sacerdotibus (4)."

156. — Quomodo et quando incurratur hæc excommunicatio minor ob communicationem cum excommunicato vitando: vide *seq. n. 188.*

DUBIUM III.

Quot effectus habeat excommunicatio major.

157. *Qui sint* effectus mediati *excommunicationis majoris. I. Irregularitas ob exercitium ordinis; II. suspicio de hæresi, si per annum insordescat.*

158. *Qui sint* effectus immediati. *I. Privatio susceptionis sacramentorum licitæ, et etiam validæ quoad pœnitentiam.*

159. *An excommunicatus sine culpa suscipiens pœnitentiam valide absolvatur ante absolutionem censuræ.*

160. *Plura notanda.*

161. *An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda præcepta.*

(1) *(vide dicta n. 149.)* — (2) *ut Navarrus et Tolet.* — (3) *ut Suar., Coninch.* — (4) *vide Laym. l. 1. tr. 2. p. 2. c. 3.*

162. *II. Privatio communium suffragiorum etc.*
163. *An possint offerri sacrificia etc. nomine ecclesiæ pro excommunicato vitando, si non stet per ipsum, quominus absolvatur.*
164. *An possint offerri pro excommunicato tolerato.*
165. *III. Privatio administrandi sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes sacramenta ab excommunicato tolerato.*
166. *An excommunicatus vitandus valide ministret sacramenta.*
167. *An sacramentum pœnitentiæ.*
168. *Quid, si sit toleratus; et quid in articulo mortis?*
169. *An excommunicatus licite ministret sacramenta.*
170. *Quando etiam vitandus.*
171. *Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite sacramentum ministrans. An vitandus incurrat irregularitatem ministrans pœnitentiam.*
172. *Quam pœnam incurrat recipiens sacramenta sine necessitate a vitando.*
173. *IV. Privatio divinorum officiorum. Quomodo peccet communicans in divinis cum vitando; et an liceat recitare privatim officium cum ipso.*
174. *An vitando liceat usus sacramentalium et orare privatim in ecclesia.*
175. *Quid, si vellet interesse missæ etc.?*
176. *Ad quid teneantur clerici, si excommunicatus nolit recedere. An alii assistentes peccent tunc mortaliter; et an incurrant excommunicationem minorem.*
177. *Quæ veniant nomine divinorum officiorum. An vitandus possit audire concionem, lectionem etc. Quomodo debeat expelli: (alias missa debet interrumpi); et an inchoato canone.*
178. *An excommunicatus teneatur ad horas: et an aliquando peccet, dicendo: Dominus vobiscum. An recitando cum alio privatim.*
179. *V. Nullitas beneficii collationis, præsentationis etc.*
180. *Plura notanda; et an idem dicendum de collatione dignitatum etc. Quid, si ante excommunicationem fuisset præsentatus? Et an beneficiatus faciat fructus suos.*
181. *An toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia etc.*
182. *An valida sit collatio beneficii alicui, qui ignoret, se esse excommunicatum.*
183 *An excommunicatus privetur fructibus beneficii ante sententiam.*
184. *VI. Privatio communicationis forensis. An possit se defendere in judicio: an agere: an testificari: an tueri alios.*
185. *VII. Privatio usus jurisdictionis.*
186. *VIII. Privatio ecclesiasticæ sepulturæ. Vide*

ib. plura notanda de pollutione ecclesiæ vel cœmeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus etc.
187. *Quid, si sit hæreticus non denuntiatus?*
188. *IX. Privatio communicationis civilis.*
189. *1) Os.*
190. *2) Orare.*
191. *3) Vale.*
192. *An liceant signa urbanitatis sine verbis.*
193. *An liceat resalutare et rescribere.*
194. *4) Communio, id est contrahere, cubare, habere societatem etc.*
195. *5) Mensa. Quid, si casu accidat?*
196. *Quale peccatum sit communicare cum vitando.*
197. *Peccat graviter communicans: 1) in divinis; 2) in eodem crimine.*
198. *An sit mortale communicare frequenter cum vitando.*
199. *In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem majorem.*
200. *In quibus casibus liceat cum vitando communicare.*

157. — „Resp. Habet duplices, mediatos et immediatos. Mediati sive remoti sunt hi:

„I. Irregularitas, quam excommunicatus incurrit, „exercendo actum alicujus ordinis.

„II. Si excommunicatus toto anno in excommunicatione „contumaciter persistat et, ut jura loquuntur, insordescat, „fit suspectus de hæresi, et contra eum ut talem „procedipotest(1); ideoque, si crimen grave et beneficii privatione dignum commisit, privandus est beneficio; imo, „etsi crimen non sit adeo grave, si tamen ad hæresis „suspicionem purgandam citetur, tamquam hæreticus privari debet(2)." *(Insordescere est per annum animo pertinaci et cum contemptu potestatis ecclesiæ perseverare in eadem excommunicatione sive in alia censura(3).*

158. — „Immediati effectus sunt sequentes:

„*Primo* privat susceptione et usu passivo „sacramentorum; unde nullus excommunicatus, sive „toleratus sive non, potest ea licite recipere sub mortali; „nisi excuset ignorantia invincibilis, metus mortis, infamiæ, jacturæ bonorum etc., quia censura non obligat cum „tanto rigore(4)" *(nisi fiat in contemptum censuræ).*

(1) *Trid. sess. 25. c. 3.* — (2) *Bon. d. 2. q. 2. p. ult. ex Rebuffo, Diana, Navarr. etc.* — (3) *ut dicit Croix l. 7. n. 287. et probat ex Trid. sess. 25. c. 3.* — (4) *Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. (et ita communiter docent Bon. d. 2. s. 2. p. 1. §. 1. n. 4. et Salm. de cens. c. 3. p. 4. n. 43. cum Fill., Diana, Coninch etc.)*

„Dixi: *licite;* quia valide suscipit omnia, saltem quoad „substantiam, præter pœnitentiam; imo etiam hoc, si adsit „ignorantia inculpabilis: dummodo cætera ad essentiam „sacramenti requisita non desint; quia per censuram non „fit incapax absolutionis, etsi prohibeatur eam recipere, „priusquam absolvatur a censura (1). Nec obstare, etiamsi „excommunicatio sit reservata, vel confessarius sciens, „peccata habere annexam excommunicationem, tamen ex „malitia absolvat, docet *Diana* (2).

159. — Duplex est sententia super hoc puncto: Alii negant, excommunicatum, qui adhuc sine culpa suscipit sacramentum pœnitentiæ ante absolutionem censuræ, valide suscipere (3). Ratio istorum, quia hic ut membrum abscissum excluditur omnino ab ecclesia, ut possit in bonis ejus communicare. Sed oppositum verius est tenendum (4). Ratio potissima, quia ecclesia non irritat sacramentum pœnitentiæ, neque ex parte ministri auferendo illi potestatem, cum censura afficiat solum censuratum; neque ex parte pœnitentis, cum hoc nullibi habeatur sancitum: nec ecclesia sancire posset, dum ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad sacramentum eos, qui ex jure divino habiles sunt (5).

160. — Hic autem *notandum 1.*, quod minister conferens sacramentum excommunicato tolerato peccaret quidem contra jus divinum, dando sacramentum indigno; sed non peccaret contra præceptum ecclesiæ, quia per concilium Constantiense ut supra cuique permissum est communicare cum tolerato, etiam in divinis; ita probabilius (6). Ex quo inferunt *Salm. ib.*, quod, si excommunicatus cum ignorantia inculpabili, et alias dispositus, petat sacramenta, licite potest minister illa ei conferre, eumdem relinquendo in sua bona fide. *Notandum 2.*, quod excommunicatus, si recipit sacramentum ordinis, remanet

(1) *Bon d. 2. q. 2. p. 2. ex Fill., Suar., Coninch.* — (2) *p. 3. t. 4. r. 78. ex Coninch., Suar. etc. et p. 5. t. 9. r. 53.* — (3) *ita Vasq., Sylv., Hurt etc. ap. Salm. de cens. c. 3. p. 4. n. 46.* (4) *cum Suar. d. 10. sect. 3. n 9., Pal. d. 2. p. 7. n. 4., Bon. p. 2. §. 1. n. 1, Croix l. 7. n. 191., Salm. ibid. n. 47. et Coninch., Caj., Sayr., Diana, Fill. ac communissima.* — (5) *vide dicta de euch. l. 6, 265. v. quær. 3.* — (6) *Suar. d. 10. s. 2. n. 9., Pal. d. 2. p. 7. n. 4. et Salm. ib. n. 51. cum Vasq. communiter.*

suspensus (1). Utrum autem excommunicatus ordinem suscipiens incurrat irregularitatem: vide dicta *de ordine l. 6, 799. v. utrum autem.* Si vero suscipit alia sacramenta, peccat quidem graviter, sed nullam pœnam incurrit (2). *Notandum 3.*, quod in articulo mortis probabilius potest ministrari excommunicato vitando eucharistia, etsi ipse sacramentum pœnitentiæ non suscepisset (3), quia præceptum divinum de viatico sumendo fortius obstringit, quam prohibitio generalis ecclesiæ non sumendi eucharistiam. Idem ait *Croix l. c.* de sacramento extremæ-unctionis, citans *Suarium et Dicastillum.* Sed probabilius negant *Avila etc. ib.* juxta dicta *l. 6, 88.*, nisi infirmus non potuerit aliud sacramentum recipere. *Notandum 4.*, quod in dubio, an quis sit absolutus an non ab excommunicatione contracta, non est negandum ei sacramentum, si ille petat, maxime si asserat, se esse absolutum; quia nemo præsumitur delinquere (4).

161. — *Quæritur* hic, an excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implendum præceptum missæ vel annuæ confessionis et communionis. Negant communiter DD., teneri quoad missam, etiamsi negligens sit in obtinenda absolutione, nisi hoc faciat animo se eximendi ab obligatione audiendi sacrum (5). Secus tamen dicunt quoad annuam confessionem et communionem, cum hoc sit unum ex præceptis divinis, erga quæ tenemur tollere impedimenta (6).

162. — „*Secundo* privat, saltem non tolera„tos, communibus ecclesiæ suffragiis, oratio„nibus et fructu indulgentiæ, non tamen privatis. Unde non „tantum quivis privatus, sed etiam sacerdos potest, tamquam „persona privata, pro excommunicatis orare, etiam in publi„cis precibus et sacro: imo actionem sacrificandi, prout pen-

(1) *ex c. 32. de sent. excomm.* — (2) *Croix l. 7. n. 198. cum Dic. et Salm.; vide l. c.* — (3) *ut Croix cum Suar. et Dic. contra Avilam etc.* — (4) *ita Suar. d. 10. sect. 2. n. 12., Coninch. p. 2. §. 12. n. 2., Pal. d. 2. p. 7. n. 7., Croix l. 7. n. 199. et Salm. de cens. c. 3. p. 4. n. 49. cum Nav., Coninch.* (5) *ita cum Bus. Bonac. q. 2. p. 3 §. 1. n. 4. et Salm. ib. p. 6. n. 74. et de sacr. missæ c. 6. p. 5. n. 53. cum Sa, Nav., Azor, Coninch. et aliis contra paucos.* — (6) *ita Salm. de cens. dict. n. 74. in fine, Croix l. 1. n. 794., Tamb. de comm. c. 4. n. 41.; vide dicta de euch. l. 6, 299. et de pœnit. n. 663.*

„det a merito privato operantis, offerre, vel ejus in *me-*
„*mento* in particulari meminisse. (*Hoc est certum cum*
s. Thoma, Soto, Paiao, Salm. (1) *etc. communiter.*)
„Dixi: *tamquam persona privata;* quia ut minister ec-
„clesiæ non potest. Hinc irritæ sunt ac nullæ omnes pre-
„ces, quas pro excommunicato, in persona ecclesiæ in-
„tercedentis pro ipso, Deo offert: adeoque privatur omni-
„bus bonis, quæ in gratiam ecclesiæ Deus concessurus
„fuisset."

163. — Sed duæ quæstiones hic agitantur.

Quæritur 1., an possint offerri sacrificia, suffragia et orationes communes ecclesiæ pro excommunicato vitando, qui sit in gratia, nec per ipsum stet, quominus absolvatur. Affirmant *Navarrus, Henriquez, Sayrus, Avila* et alii *apud Salm.* (2), qui probabile putant; quia non præsumitur ecclesia velle suis bonis privare amicum Dei et non amplius contumacem. Negant vero longe probabilius *Croix* (3) *ac Suarez, Diana, Soto, Coninch. etc. cum Salm.*(4). Et videtur patere ex *c. A nobis 28. de sent. excomm.*, ubi dicitur, quod excommunicatus, *quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud ecclesiam absolutus.* Ratio, quia juste ecclesia vult, ut non remittatur vinculum a se positum, nisi illud per absolutionem ab ipsomet auferatur.

164. — *Quæritur 2.*, an autem pro excommunicato tantum tolerato possint offerri sacrificia etc. etiam nomine ecclesiæ. Adest duplex sententia probabilis.

Prima negat (5): quia concessio communicandi fuit facta a concilio in commodum solum fidelium, non autem excommunicatorum. Sed non minus probabilis est

Secunda sententia (6). Ratio, quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendæ sunt; dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, concessum etiam fuit orationes publicas pro eis offerre: nam communicare id etiam importat, ut habetur ex *c. 28. et c. 38. de sent. excomm.* Tanto magis, quia jure anti-

(1) *ib. p. 5. n. 58.* — (2) *de cens. c. 3. p. 5. n. 55.* — (3) *l. 7. n. 205.* — (4) *ib. n. 56.* — (5) *cum Bellarm. l. 2. de missa c. 6., Suar. d. 9. sect. 2. n. 17., item Sotus, Avila, Bon. etc. ap. Salm. ib. n. 59.* — (6) *quam tenent Nav. c. 27. n. 36., Pal. d. 2. p. 9. n. 10. ac Coninch., Reg., Hurt., Diana etc. cum Salm. ib. n. 60.*

quo non erat vetitum pro excommunicatis occultis suffragia publica offerre, prout colligitur ex *c. Cum non ab homine eod. tit.*, et ipse *Suarez* fatetur; offerre autem sacrificia pro excommunicato, hoc etiam directe cedit in commodum fidelium, tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia etc., quæ hi percipere possunt ex oblationibus pro illo exhibitis.

165. — „*Tertio* privat usu activo sacramentorum et administratione. Quæ tamen excommunicato tolerato, et ad id requisito et se non ingerenti quandoque est licita, v. gr.: si sit pastor, cujus subditi teneantur audire sacrum, nec sit alius, qui celebret: imo, si etiam non parochus forte rogetur et invitetur ad celebrandum. Ac licet communis doctrina sit (1), peccare fideles, si sine causa necessitatis vel magnæ utilitatis talem inducant ad sacramentorum administrationem, quando alius minister haberi potest, contrarium tamen est probabile ob facultatem concessam a concilio Constantiensi cum talibus communicandi; et hinc nec illum, qui petit a tali sacramentum, nec ipsummet excommunicatum, si conferat, præcise ob censuram peccare, docet *Laymann* (2) *ex Soto, Sanchez* (3). Idem docet *Bonacina* (4) *et Vasquez, Suarez etc.* (5). Non tolerato autem illicita est sacramenti administratio, præterquam in casu extremæ necessitatis, extra quam valide illud administrat, præterquam pœnitentiam, quia hæc requirit jurisdictionem, qua ipse caret (6)."

Ad majorem claritatem hujus puncti videndum est, quando excommunicati conferant sacramenta valide, et quando licite.

166. — Hinc *quæritur 1.*, an excommunicatus valide ministret sacramenta. Respondetur affirmative, excepto sacramento pœnitentiæ, ut infra (7). Ratio, quia, ubi essentialia sacramenti concurrunt, non præsumitur (nec etiam posset) ecclesia illud invalidare. Excipiunt aliqui sacramentum matrimonii; sed in eo adhuc probabile est (8),

(1) *apud Laym. hic c. 4.* — (2) *l. c. n. 5.* — (3) *l. 7. de matr. d. 9. n. 8.* — (4) *d. 2. q. 2. § 2.* — (5) *(vide dicta n 138. et 139.)* — (6) *vide Laym. hic c. 2., Bon. l. c.* — (7) *ita docent s. Thom 3. p. q. 64. a. 9. ad 2. et alii communiter cum Salm. de cens c. 3. p. 3. n. 26.* — (8) *cum Croix l. 7. n. 197., Salm. de matr. c. 8. p. 4. n. 46.*

uti diximus *l. 6, 1082.*, quod valide assisteret parochus excommunicatus, etiam vitandus; et etiam licite præberet licentiam alteri assistendi matrimonio, juxta dicta *l. 6, 1084.* contra *Croix l. c.*

167. — Sacramentum vero pœnitentiæ certum est invalide ministrari ab excommunicato vitando sine necessitate. Ratio, quia ad hoc sacramentum requiritur in ministro potestas non solum ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua ille privatus est ab ecclesia(1). Et ita communiter DD.(2). Et hoc, etsi confessio sit de solis venialibus(3). Ex eadem ratione parochus vitandus nequit alteri delegare jurisdictionem ad confessiones suorum audiendas(4): intellige, nisi hoc posset parochus vi privilegii specialis.

168. — Dixi autem, invalide ministrari sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato *vitando;* quia, si sit *toleratus*, profecto valide hoc sacramentum ministrat: nam hic non privatur jurisdictione, cum hoc expediat ad utilitatem fidelium(5). Utrum autem excommunicatus vitandus possit valide et licite absolvere in articulo mortis? Vide dicta *l. 6. 560. v. qu. 1.*, ubi sententiam negativam tenuimus cum *d. Thoma, Fagnano, Petrocor., Concina etc.* contra sententiam communiorem, non vero communem, ut propter non omnem diligentiam adhibitam diximus *l. 6, 88.**)

169. — *Quæritur 2.*, an excommunicatus aliquando licite conferat sacramenta. Et hic distinguere oportet excommunicatum vitandum a tolerato. Toleratus enim, licet ei universe sit vetitum sub gravi sacramenta ministrare(6), quando tamen est requisitus, semper licite potest quæcumque sacramenta conferre, prout diximus *hoc l. n. 139.* Et probabiliter addit *Palaus*(7), quod, si festus dies occur-

(1) *ut ex cap. Omnis etc. de pœnitent. et rem., et ex c. Ad probandum de sent. et re jud.* — (2) *cum Pal., Suar. et Salm. de cens. c. 3. p. 3. n. 27.* — (3) *ut Salm. ib. in fine.* — (4) *Croix l. 7. n. 177.* — (5) *Croix l. 7. n. 217. et Salm. ib. n. 30. in fine cum communi.* — (6) *ex c. Apostolicæ de cler. excomm. min.* (7) *d. 2. p. 8. n. 3.*

*) Sed jam annotavimus retractationem 19. inter recentes, ubi *s. Alphonsus* affirmat, posse sacerdotem excommunicatum vitandum absolvere in articulo mortis, si alius non adest. *Editor.*

rat, nec alius sacerdos sit, qui missam pro populo dicat, bene potest toleratus celebrare, etsi non rogetur; quia juste præsumitur populum petere missam ad præceptum implendum, nisi alias hoc scandalum afferret.

170. — Excommunicatus vero vitandus nequit etiam requisitus sacramenta ministrare. Probabiliter tamen potest ministrare viaticum et etiam extremam unctionem, quando infirmus nequit aliud sacramentum suscipere.*) An autem parochus excommunicatus possit assistere matrimonio, vel alteri licentiam assistendi præbere? Vide dicta *de matr. n. 1082 — 1084.* Dicunt autem probabiliter(1), quod excommunicatus vitandus etiam licite sacramenta ministrat, quando alias grave incommodum, puta jacturam famæ vel bonorum, timeret; quia præcepta ecclesiæ non obligant cum incommodo gravi.

171. — *Quæritur* denique *3.*, quam pœnam incurrat excommunicatus illicite sacramenta ministrans. Respondetur: Incurrit irregularitatem, sive sit vitandus sive toleratus(2). Sic pariter, si solemniter baptizet aut nuptias solemniter benedicat: secus, si privatim(3). Sed dubium est, an excommunicatus vitandus, invalide sacramentum pœnitentiæ ministrans, incurrat adhuc irregularitatem. Negat *Richard*, et probabile putat *Suarez*(4), quia tunc deficit actus consummatus: sed communissime affirmant(5) quia hic punitur actus etiam attentatus, quia jam satis consummatus dicitur, cum minister intendat contra jus absolvere. Sed hæc ratio non suadet; potius hæc sententia mihi probatur ex *c. Si quis 7. causa 11. qu. 3* ubi *Martinus I.* declarat irregularem quemlibet constitu

(1) *Ronc., Pal. et Salm. de cens. c. 3. p. 3. n. 36. cum Cc minchio, Diana et Corn.* — (2) *ex c. ult. de cler. excomm min.* — (3) *ut Salm. ib. n. 40.* — (4) *ap. Salm. c. n. 40. circ fin.* — (5) *Palaus d. 2. p. 8. n. 13., Suar. d. 11. sect. 3. n 15 Bon. de irreg. d. 7. q. 3 p. 5. n. 6., Cont. Tourn. tr. de irre p. 3. c. 4. concl. 1., et Salm. ib. n. 41.*

*) Et si moribundi non possunt sacramenta suscipere, nisi excommunicato vitando, hic non solum potest, sed etiam charitate tenetur sacramenta administrare, et juxta retract tionem modo allatam etiam pœnitentiam.

Editor.

tum in sacris, qui *post excommunicationem præsumpserit quasi in officio suo ogere sicut prius.* Nota illud *quasi*. quod importat similitudinem actionis; ergo etiamsi invalide absolvat, irregularitatem incurrit.

172. — Qui recipit igitur sacramentum a vitando sine necessitate, peccat graviter et excommunicationem minorem incurrit. Qui autem recipit ordinem ab episcopo excommunicato vitando, incurrit etiam suspensionem ab exercitio ordinis suscepti (1).

173. — „*Quarto* privat usu divinorum officiorum, ita ut excommunicatus non tantum careat eorum „fructu, sed etiam sub mortali iis nequeat interesse parte „notabili, ita ut moraliter censeatur cum aliis communicare, „nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali." *(Secluso tamen scandalo, excommunicatus etiam missam inchoatam tenetur relinquere, si nondum consecraverit* (2) „aliave justa causa (3). Similiter peccant etiam alii, qui „cum excommunicato vitando eidem missæ intersunt, ut „ex communi docet *Bonac*(4) contra *Durandum*, quia participant cum illo in divinis. Aliud tamen esset, si transiens per ecclesiam aliud tractaret, vel breviter privatim aut omnino separatim oraret; aut si, aliis unum „sacrum audientibus, ipse aliud audiret; quia sic moraliter non censeretur communicare cum aliis, nec conjungi ad unam orationem fundendam (5). Ac licet peccatum hoc ex genere suo sit mortale, ex parvitate tamen materiæ subinde tantum est veniale: ut si exigua „pars missæ, v. gr. usque ad evangelium tantum, cum „illo audiatur (6); vel si horæ privatim cum eo recitentur (7)." *(Graviter tamen peccaret, qui cum vitando in choro vel publice et solemniter recitaret* (8). *Famulus autem, qui jussu domini excommunicati officium cum illo recitat, ne leviter quidem peccat, quia tunc non communi-*

(1) *ex c. Cum illorum §. fin. de sent. excomm.; vide Salm. de cens. c. 3. p. 3. n. 42.* — (2) *s. Thom. 3. p. q 83. art. 6. ad 2.* — (3) *Bonac. l. c. p. 3. §. 1. ex Suarez, Fill. etc.* — (4) *l c. n. 9.* — (5) *Bon. l c. n. 16. ex Suar., Henr., Fill., Coninch. etc.* — (6) *Avila, Diana p 5. t. 5. res. 21.* — (7) *Diana p. 5. t. 9. r. 89. ex Suar. et aliis 9. (ut tenent etiam Salm. de cens. c. 3. p. 3. n. 63. cum Coninch., Bon. et pluribus.)* — (8) *ut Salm. ib. n. 62. in fine cum s. Thoma.*

cat, sed tantum obsequium famulatus sui præstat. Ita probabiliter (1).

174. — Ad majorem intelligentiam advertendum, quod non prohibetur excommunicato usus sacrarum imaginum et reliquiarum, eas venerando; imo nec usus aquæ benedictæ et aliorum sacramentalium, non quidem ut participet fructum, quem illa producunt ex benedictione ecclesiæ, sed tantum, ut ea veneretur (2). Potest etiam tempore, quo non celebrantur divina, ecclesiam ingredi ad orandum privatim et seorsim ab aliis in distincto sacello, ut communiter *Suarez* (3), *Palaus l. c.*, *Bonac.* (4) *et Salm.* (5) *cum Coninch. et Cajetano*, qui addit, posse etiam in eodem sacello, ubi alii orant, privatim et ipsum orare, quia private orando minime cum aliis communicat. Imo dicunt *Salm.* (6), quod etiam, dum divina celebrantur, non prohibetur excommunicatus ab ingressu ecclesiæ, ut se liberet a satellitibus, vel ex alia causa, et si ibi privatim oret; quia tunc nullam habet cum aliis communicationem. Et ideo tunc non tenentur sacerdotes cessare nec eum repellere, nec alii a templo discedere.

175. — Graviter autem peccaret excommunicatus, qui vellet audire missam vel interesse officiis et similibus publicis functionibus (7). Et si monitus a sacerdote nolit exire, incurrit excommunicationem Papæ reservatam (8). Sicut illam etiam incurrit interdictus denuntiatus, pertinaciter assistens missæ, et omnes, qui impediunt, ne excommunicatus aut interdictus recedat (9). Item notandum, quod sacerdos excommunicatus, faciens coram se missam celebrari, incurrit irregularitatem (10).

176. — Item si excommunicatus sit vitandus, et monitus non velit ab ecclesia exire, tenentur clerici eum (etiamsi esset sacerdos) expellere, si possunt; aut si non

(1) *Croix l. 7. n. 211. cum Suar. et Dic. ex c. Quoniam causa 11. q. 3.* — (2) *Suar. d. 12. sect. 3. n. 3., Pal. d. 2. p. 9. n. 14., et Salm. de cens. c. 3. p. 6. n. 67. cum Henr. et Sayro.* (3) *n. 1.* — (4) *q. 2. p. 3. §. 2. n. 8.* — (5) *ib. n. 68.* — (6) *ib. cum Coninch., Bon., Diana, Turr., Palud. etc.* — (7) *ex cap. Illud de cler. excomm. min. et ex c. fin. de sent. excomm.* (8) *ex c. Eos de sent. excomm.* — (9) *ut Pal. d. 2. p. 9. n. 4., Bon. q. 2. p. 3. §. 1. n. 7. et Salm. ib. n. 70. ex c. Gravem de sent. excomm.* — (10) *ex c. Tanta de excess. prælat.; vide Salm. l. c.*

possunt, ab officiis cessare et alia agere, quæ leguntur apud *Bus.*: alias graviter peccant et excommunicationem minorem incurrunt(1). Sicque pariter dicunt(2), graviter peccare assistentes eidem missæ, quam audit excommunicatus, nisi excuset aliqua necessitas aut parvitas materiæ. Et hoc videtur probabilius, quia in missa necessario omnes audientes conveniunt in una oblatione. Quamvis *Suarez*(3) non improbabiliter dicat, hanc communicationem adstantium culpam venialem non excedere; et hoc probabile putant *Palaus*(4) *et iidem Salm* (5) *et Sayr.*, *Fill.*, *Henriq.*, *Krimer*(6), quia talis communicatio videtur nimis remota et accidentalis, nisi illi sint etiam causa, ut excommunicatus intersit. Hac tamen ratione non obstante nullus autor hujusmodi assistentes excusat saltem a culpa veniali et ab excommunicatione minori. Communiter autem docent(7), quod, si adstantes audiant aliam missam ab illa, quam audit excommunicatus, tunc nec ipsi nec celebrans tenentur recedere; quia tunc nulla adest communicatio in eodem divino, et illa assistentia in eodem loco materialiter se habet.

177. — „Porro per divina officia intelliguntur sacrifi-„cium missæ, publica oratio, processio, cantus horarum, „benedictio olei, aquæ, candelarum et cætera annexa or-„dini clericali, quæ solemniter fiunt, excepta concione:" *(Nam audire concionem sive lectionem theologiæ, canonum etc. nec excommunicato nec aliis cum ipso prohibetur, cum ibi nulla sit communicatio*(8). *Ipse autem excommunicatus nequit concionari aut legere, nisi sit toleratus et ab aliis requiratur; aut nisi ad hoc teneatur ex officio, quia tunc præsumitur ab aliis requiri*(9) „in quibus, licet alii fideles non teneantur vitare tole-„ratum, tenentur tamen non toleratum sub mortali vi-„tare(10), nisi vel levitas materiæ vel ignorantia aut

(1) *ex c. Is, qui, de sent. excomm. et clem. 2. eod. tit.* — (2) *Bon. q. 2. p. 3. §. 1. n 9. et Salm. de cens. c. 3. p. 6. n. 72.* (3) *ap. Salm. l. c.* — (4) *d. 2. p. 6. n. 5.* — (5) *c. n. 72. in fine.* (6) *ap. Croix l. 7. n. 207.* — (7) *Bus. hic et Pal. l. c. cum Suar., Sayro, Henr, Fill., Bon. et aliis cum Salm. ib. n. 73., ac Ronc. q. 5.* — (8) *argumento ex c. Responso de sent. excomm., Salm. dict. n. 73., Croix l. 7. n. 281.* — (9) *ut Suar. d. 12. s. 2. n. 5., Pal. d. 2. p. 9. n. 5. cum Bonac., et adhærent Salm. l. c. in fine.* — (10) *(ex c. Is qui, de sent. excomm.)*

„simile quid excuset. Unde, si talis præsens sit, monerī „debet, ut recedat; si nolit, debet extrudi vel exportari, „licet sit sacerdos (1); nisi tamen gravius inde timeatur „incommodum, ob quod, si expelli non possit, omitten„dum est officium, etiam die festo; et celebrans, non„dum inchoato canone, debet abrumpere missam; si in„choavit, potest cæteris abeuntibus sacrum prosequi," *(ut tenent Suarez et Henriquez contra Bon. et Corn. ap. Salm.* (2), *qui merito utrumque probabile putant)* „vel „abrumpere, ob sententiæ utriusque probabilitatem; si „consecravit, debet, solo ministro manente, pergere us„que ad communionem inclusive et reliqua perficere „in sacristia vel alio decenti loco" *(ut certum est cum Salm.* (3). „Quod si excommunicatus negligat procurare „absolutionem, eo fine, ut non audiat sacrum die festo, „peccat mortaliter omissione sacri; secus, si alia de causa „negligat (4)."

178. — „Quod si etiam obligatus est ad horas, non ex„cusatur ab illis;" *(Ita communiter* (5)*: etiamsi teneatur ad officium ex solo titulo beneficii. Et si fructus illius beneficii non recipit, hoc provenit ex culpa sua; Croix* (6) *cum Palao, Suar., Nav., Laym. et Salm.* (7), *qui notant cum Cov. et Avila, quod, si omnino privetur beneficio, tunc non tenetur amplius ratione beneficii recitare)* „etsi non de„beat dicere: *Dominus vobiscum*, sed: *Domine exaudi etc.*" *(Si tamen diceret: Dominus vobiscum, venialiter tantum peccaret* (8). *Imo Avila et Hurt.* (9) *et Nav.* (10) *dicunt, nullo modo peccare, quando solus recitat, quia ly Dominus vobiscum erit tantum privata oratio pro aliis, sicut quando dicit in invitatorio: Venite, adoremus.)* „Si autem horas cum alio privatim legat, ve„nialiter tantum videtur peccare." *(Quamvis enim in c. Excommunicatos 11. q. 3. interdicitur excommunicato communicare cum aliis etiam in oratione privata; at secluso scandalo et contemptu non videtur materia gravis*

(1) *(ex c. Veniens de sent. excomm.)* — (2) *de cens. c. 3. p. 6 n. 71 in fine.* — (3) *dict. n. 71.* — (4) *(vide dicta n. 161.)* — (5) *Laym. c. 2. n. 7., Sayr., Cov., Avila etc. cum Salm ib. n. 66.* — (6) *l. 7. n. 324.* — (7) *l. c. in fine.* — (8) *ut Salm ib. n. 64. cum Bon. et Henr.* — (9) *ap. Pal. d. 2. p. 9. n. 8* (10) *ap. Salm. l. c.*

uti socio ad recitandum officium privatim, sicut ad dicendum rosarium. Ita probabiliter (1). *Si autem sit toleratus, nullo modo peccat, si recitet cum alio, ab eo requisitus* (2).

179. — „*Quinto:* Collatio beneficii, facta excommunicato, nulla est, uti et præsentatio vel electio, institutio et confirmatio. Ratio, quia excommunicatus, etiam toleratus, non potest communicare in officio, proindeque incapax est beneficii, quod datur propter officium. Idque, licet ignoretur excommunicatio, quia ignorantia invincibilis, etsi excuset a culpa, non tamen supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actus (3). Imo probabile est, excommunicatum, quamvis beneficio ante obtento non privetur, fructus tamen et distributiones non facere suas, ideoque eas teneri restituere etiam ante sententiam judicis, quia est privatus officio; fructus autem dantur propter officium, velut merces propter opus. Ita *Suarez et alii* contra *Sanchez et Conc.*, qui probabiliter putant, ex consuetudine non teneri ante sententiam, modo per se vel alium inserviat beneficio.

180. — Plura hic notanda et examinanda. Equidem nulla est omnis beneficii collatio, electio etc., facta in favorem excommunicati (4). Hinc *notandum 1.*, quod tunc non solum recipientes, sed etiam conferentes etc. peccant graviter et incurrunt ultra excommunicationem minorem etiam suspensionem a collatione (5). Valida tamen est collatio, si Papa scienter conferat beneficium excommunicato: vel si in concessione Pontificis adsit clausula absolutionis a censura ad effectum valide consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim, quæ non comprehenditur sub generali absolutione (6).

Notandum 2., quod idem, quod dictum est de beneficiis, dicitur de collatione et receptione dignitatum ecclesiasticarum habentium jurisdictionem, prout episcopatus,

(1) *Cont. Tourn. de cens. part. 2. c. 1. s. 4. q. 2. r. 2., Bonac. q 2. p. 3. §. 2. n. 4. et Coninch., Diana, Covarr., Corn., Ugol. ap. Salmant de censur. c. 3. p. 6. n. 63.* — (2) *juxta dicta n. 138. v. utrum.* — (3) *vide Less. l. 2. c. 34. d. 22.* — (4) *ex c. Postulastis de cler. excommun. min.* — (5) *ex cit. c.; vide Salm. ib. p. 9. n. 96. et 97.* — (6) *Salm. ib. n. 98. in fine.*

prioratus et similis; ita communiter(1). An autem idem procedat quoad dignitates sæculares? Affirmant *Salm.* (2), quia excommunicati invalide exercent actus jurisdictionis: negant vero *Pal.* (3) *ac Coninch.*, *Fill.*, *Giball. et Hurt. ap. Salm. ib.*, qui recte probabile vocant. Ratio, quia nullum habetur expressum jus de facto irritans collationem hujusmodi dignitatum. Nec obstat, quod acta judicis excommunicati sint nulla, prout probabilius docent(4), eo quod consuetudine jam receptum est, annullationem actorum pro judice ecclesiastico præscriptam(5) extendi etiam ad judicem sæcularem. Nam respondetur, quod, licet excommunicatus impediatur a suo officio externo, hoc tamen non efficit, ut officii collatio sit nulla; post enim absolutionem valide et licite poterit talis judex suo munere fungi.

Notandum 3., idem, quod de beneficio, dicendum esse de pensione clerici, quæ datur in titulum beneficii ob ministerium ecclesiasticum; et de pensione ecclesiastica, licet temporali, quæ datur ob officium ecclesiasticum, prout vicario aut coadjutori episcopi(6). Secus autem, si pensio sit mere laicalis, vel etiamsi mixta, juxta dicta apud *Busemb. l. 5, 137.*, ut probabiliter(7).

Notandum 4., quod, si quis ante excommunicationem fuisset præsentatus vel electus ad beneficium, valide acceptat et possessionem obtinet, etiamsi tempore acceptationis sit excommunicatus, quia acceptatio seu possessio non sunt actus jurisdictionis, sed privati(8). Secus dicendum, si is erat excommunicatus tempore collationis, licet postea tempore acceptationis absolutus sit. Est com-

(1) *Suar. d. 13. sect. 1. n. 7., Bonac. q. 2. p. 4. §. 1. n. 3., Pal. p. 10. n. 9. et Salm. ib. n. 102.* — (2) *ib. n. 103. cum Bon., Cornejo, Henr., Garcia, Ugol. etc.* — (3) *d 2. p. 10. n. 11.* — (4) *Suar. d. 16. s. 1. n. 2., Diana p. 5. tr. 9. r. 108., Salm. ib. p. 11. n. 121. cum Coninch. et Hurt., ac ipse Pal. d. 2. p. 14. §. 2. n. 2. cum Innoc., Panorm., Vasquez, Laymann, Bonac. etc.* — (5) *in c. Cum audimus causa 24. q. 1. et in cap. Tanta de excess. prælat.* — (6) *ita Salm. ib. p. 9. n. 107. cum Pal., Suarez et communi.* — (7) *Pal., Avila, Laym., Sa etc. cum Salm. ib. n. 108.* — (8) *ita Pal. p. 10. n. 18., Bon. §. 1. n. 9., Cov., Avila etc. cum Salm. de cens. c. 3. p. 9. n. 110. (contra Suarez ap. Cont. Tourn. de cens. part. 2. c. 1. art. 3. s. 5. q. 2., qui sententiam Suarii vocat æque probabilem.)*

mune (1). Quare requiritur tunc nova collatio, quamvis probabile putent *Salm.* (2), sufficere, quod collator sciens in prima voluntate perseveret.

Notandum 5., quod excommunicatus beneficium recipiens non potest facere suos fructus perceptos tempore excommunicationis, etiamsi postea absolvatur et rite beneficium reobtineat. Attamen eo casu, si pro illo tempore per se vel alios satisfecerit officio annexo, potest fructus retinere; quia fructus beneficii vacantis, ubi non est usus *spolii*, spectant ad successorem (3). Ubi autem est lex *spolii*, recte ait *Palaus* (4), posse tantum retinere fructus correspondentes servitio præstito. Imo probabiliter dicunt (5), quod, si ille bona fide beneficium receperit et servitium præstiterit, tunc, licet teneatur beneficium dimittere, potest tamen retinere aut exigere fructus suæ congruæ sustentationi correspondentes pro tempore servitii præstiti; quia reipsa ecclesiæ inservivit, et ratione illius operis dignus est congrua sustentatione.

181. — Sed *quæritur 1.*, an excommunicatus etiam toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia etc. Negant *Giballinus*, *Navar.*, *Diana*, *Hurt.*, et probabile vocat *Less.* (6), quia concilium Constantiense, concedens fidelibus cum excommunicato tolerato communicare, consequenter concedit excommunicato beneficium recipere. Verius tamen affirmant (7). Ratio, quia, etsi concessum sit aliis cum tolerato communicare, excommunicatus tamen non potest officia præstare; quare collatio semper fit indigno. Exciperem, si in aliquo casu officia præstanda essent in commodum conferentium beneficium petentium illius communicationem in prædictis officiis. Hinc, licet in *c. Postulastis de cler. excomm.* lata sit suspensio contra conferentes beneficium excommunicato, tamen recte dicunt

(1) *vide Salm. ib. n. 111.* — (2) *ib. in fine cum Less., Bonac., Nav., Henr.* — (3) *ut dicunt Bon. d. 2. q. 2. p. 4. §. 1. n. 5. et Salm. ib. n. 101. cum Coninchio, Henriq., Diana et Leand.* — (4) *d. 2. p. 11. n. 1. cum Nav., Henr., Coninch. et Avila.* — (5) *Suar. d. 13. s. 1. n. 3., Cont. Tourn. l. c. v. hic, Diana p. 3. tr. 9. r. 89. et Salm. ib. n. 100. cum Coninch. et Cornejo.* — (6) *ap. Salm. ib. n. 104.* — (7) *Pal. q. 10. n 3., Suar. d. 13. s. 1. n. 29., Cont. Tourn. l. c. q. 1., item Avila, Coninch. etc. cum Salm. ib. n. 105.*

Salm. (1), hanc suspensionem sublatam fuisse ex concilio Constantiensi.

182. — *Quæritur 2.*, an valida sit collatio beneficii facta alicui inculpabiliter ignoranti, se esse excommunicatum vel non esse ab excommunicatione absolutum. Negant communius (2). Ratio, quia ignorantia excusat quidem a culpa, sed non tollit inhabilitatem. Dicunt tamen *Lessius et Salm. ll. cc.*, probabilem esse sententiam *Dianæ et Baunii* cum *Fabro*, quod collatio tunc satis sit valida, quia collator ad cautelam solet absolvere a censuris, dum alicui de beneficio providet, ad effectum scilicet tantum præsentis collationis consequendum. Idque revera est satis probabile cum *Cabassutio* (3).

183. — *Quæritur 3.*, an, qui est excommunicatus post beneficium obtentum, privetur fructibus ante sententiam judicis, etiamsi per se aut per alium officium præstet. Affirmant *Concina* (4) *cum Suarez, Fill. etc.*: sed probabilius negant (5). Post sententiam vero excommunicatus restituere quidem tenetur omnes fructus, donec absolvatur, etiamsi per se non stet, quominus absolvatur: nisi esset pauper, quo casu sibi fructus tamquam pauperi applicare posset (6).

184. — „*Sexto* privat communicatione forensi. Unde excommunicatus nequit esse judex, advocatus, procurator licet pro semetipso respondere possit ipse (7);" *(et etiam actorem reconvenire; et hoc, etiamsi per alium commode possit se tueri* (8)*;* „item actor, tabellio, testis etc., ita ut contra excommunicatum, etiam toleratum, semper possit reus excipere (9)." *(Quamvis is actor excommunicatus valide agat, donec repellatur* (10). *Dicunt tamen Diana et Lezana* (11), *non peccare graviter actorem,*

(1) *ib. n 106.* — (2) *Pal. n. 4., Less. l 2. c. 34. n. 117. et Sanch., Coninch. l. 2. c. 2. d. 10. n. 7., Suarez d. 3. et alii cum Salm. ib. n. 99.* — (3) *theor. jur. l. 5. c. 11. n. 11.* — (4) *p. 462. n 29.* — (5) *Pal., Sanchez, Laym., Cont. Tourn. l. c. q 4., Salm. ib. p. 10. n. 114. et alii, quos retulimus l. 4, 670.* — (6) *ita Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 10., Pal. dub. 2. p. 11. n. 6., et Salmant. ib. n. 117. cum Avila, Sylv., Corn. etc.* — (7) *Coninch., Præpos., Diana p. 5. t. 9. res. 111.* (8) *ut Coninch., Pal., Suar. etc. contra alios ap. Salm. de cens. c. 3. p. 11. n. 125.* — (9) *(ita ex c. Veniens de testib., c. Pia de except. in 6., et c. Nullus causa 3. q. 4.)* — (10) *ut ex d. c. Pia.* — (11) *ap. Salm. ib. n. 118.*

qui juste petit suum, si non repellitur. Toleratus vero licite tuetur se et alios in judicio (1). *Vitandus tamen non potest alios in judicio defendere; quamvis, si faciat et stipendium recipiat, non teneatur illud restituere* (2). *Exceptio autem opponi potest etiam post sententiam ante ejus executionem* (3). „Quod si non faciat, nec judex eum „repellat, valida ejus acta erunt, si sit toleratus. Secus est „de judice non tolerato, cum sit privatus jurisdictione (4)." *(Hoc recte putant esse probabilius Salm.* (5). *Testis pariter vitandus valide testatur, si non repellitur; toleratus autem valide et licite, si ab una partium requiritur* (6). „Non potest etiam esse tutor aut curator (7); neque te„stamenti executor (8): si tamen non fiat oppositio, va„lide exequitur (9). Nec potest ipse testari licite, etsi „faciat valide, etiam cum excommunicatum instituit hæ„redem (10). Denique contractus omnes ab eo facti (etsi „sint illiciti, et ratione eorum non detur actio in foro „externo durante executione) valent, nisi fiant ab eo ut „persona publica vel ministro ratione muneris et bene„ficii; quia tunc spectant ad jurisdictionem, quæ suspensa „est (11).

185. — „*Septimo:* Excommunicatus non to„leratus privatur usu jurisdictionis. Undenon „potest valide eligere, conferre, præsentare, ferre leges „vel sententiam; et qui sic beneficium a non tolerato „accipit, dicendus est intrusus ac proinde tenetur, sine „alia juris declaratione, beneficium una cum fructibus „relinquere." *(Ita communiter* (12).

„Dixi: *non toleratus;* quia acta tolerati probabile est „esse valida ob bonum commune; graviter tamen pec„cat, si absque necessitate talia exerceat." *(Et hoc certum est* (13) *quoad judicem ecclesiasticum* (14).

(1) *ut Pal. p. 14. n. 14., Salm. ib. cum Avila.* — (2) *Nav., Avila, Lez., Salm. l. c. in fine.* — (3) *Salm. ib. n. 119. ex d. c. Pia.* — (4) *vide Laym. c. 2., Diana p. 5. t. 9. res. 112. et 113.* — (5) *ib. n. 121.; juxta dicta supra n. 180. ad not. 2.* (6) *Salm. ib. n. 123. cum Avila et Pal.* — (7) *Diana p. 5. t. 9. res. 115. exSylv.* — (8) *Diana p. 8. t. 9. res. 2. ex Caspensi. etc. contra Sanch., Lugo etc.* — (9) *ibid.* — (10) *Suar., Villal., Merc. etc. cum Diana l. c. res. 129.* — (11) *Diana p. 5. t. 9. r. 128. ex Coninch., Fill., Merc. etc.* — (12) *Salm. de cens. c. 3. p. 11. n. 121.* — (13) *cum Salm. dict. n. 121.* — (14) *in c. Tanta de excess. prælat.*

186. — „*Octavo:* Non toleratus privatur ecclesiastica sepultura, ita ut non possit in loco sacro seu benedicto sepeliri; et si contrarium fiat, ac corpora discerni possint, debet exhumari, nec in eo loco divina peragi ante reconciliationem.

Ita ex *cap. Sacris de sepulturis.* Polluta autem ecclesia, manet pollutum et cœmeterium, sed non contra (1). Si vero excommunicatus decessit cum signis pœnitentiæ, non est exhumandus, sed absolvendus, petita absolutione ab hærede (2). Peccant graviter comitantes vitandum ad sepulturam, clerici canentes etc. (3). Sepelientes autem illum incurrunt excommunicationem majorem (4). Per *sepelientes* autem non intelliguntur comitantes, canentes etc. An autem intelligantur procurantes sepeliri? Affirmant *Salm.* (5), *Palaus*, *Coninch.*, *Suarez:* sed negant *Caj.*, *Bonacina*, *Avila*, *Henriquez etc.* (6). Recte dicunt *Salm.* (7), utramque esse probabilem.

187. — „Dixi: *non toleratus*; quia ecclesia non polluitur, etsi hæreticus non speciatim denuntiatus in ea sepeliatur (8)." *(Hinc tolerati licite sepeliuntur in loco sacro, si cum signis pœnitentiæ a vita migraverint* (9)*.* „Jure nihilominus id prohibent episcopi in Germania, eo quod inter cæteras pœnas non communicantium in paschate etiam statuatur privatio sepulturæ ecclesiasticæ.

188. — „*Nono:* Excommunicatus privatur omni alia civili communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis, et, si non sit toleratus, etiam alii cum ipso non possint communicare; idque in casibus hoc versu comprehensis:

„*1. Os, 2. orare, 3. vale, 4. communio, 5. mensa negatur.*

Ista eruuntur ex iis, quæ declaravit *Calixtus* Papa in *c. Excommunicatos causa 11. qu. 3.*, ubi dixit: *Nec cum eis in oratione aut cibo aut potu aut osculo communicet, nec ave eis dicat; quia, quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta*

(1) *ex c. Consuluisti 40. de consecr. eccl. in 6.* — (2) *Salm. ib. p. 7. n. 75. cum Pal. et Corn.* — (3) *vide Salm. ib. n. 77.* (4) *ex clement. 1. de sepult.* — (5) *ib. n. 82.* — (6) *ib. n. 81.* (7) *ib. n. 80. in fine.* — (8) *ut docent Suar., Laym. et alii.* (9) *Palaus q. 6. n. 12., Salm. de cens. c. 3. p. 7. n. 75., Nav., Coninch., Sayrus.*

apostolorum institutionem, et ipse simili excommunicationi subjacebit. Non autem hic illud *simili* importat æqualitatem (scilicet excommunicationem majorem), sed tantum similitudinem, prout excommunicatio minor similis est majori.

189. — „Dicitur 1. *Os*, per quod intelligitur osculum „et omne colloquium, etiam privatum; item per nutus, „litteras, internuntium et quodvis signum benevolentiæ" (*ut missio vel acceptatio munerum* (1)).

190. — „Dicitur 2. *Orare*, id est omnis communica„tio in divinis, de qua supra (2)."

191. — „Dicitur 3. *Vale*, quod comprehendit omnem „salutationem (saltem honorificam) verbo vel signo vel „amplexu; et secundum quosdam etiam resalutationem, „eo quod sit actus observantiæ; sed contrarium videtur „verius, quia est solutio debiti: imo *Sayrus etc. cum* „*Diana* (3) putant probabile, quod sola verbalis salutatio sit prohibita, non autem alia signa, v. gr. aperiendo „caput etc., quæ urbanitatis causa fieri solent.

192. — *Dubitatur igitur 1.*, an liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. gr. adsurgendo, aperiendo caput, dando locum, sine tamen ulla expressione verborum.

Prima sententia valde probabilis negat (4). Ratio, quia hujusmodi actus reverentiæ, esto solis nutibus fiant et sine animo honorandi, sunt tamen quædam communicatio et vera signa amicitiæ ac salutationis.

Secunda sententia vero affirmat, modo absit animus salutandi (5). Ratio, tum quia tales actus non exhibentur ut signa amicitiæ aut communicationis, sed ut vitetur nota inurbanitatis; tum quia, esto hujusmodi actus involvant quamdam salutationem, talis tamen salutatio videtur consuetudine introducta ut necessaria, non qui-

(1) *Salm. ib p. 12. n. 135. cum Bon., Avila, Reg etc.* — (2) *(vide dicta n. 173.)* — (3) *t. 5. p. 9. res. 16.* — (4) *et hanc tenent Suar. d. 15. s. 1. n. 3., Pal. d. 2. p. 17. n. 4. cum Laymann, Salm. de cens. c. 3. p. 12. n. 136. cum Hurt., Escob., l. 50. n. 254. cum Vasq. et Sylv., ac Bonac. d. 2. q. 2. p 6. §. 2. n. 4. cum Henr., Ugol. et Reg.* — (5) *hanc tenent s. Antonin. 3. p. tit. 25. c. 2. in princ. cum Guill., Nav. c. 27. n. 20. cum Major et Ang., Fill. tr. 13. n. 85., Sporer suppl. p. 134. n. 97., item Sotus, Avila, Graffius et Sayrus ap. Pal.*

dem ad honorandum excommunicatum, sed ne ille contemnatur. Hanc autem secundam sententiam merito vocant probabilem ipsi fautores primæ sententiæ (1): maxime (2) si excommunicatus sit superior vel persona publica, uti episcopus, prætor etc., quia tunc prædicta signa potius exhibentur ad vitandum damnum vel indignationem illius.

193. — *Dubitatur 2.*, an liceat excommunicatum resalutare. Affirmant *Busemb.* ut supra *ac Fill.* (3), *Henriq. et Krimer* (4), et probabile putat *Palaus*(5); quia, ut ajunt, resalutatio illa non est exhibitio honoris, sed debiti solutio, quæ non videtur ab ecclesia vetari. Sed probabilius negant(6). Ratio, quia, cum vetitum sit salutare excommunicatum, ille non habet jus, ut resalutetur, eo quod in pœnam sui criminis est illo privatus. Et sic pariter probabilius dicunt (7), neque esse licitum excommunicato rescribere. Ratio est eadem ut supra, quia, cum prohibitum sit communicare cum excommunicato, ille non habet jus, ut ei rescribatur. Cæterum quoad resalutationem non audeo primam sententiam dicere improbabilem, quia, licet excommunicatus non habeat jus, ut resalutetur, tamen resalutatio illa non videtur proprie actus honoris, et contra negatio illius videtur quidam actus contemptus, vel saltem inurbanitatis. Quoad rescriptionem vero non valeo acquiescere sententiæ oppositæ, quia rescriptio videtur vera communicatio *).

Qui autem excommunicatum injuriis afficeret, vel ei diceret: *Deus te illuminet*, *convertat etc.*, nullam quidem censuram incurrit; ita communiter (8).

(1) *nempe Bon., Pal., Salm. et Escobar.* — (2) *ut ajunt Croix l. 7. n. 277., Mazz. t. 4. p. 316., Bon. cum Suar. l. c. et Renzi t. 1. p. 542. q. 4. cum Laym. et Pelliz.* — (3) *tr. 13. c. 5. q. 3. n. 84.* — (4) *ap. Croix l. 7. n. 277.* — (5) *d. 2. p. 17. n. 4.* — (6) *Bon. d. 2. q. 2. p 126. §. 2. n. 4., Holzm n. 197. et Salm. de cens. c. 3. n. 136. cum Avila.* — (7) *Bon. l. c., Croix d. n. 277, Viva de cens. q 3 a. 2. n 9., Salm. c. n. 136. cum Avila, et Renzi p. 541. q. 2 cum Pelliz. (contra Sa, et Henr. ap. Vivam l. c., quorum opinionem probabilem putat Mazz. t. 4. p. 316.)* — (8) *s. Anton. p. 3. tit. 25. c. 2. in princ., Salm. l. c., et Croix l. 7. n. 276. et 277.*

*) Idem asseritur in retractatione 96. *Editor.*

194. — „Dicitur 4. *Communio*, quæ comprehendit „omnem contractum; qui tamen validus est, si fiat (1);" *(illicitum autem est excommunicato testari, licet testamentum sit validum, nisi ille sit usurarius* (2) „item „cohabitationem, cooperationem, societatem, v. gr. in „contractibus, ita ut moraliter censeatur communicare; „quod prudens æstimabit: unde nec iter cum eo tan„quam cum socio facere licet." *(Nec licet cum eo collaborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire: intellige per modum societatis; nam alias cubare tantum ad quiescendum, etiam in eodem lecto, non vetatur; ita probabiliter* (3).

195. — „Dicitur 5. *Mensa*, per quam intelligitur omnis „convictus et convivia per modum societatis et commer„cii; qualis non est, si casu incidas in idem hospitium, „iter, mensam, imo lectum (4).

Non licet igitur communicare cum excommunicato in eadem mensa formaliter; idque accidit, quando excommunicatus invitat alterum ad cœnam; aut quando aliquis vitam communem agit cum excommunicato, esto non vescatur eisdem cibis, ut evenire solet in monasteriis et seminariis, in quibus, tametsi diversæ sint mensæ in eodem refectorio, nihilominus omnes censentur communicare in eadem mensa et refectione. Idem est, quando multi invitantur ab excommunicato, et in eodem cubiculo accumbunt, licet in diversis mensis; secus, si accumbant in mensis valde disjunctis seu dispositis in diversis cubiculis (5) Secus etiam, si quis ederet cum excommunicato in diversorio, adhuc in eadem mensa, ubi tamen unusquisque sibi intendit (6). Item secus, si quis casu conveniat cum excommunicato in eadem domo, itinere vel mensa (7).

(1) *(ita Salm. ib n. 138. cum Pal., Coninch., Avila contra aliquos ex c. 32. de sent. excomm. etc.)* — (2) *vide Salm. ib. n. 139.* — (3) *Suarez d. 15. s. 2. n. 8., Bonacina p. 6. §. 2. n. 5., Palaus d. 2. p. 17. n. 5. et Salmant. ib. n. 137.* — (4) *vide Bon. disp. 2. q. 2. p. 6. §. 1. et 2.* — (5) *ita Suarez d. 15. s. 2. n. 6., Salm. ib. n. 140., et Bon. d. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 5. cum Henr., Avila, Sayr., Fill., Reg. et Ugol.* — (6) *ut Suarez, Salm. et Bon. ll. cc. cum Sayro et alii.* — (7) *Holzm. n. 197., Sporer suppl. p. 134. n. 97. et Pal. d. 2. p. 17. n. 5. cum Suar., Laym., Sayr. et Hurt.*

196. — „*Quæres 1.*, quale peccatum sit, communicare „cum excommunicato non tolerato. Respondetur: Com„municatio in divinis censetur mortale propter gravita„tem materiæ; in civilibus autem (etsi inducat minorem „excommunicationem), secluso tamen contemptu, tantum „est veniale regulariter (1). Quod addo, quia aliquando „est mortale, ut si quis cum excommunicato communi„cet in eodem crimine, v. gr. si quis concubinam excom„municatam cognoscat.

197. — Distinguendum inter peccatum et pœnam communicationis cum vitando. Quoad peccatum in duobus casibus communicans certe peccat graviter: 1) Si communicat cum eo in divinis, nisi excuset parvitas materiæ (2); 2) si communicat in crimine criminoso, id est in eodem crimine sive contumacia, ob quam lata est excommunicatio: v. gr. si quis suam concubinam excommunicatam post excommunicationem iterum cognoscat (3); vel si quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum etc. impendit ei auxilium aut consilium, ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione (4).

198. — *Dubitatur* autem, an sit mortale, frequenter communicare in civilibus cum vitando. Adest duplex probabilis sententia. Negant *Nav.*(5), *Pal.*(6) *ac Sayrus*, *Avila*, *Henr.*, *Reg.*, *Diana*, *Leander etc.* (7); quia communicatio in civilibus de se est tantum veniale: veniale autem per quamcumque multiplicationem non fit mortale. Tunc autem dicunt (8), frequentem communicationem esse mortale, quando ex ipsa communicatione crederet communicans, excommunicatum sumere occasionem in sua contumacia perseverandi. Affirmant vero probabilius (9). Ratio, quia

(1) *Suar., Bon. etc., Diana p. 7. t. 11. r. 47. (ita etiam s. Thomas q. 23. n. 3., Salm. ib. p. 1. n. 7. et p. 12. n. 127. cum Lezana, Suar. et communi.)* — (2) *juxta dicta n. 173. et 176.* — (3) *ut habetur ex c. Concubinæ de sent. excomm.* (4) *ita Bon. q. 2. p. 6. §. 1. n. 8., Suarez d. 15. s. 7. n. 4. et Salm. de cens. c. 3. p. 12. n. 133. ex c. Nuper.* — (5) *c 27. n. 30.* — (6) *q 18. n. 3.* — (7) *ap. Salm. ib. n. 128.* — (8) *Nav. et Pal. cum Sayr. et Avila ll. cc.* — (9) *Suar. d. 15. s. 2. n. 11., Bon. q. 2 p. 6. § 1. n. 6., Holzmann n. 198., Sporer suppl. p. 134. n. 99., et Salm. ib. n. 129. cum Vill., Coninch. et Filliuccio.*

communicatio etiam civilis cum excommunicato vitando de se videtur materia gravis, quod maxime probatur ex *c. Excommunicatos 11. q. 3.*, ubi (1) *Calixtus* Papa æque prohibet communicationem in divinis quam in humanis. Item probatur ex *cap. Exceptionem 7. de except.*, ubi communicans civiliter cum excommunicato dicitur *in periculum animæ suæ communicare;* periculum autem animæ utique importat periculum damnationis, quod nonnisi per culpam mortalem incurritur. Communicatio igitur etiam civilis tantum ex parvitate materiæ potest esse venialis; ergo si actus multiplicentur et conjungantur, erit mortalis. Advertunt vero (2), ad peccandum graviter non sufficere, si quis frequenter etiam per longum tempus sejunctim communicet cum excommunicato, sed requiri, ut tales communicationes sint connexæ saltem per modum unius objecti voliti, nempe cum quis habet propositum formale aut virtuale, seu quasi ex habitu, sæpius communicandi longo tempore cum excommunicato, vel adsciscat eum sibi in socium aut famulum.

199. — Quoad pœnam vero communicans cum vitando, sive in humanis sive in divinis, incurrit tantum excommunicationem minorem. In tribus autem casibus incurrit etiam majorem: 1) Quando clericus scienter communicat in divinis cum excommunicato a Papa nominatim et denuntiato (3); 2) quando excommunicatio est lata contra aliquem, et simul contra participantes; tunc enim, qui communicat cum illo (post monitionem tamen), incurrit excommunicationem majorem, et non potest absolvi, nisi ab eo, qui absolvere potest principalem (4); 3) quando quis scienter communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoso, juxta mox dicta *n. 197.*; et hic absolvendus tantum, a quo principalis absolvi potest (5). Ita *Salm.* (6). Addunt autem (7), etiam episcopum excommunicantem excommunicationem majorem incurrere, si communicet in crimine criminoso.

(1) *ut diximus n. 188.* — (2) *Cont. Tourn. de cens. part. 2. c. 1. a. 3. s. 7. v. dico 1. ac Suar., Holzm., Sporer, et Salm. de cens. c. 3. p. 12. n. 129. cum Coninch. l. c.* — (3) *exc. Significavit de sent. excomm.; vide Salm. ib. n. 131. cum communi.* — (4) *ita s. Thom suppl. q. 23. a. 3., Pal. p. 18. n. 6., et Salm. ib. n. 132. cum Avila, Hart. etc.* — (5) *exc. Nuper de sent. excomm.* — (6) *ib. n. 133. cum aliis.* — (7) *ibidem.*

200. — „*Quæres 2.*, an aliquando liceat cum non to-„lerato communicare.

„*Respondetur*, quod sic, extra divina, in his quinque „casibus:" *(qui habentur c. Quoniam multos causa 11. q. 3.)*, „et in sequenti versiculo continentur:

„*1. Utile, 2. lex, 3. humile, 4. resignorata, 5. necesse.*

201. — „I. *Utile* intelligitur in casu utilitatis, sive spiri-„tualis ipsius excommunicati, v. gr. ut convertatur, sive „alterius, v. gr. ut ab excommunicato consilium petat, „quod ab alio habere non potest; sive etiam utilitatis „temporalis, v. gr. ut ab eo restitutio vel debitum ex „contractu exigatur. Contractus tamen novos cum ipso „inire non licet, etsi, si ineantur, sint validi, cum nulla „sit lex irritans.

Licet igitur ob bonum spirituale excommunicatum monere verbis vel litteris, et ideo ante vel postea alia verba inserere (1) ac signa benevolentiæ ostendere (2). Licet etiam concionem coram eo facere. An autem liceat in theologia eum instruere? Negant *Coninchius*, *Avila etc.*; sed affirmant *Salm.* (3), quia in hoc jam est utilitas spiritualis excommunicati. Ob bonum autem sive spirituale sive temporale aliorum licet ab excommunicato concionem audire, consilium petere, si desit alius æque idoneus (4). Licet etiam societatem prius initam cum eo continuare; item ab eo medicinas vel eleemosynam petere (5).

202. — „II. *Lex*, i. e. in casu legis matrimonialis: „quomodo uxori licet communicare cum marito et con-„tra, nisi factum sit divortium (6). Non tamen sponso de „futuro cum sponsa (7)."

Tam igitur excommunicato quam ejus conjugi licet petere et reddere debitum, ut periculum incontinentiæ vitetur, et in aliis omnibus mutuo conversari (8); *ex c. Inter alia 31. de sent. excomm.*, ubi permittitur tam con-

(1) *ex cap. Cum voluntate de sent. excomm.* — (2) *Sot., Bon., Avila, Salm. de cens. c. 3. p 13. n 142.* (3) *ib. n. 143. cum Soto et Sayro.* — (4) *Salm. dict. n. 143. in fine cum Coninch. et Bonac.* — (5) *ita Pal. p. 19. n. 2., Suar. d. 15. s. 4. n 8. p. 6. §. 2. n. 10., et Salm. ib. n. 144. cum Coninch. et Avila.* — (6) *Diana p. 5. t. 9. r. 122.* — (7) *l. c. r. 136. ex Sayro, Sanch. et Fill.* — (8) *ita d. Thom. in 4. d. 18. q. 2. art. 4., Bon q. 2 p. 6. §. 2. n. 18. et Salm. ib. n. 147. cum Suar., Sanch. et Pal.*

jugibus quam filiis, famulis etc. communicare cum excommunicato, ut debitum ei obsequium præstent. In tribus autem casibus nequeunt tales conjuges inter se communicare: 1) Quando ipsi sunt jam per divortium separati(1); 2) quando excommunicatio lata est propter dubium valoris matrimonii(2); 3) quando alter conjugum est ob hæresim excommunicatus(3).

Dubitatur autem *1.*, an quis possit communicare etiam in divinis cum conjuge excommunicato.

Prima sententia affirmat(4). Et probant ex *c. Quoniam* ut supra *11. q. 3.*, ubi generaliter *Gregorius VII.* videtur eximere conjuges (sicut etiam filios, famulos etc.) ab anathemate, si communicent cum excommunicato in iis, in quibus sunt soliti communicare.

Secunda sententia tamen verior negat(5). Ratio, quia in *c. Inter alia 31. de sent. excomm. Innocentius III.*, declarans præfatum textum *Gregorii*, dicit, uxores et alios ut supra tunc tantum posse, imo et teneri cum excommunicato communicare, quando id est necessarium ad præstandum obsequium ei debitum; uxori autem, ut præstet debitum obsequium viro, minime est necessarium, quod cum eo communicet in divinis.

Dubitatur 2., an conjux, qui scienter nupsit cum excommunicato, possit deinde cum ipso communicare.

Prima sententia valde probabilis et communior negat(6). Probatur ex dicto *c. Inter alia 31. de sent. excomm.*, ubi dicitur concedi facultas uxoribus et aliis personis subjectis communicandi cum excommunicatis, eodem modo, quo possent et tenerentur ante excommunicationem; ergo, si subjectio contrahitur post excommunicationem, non da-

(1) *ut cum Busemb. ut supra dicunt Bon. n. 21., Salm. de cens. c. 3. p. 13. n. 148. et alii communiter.* — (2) *ut Cont. Tourn. de cens. part. 2. c. 1. art. 5. v excusat 2., Holzm. n. 202., et Bonac. ac Salm. ll. cc.* — (3) *ex c. Decrevit de hæret. in 6.; vide Salm. c. c. n. 148. in fine.* — (4) *et hanc tenent Salm. ib. n. 154. ac Sanch. de matr. l. 9. d. 14. n. 5. cum Nav. et Henr.* — (5) *et hanc tenent Bon. q. 2 p. 6. §. 2. n. 22., Conc. p. 464. n. 36. et Cajet. ac Armill. ap. Sanch. l. c.* — (6) *eamque tenent d. Thom. suppl. q. 23. art. 1., Suarez d. 15. s. 4. n. 36., Pal. d. 2. p. 19. n. 15., et Salm. ib. n. 152. cum Coninch., Ang. et Sayr., Cont. Tourn. l. c., Conc. p 464. n. 36., item Fill., Cornejo, Gordon. etc. ap. Boss. de usu matr. c. 1. n. 286.*

tur ipsis licentia communicandi. Id probatur etiam ratione, quia subjectio illa fuit inique contracta et inique acquisita, unde non debent eximi ab onere censuræ, qui contra eam deliquerunt.

Secunda sententia vero affirmat (1); et merito probabilem vocant *Palaus et Salmant. ll. cc.* Ratio, quia in *c. Quoniam 11. q. 3. Gregorius* indistincte et absque ulla restrictione concedit personis subjectis facultatem communicandi cum excommunicato. Nec obstat textus oppositus in dicto *c. Inter alia;* ex eo enim, quod ibi dicitur, nempe subjectos teneri ad præstandum obsequium excommunicato eodem modo ac ante excommunicationem, minime evincitur, non posse communicare, qui tempore excommunicationis subjectionem contraxerunt; imo in tantum ibi dicuntnr subjecti teneri communicare, quia obligatio contracta præstandi debitum obsequium non eliditur ob excommunicationem supervenientem; unde, sicut obligatio illa non cessat ob excommunicationem supervenientem, ita nec ob antecedentem. Neque obstat, quod nemo possit se obligare ad illicitum, prout est communicare cum excommunicato; nam hoc curreret, quando quis directe se obligaret ad communicandum, non vero, quando indirecte se obligat ratione contractus; unde, quamvis illicite subjectio fuerit contracta, cum tamen contractus fuerit validus (prout certum est, esse validum matrimonium cum excommunicato), ex eo bene oritur et viget obligatio debitum obsequium præstandi. Et quod hic dicitur de conjugibus, idem dicunt præfati AA. de filiis et famulis.

203. — „III. *Humile*, i. e. in casu subjectionis; quo „modo possunt filii etiam emancipati," *(ut probabiliter dicunt (2)* „addit *Diana* (3), etiam adoptivi vel illegitimi, „imo etiam nepotes, pronepotes, et in eodem genere af„fines" *(ut nurus, privigna etc. (4)*, „communicare pa„renti, servi et ancillæ domino, si ante excommunica-

(1) *et hanc tenent Sanch. de matr. l. 9. d. 14. n. 3., Bon. d. 2. p. 6. §. 2. n. 18. cum Ugol. et Alter., ac Boss. t. c. n. 288. cum Coninch., Turriano, Diana et Villal.* — (2) *Suar. d. 15. s. 5. n. 3., Bon. p. 6. §. 2. n. 29. et 33., Pal. p. 19. n. 10., et Salm. de cens. c. 3. p. 13. n. 149. cum Cornejo et Sayro contra Soto, Nav. etc. ibid.* — (3) *p. 5. t. 9. r. 118. et 119. ex Coninch., Fill., Hurt. etc.* — (4) *Salm. de cens. c. 3. p. 13. n. 149. cum Suar., Pal., Bonac. etc.*

„tionem fuerint in servitio. Similiter religiosi prælato: „non tamen nisi quoad eam communicationem, quæ ab „habitantibus in eadem familia evitari non potest (1)."

Sic pariter excusantur omnes servientes, etiam gratis, et tota familia excommunicati (2). Ita etiam milites possunt communicare cum duce excommunicato (3): non autem vasalli cum suo domino (4), nisi quoad solutionem tributorum, si ligati sint juramento fidelitatis (5). Attamen judico, sæpe istos alias excusari ratione necessitatis vel utilitatis. Item religiosi possunt communicare (6) cum suis prælatis excommunicatis.

An vero famuli excommunicati ejusdem domini possint inter se communicare? Per se certe non possunt, cum in *cit. c. Quoniam 11. q. 3.* id eis non conceditur; possunt tamen per accidens, eo quod moraliter obligantur simul cohabitare (7). Hoc tamen intelligendum, quando ipsi serviunt impulsi necessitate se sustentandi, et insuper non possunt commode dominum illum relinquere.

204 — *Notandum* autem *1.*, quod, sicut filii, uxores et famuli possunt cum excommunicato communicare, ita parentes, mariti et domini possunt communicare cum filiis, uxoribus et famulis excommunicatis (8). *Notandum 2.*, famulos, uxores aut filios non posse communicare cum excommunicato in divinis, nisi tantum in iis, in quibus communicatio est necessaria ad præstandum obsequium illi debitum, ut mox supra diximus *n. 202. dub. 1.* Hinc famuli licite comitantur dominum ad missam, ac licite jussi ministrant celebranti excommunicato, aut cum eo officium recitant (9). Hoc tamen intelligendum, quando famuli vi contractus tenentur ad hujusmodi obsequia exhibenda; secus, si non obligantur vi contractus, aut si

(1) *Diana l. c. r. 117. contra Sotum; vide Fill. tr. 12. c. 8. n. 203., Laym. et Bon. l. c.* — (2) *ex c. Quoniam et c. 34. de sent. excomm.; vide Salm. ib. n. 150.* — (3) *ex d. c. 34.* (4) *ex c. Nos sanctorum, causa 15. q. 6.* — (5) *ut Salm. ib. cum Suar., Avila, Corn.* — (6) *Suar. d. 15. s. 7. n. 2. et Pal. d. 2. p. 19. n. 18. cum Bon., Sayr. et communi contra paucos.* — (7) *ita Suar. n. 13., Nav. c. 27., Bonac. d. 2. q. 2. p. 6. §. 2. n. 32. et Pal. n. 23. cum Hurt., Sayr. et Ugol.* — (8) *s. Thom. suppl. q. 23. art. 1., Pal d. 2. p. 19. n. 21., Bon. §. 2. n. 38., et Salm. de cens. c. 3. p. 13. n. 153. cum Soto, Henriquez, Corn., Avila, Coninch. et Hurtado.* — (9) *ut dicunt Suar. d. 15. s. 5. n. 22. et Salm. ib. n. 154.*

obsequia illa sint extraordinaria, nec ad suum famulatum pertineant, ut recte ait *Suarez l. c.* Ubi bene pariter advertit, non posse celebrantem uti clerico excommunicato, si commode alium adhibere possit. *Notandum 3.*, quod, si famuli veniunt in familiam domini excommunicati, vel locant ei operas suas ante excommunicationem, vel etiam post excommunicationem, sed bona fide, quia nesciunt excommunicationem, vel quia coguntur necessitate gravi, non peccant et bene possunt communicare cum illo eodem modo, ut supra. Peccant vero, si scientes veniant et sine necessitate (1). An autem in hoc casu teneantur postea discedere et peccent communicando: vide mox supra dicta *n. 202.* de eo, qui matrimonium contraxit cum excommunicato; idem currit pro famulis locantibus excommunicato operas suas, ut dicunt AA. ibi citati.

205. — „IV. *Res ignorata*, i. e. in casu ignorantiæ „juris vel facti."

Certum est, quamlibet ignorantiam aut inadvertentiam inculpabilem, sive juris sive facti, excusare communicantes cum excommunicato (2). Sed dubitatur, an excuset etiam ignorantia culpabilis et crassa. Negant *Bon.* (3) *et Salm.* (4), quia ecclesia imponit excommunicationem communicantibus cum vitando, semper ac communicatio est peccaminosa: affirmant vero satis probabiliter (5). Et probatur ex eod. *c. Quoniam: primo*, quia, cum ibi expresse excusentur ignorantes, videntur omnes quomodocumque ignorantes excusari, et damnari tantum scienter communicantes; *secundo*, quia, cum Pontifex excuset ignorantes, videtur aliquem favorem velle concedere culpabiliter ignorantibus, dum ignorantes inculpabiliter ipso jure naturæ excusantur; *tertio*, quia (et hoc fortius urget) in dicto canone Pontifex asserit, se moveri ad prædictam indulgentiam concedendam, *quoniam multos* (sic enim ibi incipit loqui) *pro causa excommunicationis perire* (nota) *quotidie cernimus, partim ignorantia, partim simplicitate etc.* Ergo Pontifex intelligit, excusari etiam vinci-

(1) *ita Suar. l. c. n. 13., Pal. p. 19. n. 14. et Salm. ib. n. 151. cum Coninch.* — (2) *ex dicto c. Quoniam 11. q. 3.* — (3) *d. 2. q. 2. p. 6 §. 2. n. 14.* — (4) *ib. n. 155.* — (5) *Suar. d. 15. s. 3. n. 3., Holzm. de pœn. eccl. n. 202., Pal. d. 2. p. 19. n. 24. cum Coninch. et Hurtado.*

biliter ignorantes; nullus enim perit ex ignorantia invincibili.

206. — „V. *Necesse*, i. e. in casu necessitatis, sive „animæ sive corporis sive bonorum temporalium."

Excusat igitur quævis necessitas gravis, sive spiritualis sive temporalis, sive communicantis sive excommunicati, sive aliorum, si res non possit haberi ab alio quam ab excommunicato; ut communiter (1). Idque patet signanter ex *c. Si vere 34. de sent. excomm. et dicto c. Quoniam multos.* Sic pariter excusat necessitas per coactionem metus, quia lex humana non obligat cum gravi incommodo, ut recte addunt *Salm.* (2) juxta dicta *l. 1, 175.*

207. — Ultimo autem hic advertendum, quod nemo tenetur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet, illum esse vitandum, vel ad minus sciat per publicam famam vel per testimonium duorum saltem dignorum fide; cuivis enim unico testi credere non tenemur (3). Bene tamen advertit *Tournely l. c.*, quod in dubio, an quis sit vitandus, non licet ab eo suscipere sacramentum pœnitentiæ, propter periculum illud invalide percipiendi. Dicunt autem (4), quod licite communicare possumus cum eo, qui fuit excommunicatus, si adsit fama publica de ejus absolutione; vel etiam, si ipse excommunicatus (qui alias sit fide dignus) se absolutum fuisse asserat, possumus ei credere.

DUBIUM IV.

Ob quas causas incurratur excommunicatio major.

208. — „Cum hæ multæ sint, variæ sunt etiam excom„municationes, quæ in quatuor potissimum classes divi„duntur; nam aliæ nulli, aliæ episcopo, aliæ Pontifici per „bullam cœnæ, aliæ eidem extra illam reservantur.

(1) *Bon. p. 6. § 2. n. 59., Pal. p. 19. n. 29., et Salm. de cens. c. 3. p. 13. n. 157. cum Avila, Hurt., Sayro et Lez.* — (2) *ib. in fine.* — (3) *ita Sanch. dec. l. 1. c. 19. n. 63., Nav. c. 22. n. 82., Pal p. 10. n. 26., Cont. Tourn. de cens. p. 2. c. 1. art. 5. q. 4., et Salm. ib. n. 156. cum Bonac., Avila et Corn.* (4) *Suarez d. 15. s. 3. n. 7., Pal. n. 27., Bon. §. 2. n. 54. et Salm. dict. n. 156. in fine cum Cov., Avila, Corn. et Hurt.*

ARTICULUS I.

Quæ sint excommunicationes non reservatæ.

209. *Excommunicationes contra omnes.*
210. *Contra clericos.*
211. *Contra religiosos.*
212. *Excommunicationes adjectæ a Tridentino. Dub. 1., an incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi monasteria, tantum ut educentur. Dub. 2., an cogentes ex metu reverentiali. Dub. 3., an cogentes mares. An impedientes ingressum puellæ.*

209. — „Resp. I. Ex jure antiquo usitatiores sunt „sequentes: Contra omnes: 1. In vexantes ecclesia„sticos, quod non elegerint eum, pro quo rogati fuerant (1); „2. in directores monialium, si foveant discordias in ele„ctione (2); 3. in extorquentes absolutionem a censura „per vim aut metum (3); 4. in compellentes ecclesiasti„cos, ut laicis submittant jura ecclesiæ (4); 5. in docen„tes leges vel medicinam religiosos, qui dimiserunt ha„bitum, vel eos retinentes in suis scholis (5); 6. in se„pelientes tempore interdicti, vel interdictos, vel excom„municatos non toleratos, vel manifestos usurarios (6); „7. in impedientes visitatores monialium (7); 8. in con„trahentes matrimonium in gradibus prohibitis vel cum „monialibus (8); 9. in edentes glossas in Tridentinum (9); „10. in imprimentes libros sine superiorum licentia (10); „11. in præcipientes suis subditis, ne officia communia „reipublicæ exhibeant ecclesiasticis, v. gr. ne iis ven„dant, coquant panes etc. (11) (Et videtur reservata in „bulla cœnæ §. 15); 12. in doctores et professores non „facientes professionem fidei, ubi recepta est bulla 88. „*Pii IV.*; 13. in negligentes administrare justitiam ec„clesiasticis (12); 14. in potestates foventes usuras (13).

Item 15., qui ratas habent collationes ordinum et be-

(1) *c. Sciant de elect. in 6.* — (2) *c. Indemnitatibus eod. tit.* — (3) *c. De his, quæ vi etc. in 6.* — (4) *c. 2. de reb. ecclesiæ non alien. in 6.* — (5) *c. 2. Ne clerici etc. in 6.* — (6) *clem. 1. de sepult.* — (7) *clem. Attendentes de statu monach.* — (8) *clem. un. de consang.* — (9) *bulla 73. Pii IV.* — (10) *bulla 12. Leonis X.* — (11) *c. Eos qui, de imm. eccl.* — (12) *c. Administrationis 12. q. 5.* — (13) *clem. un. de usura.*

neficiorum a schismaticis (1); 16. qui titulo regaliæ aut defensionis occupant bona ecclesiæ vacantis (2); 17. qui procurant, ut conservatores regularium se immisceant in aliis quam in manifestis injuriis et violentiis (3); 18. qui ex judicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium (4); 19. qui mandant interfici christianos per assassinos (5); 20. qui concedunt, vel concessas repressalias extendunt adversus ecclesiasticos (6) (Repressaliæ enim fiunt, quando passi injustum damnum auctoritate principis invadunt bona eorum, qui damnificaverant usque ad justam compensationem); 21. qui sequestrum ab ordinario super beneficio factum impediunt, vel fructus occupant (7); 22. qui pingunt, inaurant etc. agnos Dei a Pontifice benedictos (8); 23. qui non denuntiant s. officio vel ordinario hæreticos, magos, sortilegos, vel hæreticaliter blasphemantes Deum, b. Virginem et sanctos (9); 24. domini, qui permittunt agitationes taurorum in terris suis, nempe periculosas (10) (exceptis regnis Hispaniarum, juxta dicta *l. 4, 365.*); 25. qui faciunt servari statuta contra libertatem ecclesiasticam (11): et hæc videtur reservari in bulla cœnæ.

210. — „Contra clericos: 1. In clericos in dignitate constitutos, aut sacerdotes audientes publice jus „aut medicinam (12); 2. in sacerdotes recipientes præfecturas sæculares (13); 3. in clericos minores episcopis „locantes domos usurariis; 4. in alienantes bona ecclesiæ vel locantes ultra triennium (14); 5. in impugnantes „in concionibus montes pietatis (15); 6. in contrahentes „matrimonium, si sint in sacris (16); 7. in ficte resignantes vel permutantes beneficia (17); 8. in præsumentes „absolvere a casibus bullæ cœnæ.

Item 9. in eos, qui se ingerunt in alterius episcopatum ad officium sine licentia proprii episcopi (18); 10. qui

(1) *c. 1. de schismat.* — (2) *c. Generali de election. in 6.* — (3) *cap. fin. de offic. deleg in 6.* — (4) *c. 2. de jud. in 6.* — (5) *c. 1. de homicid. in 6.* — (6) *c. un. de injur. in 6.* — (7) *clement. un. de sequest. possess.* — (8) *bulla 2. Gregorii XIII.* (9) *edictum s. officii.* — (10) *bulla 48. s. Pii V.* — (11) *c. Noverit de sentent. excomm.* — (12) *c. fin. Ne clerici etc.* (13) *c. Clerici eodem. tit.* — (14) *extrav. Ambitiosæ de reb. eccles. etc.* — (15) *bulla 11. Leonis X.* — (16) *clem. un. de cons.* (17) *bulla 58. s. Pii V.*) — (18) *c. Quoniam de offic. ordinar.*

procurant, ut alii occupent jura et bona ecclesiarum vacantium (1). Et hæc videtur reservata in Tridentino (2).

211. — „Contra religiosos: 1. In audientes leges vel medicinam extra claustra (3); 2. in habitum temere dimittentes vel matrimonium contrahentes (4); 3. in „instituentes novum ordinem" *(vel locum acquirentes sine licentia Papæ* (5); „4. adeuntes curias principum ad nocendum suis monasteriis vel prælatis (6); 5. tenentes arma „sine licentia intra claustra; *ib.;* 6. non servantes interdictum, quando servatur a cathedrali (7).

Item 7., qui non adimplent disposita in bulla *Alexandri VII.*, quæ incipit *Felici*, in visitatione monialium sibi subjectarum; 8. qui occupant decimas ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent (8); 9. qui ex Mendicantibus recipiunt novas domos, vel receptas alienant sine licentia Papæ (9); 10. qui non observant interdictum a Papa vel ab episcopo positum (10); 11. qui de Capuccinis recipiunt Minores de observantia sine licentia Papæ aut ordinis generalis, et qui recipiuntur (11).

Item contra episcopos 1. Qui veniunt ad Urbem, et inde recedunt sine licentia Papæ (12); 2. qui impetrant a principibus litteras ad dignitates (13).

212. — „*Resp. II.* Supradictis adjectæ sunt a Tridentino sequentes; quæ valent, ubi illud est receptum: „1. In imprimentes, imprimi mandantes, vendentes, apud „se retinentes, vulgantes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris et approbatione ab ordinario obtenta." *(In Tridentino* (14) *sic habetur:* „*Nulli liceat imprimere libros de rebus sacris, vel imprimi facere; neque vendere aut retinere sine nomine auctoris, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis.")* „2. In docentes, non esse necessariam „confessionem ante sumptionem eucharistiæ (15); 3) in

(1) *c. Generali de elect. in 6.* — (2) *sess. 22. c. 21.* — (3) *c. Non magnopere et c. Super specula ne clerici etc.* — (4) *clem. un. de consang.* — (5) *c. un. de relig. dom. in 6.* — (6) *clem. Ne in agro §. Quia vero de statu monach.* — (7) *vide Fill. tr. 22. c. 84., Bonac. d. 4. p. 5. §. 1. n 36.)* — (8) *clem. 1. de decim.* — (9) *clem. Cupientes de pœnis.* — (10 *clem. 1. de sent. excomm.* — (11) *ex bulla 20 Sixti V.* (12) *extrav. 2. et 3. de major. et obed.* — (13) *bulla 96 Pii IV.* — (14) *sess. 4. decr. de edit. etc.* — (15) *(Trid. sess. 13. can. 11.)*

„raptores mulierum, juvantes, faventes(1); 4. in cogen„tes contrahere matrimonia cum præscriptis(2); 5. in „magistratus, qui requisiti non juvant episcopos ad re„stituendam vel conservandam clausuram monialium(3); „6. in ingredientes (cujuscumque conditionis vel sexus „fuerint) monasteria monialium, sine licentia in scripto „obtenta; *ib.;* 7. in cogentes mulieres ingredi monaste„rium et profiteri(4)" (*Sed de hac excommunicatione vide mox infra dicenda v. quoad etc.*); „8. in impedien„tes sine justa causa sanctam voluntatem mulierum emit„tendi votum; *ib.;* 9. in dominos temporales concedent„tes in terris suis locum pro duello(5).

Quoad excommunicationem mox supra relatam in cogentes mulieres ad ingrediendum monasterium,

Dubitatur 1., an eam incurrant, qui cogunt fœminam ad monasterii ingressum, non ut profiteatur, nec ut habitum sumat, sed ut ibi honeste educetur. Affirmant *Suarez*(6), *Nav.*(7) *et Bon.*(8) **) cum Fill.* Id probant ex Tridentino(9), ubi excommunicantur, *quicumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam (præterquam in casibus in jure expressis) ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem.* Concilium igitur hic tria membra distinguit, et inurit censura omnes cogentes fœminam sive ad ingressum monasterii, sive ad susceptionem habitus, sive ad emissionem professionis; spectavit enim Tridentinum, ne occasione ingressus detur ansa mulieri suscipiendi habitum aut profitendi minus libere propter suasionem monialium vel ob exeundi pudorem. Negat vero *Sanchez*(10) *cum Manuel.* Ratio, quia in prædicta sanctione Tridentini videntur non tria, sed duo membra contineri; ibi enim damnantur cogentes *ad ingrediendum monasterium* (quod est quidquam commune, habens duos fines, nempe) *vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel*

(1) *sess. 24. c. 9.* — (2) *sess. 24. c. 9.* — (3) *sess. 25. c. 5. de regul.* — (4) *sess. 25. c. 18. de reg.* — (5) *Trid. sess. 25. c. 9. de ref.)* — (6) *de censur. d. 23. s. 7. n. 9.* — (7) *consil. l. 5. cons. 56.* — (8) *t. 3. d. 2. q. 2. p. 2. n. 14.* — (9) *sess. 25. c. 18. de regul.* — (10) *dec. l. 4. c. 4. n. 12.*

*) At *Bonacina* aperte sententiam negativam tenet. *Editor.*

ad emittendam professionem. Ergo, qui cogit ad ingressum tantum causa educationis, non vero ad habitus susceptionem vel ad professionis emissionem, ibi minime improbatur. Et cum simus in pœnalibus, juxta regulam juris, benignior facienda est interpretatio. Sed hoc non obstante prima sententia mihi est probabilior*), et ducor, quia concilium, postquam principales cogentes damnat, eamdem fert censuram contra eos, *qui consilium, auxilium vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium* (nota), *aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoque modo eidem actui vel præsentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint.* Ex hac igitur secunda parte sensus primæ colligitur; sicut enim in hac secunda parte tria membra distinguuntur, cum damnentur præbentes consensum actui coacto in tribus casibus; nempe quando mulier invita aut ingreditur monasterium, aut habitum suscipit, aut professionem emittit: sic etiam intelligendum prima parte quoad principaliter cogentes. Quia tamen concilium excipit casus in jure expressos, dicunt probabiliter *Suarez et Bonacina cum Fill. ll. cc.*, licite posse cogi mulierem delinquentem ad ingrediendum in sui criminis pœnam, vel ne labatur in aliquam incontinentiam (1).

Dubitatur 2., an incurrant excommunicationem parentes inducentes puellam ad ingressum monasterii vel susceptionem habitus, ex metu reverentiali. Si metus concipitur a puella ex se, absque illorum cooperatione, certum est, non incurrere. *Dubium* est, si metus oriatur ex declaratione voluntatis parentum. Affirmat incurrere *de Alexandris* (2), quia, ut ait, qui non contradixit ob reverentiam, in jure non censetur consentire (3). Sed probabilius negat *Barbosa* (4), quia tunc revera non incutiunt metum parentes, sed ipsa ob reverentiam metum concipit (5). Simplex enim inductio sive suasio non est coactio,

(1) *ut eruitur ex c. Significavit et c. Gaudeamus de convers. conjug.* — (2) *conf. mon. c. 2. §. 2. q. 9.* — (3) *ex l. Si cum dotem §. Eo autem, ff. de soluto matr.* — (4) *in Trid. sess. 25. c. 18. n. 4. cum Rodr., Portel., Riccio et Tamb.* — (5) *juxta dicta l. 4, 717. v. idem, et l. 6, 1056.*

*) Et in retractatione 98. *s. Alphonsus* hanc opinionem absolute probabiliorem dicit, *nisi* (addit) *puella sit in periculo incontinentiæ.* *Editor.*

ut fatetur idem *de Alexandris*(1), et decisum refert *Barbosa*(2) *ex Armendario*. Et hoc, etiamsi addantur preces importunæ, ut probabiliter subdit idem *Barbosa*(3); quia suasio etiam importuna non est vera coactio, quæ requiritur a concilio ad excommunicationem incurrendam: et cum agatur de pœnis, talis coactio stricte est intelligenda. Secus vero, ait *Rodriquez ap. Barbosa*, si preces excederent limites simplicis suasionis, nempe(4) si preces sint instantissimæ et sæpius inculcatæ: ipsæ enim videntur involvere gravem metum ex probabili indignatione futura parentum. Addunt *Suarez et Bonacina ll. cc.*, licite posse cogi puellas ad ingrediendum monasterium propter cautionem vel ob aliam justam causam secundum jura. Hinc dico, quod, etsi absolute loquendo non liceat eas cogere ad ingressum causa melioris educationis, si tamen contra prudens accedat suspicio, quod illa in sæculo manens pravis moribus imbueretur, puta si videretur nimis propensa ad conversandum cum maribus, vel si domi haberet, unde facile sumeret scandalum ex propinquis aut famulis tunc non auderem damnare cogentes eam, ut cautionis gratia monasterium intraret; nam eo casu utique finis concilii prohibentis hujusmodi coactionem cessaret, non solum adæquate, sed etiam contrarie, cum alias, si non fieret coactio, majus malum eveniret(5). Ad hoc refert id, quod scripsit *d. Hieronymus* ad Lætam: *Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ et pedissæque a sæcularibus consortiis arceantur, ne, quod male didicerint, pejus doceant.*

Dubitatur 3., an incurrant excommunicationem, qui cogunt mares ad religionem ingrediendam. Affirmat *Palaus*(6), quia eadem ratio finalis currit in maribus, quæ in fœminis: sed communiter et verius negant(7). Ratio, quia a concilio excommunicatio dumtaxat fertur contra cogentes fœminas, non mares: in pœnalibus autem non fit extensio

(1) *c. 7. §. 8. q. 4.* — (2) *alleg. 104. n. 3.* — 3) *l. c. in Trid. cum Portella et Rodriq. contra de Alexand.* — (4) *ut dicit Sanchez dec. l. 3. d. 7. n. 8.* — (5) *vide dicta l. 1, 199.* — (6) *ap. Sanchez l. 4. c. 4. n. 3.* — (7) *Suar de censur. d. 23. sect. 3. n. 8, Sanch. l. c. cum Bannez, Bon. t. 3. d. 2. q. 2. n. 15. cum Fill., Barb. alleg. 104. n. 7. cum Miranda, ac Boss. de defect. matr. c. 10. n. 74. cum Nav., Fag. etc.*

de casu ad casum, licet eadem ratio procedat: præterquam quod pro maribus non currit eadem ratio, quam pro fœminis; quia facilius et frequentius mulieres quam mares inducuntur invitæ ad religionem suscipiendam. Quamvis vero hujusmodi cogentes excusentur a censura, nullo tamen modo excusari possunt a gravi culpa.

Insuper in Tridentino (1) excommunicantur, *qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.* Nomine *veli* intelligitur professio religiosa, quæ fit per veli susceptionem. Nomine autem *voti* non intelligitur votum simplex castitatis aut religionis, sed eadem professio cum tribus votis, sine tamen susceptione veli, ut fit in aliquibus monasteriis (2). Sed *dubium* fit, an incurrat excommunicationem, qui tantum impedit puellam, ne monasterium ingrediatur ad habitum suscipiendum. Negant *Sanchez* (3) *et Bossius l.c. cum Palao*, quia decretum concilii est cum rigore accipiendum: nempe tantum, cum professio impeditur. Sed probabilius affirmant *Suarez l. c. et Bonac.* (4) *cum Fill.* Qui enim impedit puellam, ne habitum suscipiat, vel ne ingrediatur monasterium ad habitum suscipiendum, impedit consequenter ejus professionem. Et recte subdunt *Bonacina* (5) *et Sanchez* (6) *cum Salonio*, hanc excommunicationem incurrere etiam, qui dolo (non autem, qui solis precibus) impediunt puellam, ne fiat religiosa.

ARTICULUS II.

Quæ sint excommunicationes reservatæ episcopis.

213. *Excommunicatio 1. in eum, qui leviter percutit clericum; 2 in eos, qui absolvuntur in articulo mortis, et postea non se præsentant superiori; 3. in fratres Minores etc.; 4. in procurantes abortum fœtus animati effectu secuto; 5. in eos, qui communicant in eodem crimine etc.; 6. excommunicationes, quas episcopi sibi reservant.*

(1) *ib. sess. 25. c. 18.* — (2) *ita Suar. de cens. c. 23. s. 7. n. 20., Boss. de defect. matr. c. 10. n. 67. cum Pal. et Bon. t. 3. de cens. d. 2. q. 2. p. 3. n. 2. et 4. cum Fill.* — (3) *dec. l. 6. c. 4. n. 15.* — (4) *n. 3.* — (5) *n. 6.* — (6) *n. 1. v. ad finem.*

214. *De excommunicatione imposita ex monitorio.*
215. *An obligatus revelare damnum, si non revelet etc.*
216. *An sit obligatio revelare crimen emendatum.*
217. *Qui facto monitorio excusentur a revelando.*

213. — „Resp. Sunt hæ: 1. Quæ contrahitur ex levi „percussione clerici, vel gravi, si sit mulier(1); 2. in eos, „qui absoluti in articulo mortis a censura vel peccato ha„bente censuram annexam, ab eo, qui alias non poterat, „non se præsentant superiori, postquam convaluerint(2)" (*intellige, quando censura reservata erat ab episcopo*(3)); „3. in fratres Minores, si admittant in suis ecclesiis ad „officia divina fratres tertii ordinis; 4. in procurantes „abortum fœtus animati effectu secuto(4)" (*Quando autem fœtus censeatur animatus, vide ib. n. 394. v. qu. 3. Ab hac excommunicatione absolvere possunt etiam regulares*(5)); „5. in eos, qui communicant in eodem cri„mine cum excommunicatis ab episcopo; 6. hæ omnes, „quas ferunt episcopi per propria statuta et sibi reser„vant. quas confessarii videant in agendis.

214. — Hic breviter agendum de excommunicatione, quæ imponitur ex vi monitorii ad revelanda aliqua crimina, vel ad restituendam rem alienam et similia.

Et *dicendum 1.:* Si crimen non vergit in alicujus tertii damnum, nemo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia sive rumor ortus ex probis hominibus per majorem partem viciniæ aut collegii. Ratio, quia sine tali infamia non potest superior de illo crimine inquirere(6).

Dicendum 2.: Si delictum vergit in damnum commune, etiamsi sit occultum, tunc revelandum est, nisi tamen firmissima sit spes, quod correctio foret profutura(7).

Dicendum 3.: Si delictum cedit in damnum tertii, distinguendum: Quando crimen est jam commissum et ita occultum est, ut probari non possit, non est revelandum; secus vero, ut dicunt *Sotus*, *Corduba* et *Avila*, si crimen probari possit saltem per unum alium testem, vel si sit

(1) *(de hac excommunicatione vide infra n. 279.)* — (2) *vide Fill t. 1. c. 10. n. 241. et 242.* — (3) *vide dicta n. 92.* — (4) *(vide dicta l. 4, 395. et 397.)* — (5 *vide ib. n. 397. v pariter, et l. 7, 99. in fine.* — (6) *ita Sylv., Avila, Gib. cum Salm. de cens. c. 4. p. 1. n. 2.* — (7) *Salm. ib. n. 3. cum s. Thoma, Bonacina etc.*

in fieri et non possit per monitionem impediri. Sed in hoc ultimo casu negant *Salm.* (1) *cum s. Thoma*, *Bonacina etc.* Quando autem in monitorio non præcipitur denuntiari, sed testificari, tenetur quisque manifestare, si præcedat semiplena probatio, etsi non possit probare (2).

215. — *Quæritur* hic *1.*, an obligatus revelare ex monitorio, si non revelet, teneatur tertio damnum restituere. Respondetur: Si ipse aliqua arte impedit, ne monitorium sibi intimetur, ad nihil tenetur, neque incurrit excommunicationem, nec peccat non revelando: peccat vero et incurrit, si jam sit citatus (3). An autem teneatur ad restitutionem? Affirmant *Cont. Tournely* (4), *Navar.*, *Soto*, *Valentia*, *Sayr. etc.* (5), quia dicunt, quod hic peccaret contra justitiam, cum pars læsa habeat jus ad ejus testimonium, posito judicis præcepto. At verius negant *Bonacina* (6), *Sylv.*, *Con.*, *Bann.*, *Tanner etc. cum Salm.* (7). Ratio, quia talis revera non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem vel contra obedientiam, quæ non obligat ad restitutionem (8). Excipiunt tamen tanquam certum *Salm.* (9) *cum Bonac. etc.*, si testis susceperit munus testis ex præcepto judicis, et cœperit respondere; quia tali acceptatione posita tenetur ex justitia veritatem detegere: sed vide dicta *l. 5, 270.*

216. — *Quæritur 2.*, an sit obligatio ex vi monitorii revelare crimen emendatum. Respondetur negative, nisi crimen habeat effectum in futurum, puta si sit homicidium cum adulterio, quæ inducant impedimentum matrimonii, et similia; vel nisi crimen sit publicum, et emendatio occulta: vel denique nisi superior non tantum emendationem rei, sed etiam reatus punitionem intendat (10).

217. — Quinam autem facto monitorio excusentur a revelando: vide dicta *l. 5, 248. qu. 2.* Adde dumtaxat hic, quod, si in monitorio præcipiatur revelatio omnibus scientibus, non tenentur revelare, qui tantum audierunt; et

(1) *ib. n. 4.* — (2) *Salm. ib. n. 5. cum Navarro et Avila.* (3) *ut Less. l. c. c. 30. n. 54.*, *Salm. ib. n. 6. cum Reb. etc.*; *vide l. 5. n. 270.* — (4) *tr. de cens. p. 2. c. 1. art. 4. s. 2.* — (5) *et ap. Salm. ib. n. 7.* — (6) *de præc. d. 10. q. 3. p. 3. n. 13.* (7) *ib. n. 8.* — (8) *vide dicta d. l. 5. n. 270.* — (9) *cit. n. 6.* — (10) *ita Salm. ib. n. 16. et 17. in fine cum s. Antonino, Sylv. et Avila.*

si etiam audientibus, non tenentur, qui audierunt a parum fide dignis (1).

Advertit autem *Cont. Tourn.* (2), peccare graviter: 1) qui petunt monitoria levibus de causis; 2) judices sic concedentes, vel quando res potest aliter probari; vel si præviderent, populum illa contempturum; item si debitores non sint solvendo, aut si res sit adeo antiquata, ut non sit, qui revelet; item si delictum fuit factum coram iis, qui non tenentur denuntiare.

ARTICULUS III.

Quæ sint Papæ reservatæ extra bullam cœnæ.

218. *Excommunicationes reservatæ Papæ contra omnes.*
219. *Excommunicationes reservatæ contra clericos et religiosos.*
220. *Specialiter agitur 1) de excommunicatione contra duellantes et cooperantes.*
221. *Agitur 2) de excommunicationibus latis contra violantes clausuram monialium.*
222. *Dub. 1, an ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum. Dub. 2., an incurrant omnes introducentes in clausuram.*
223. *Dub. 3., an talis licentia debeat esse in scriptis. Dub. 4., an licentia debeat esse specialis.*
224. *Dub. 5., a quo debeat concedi.*
225. *Dub. 6., quæ causa requiratur ad licentiam concedendam.*
226. *Plura notanda circa ingressum medicorum et aliorum officialium.*
227. *De ingressu confessariorum.*
228. *Dub 7., an ingrediens cum licentia teneatur statim egredi.*
229. *De alia excommunicatione reservata in moniales violantes clausuram et in alios cooperantes.*
230. *De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes clausuram religiosorum*
231. *Quæ fœminæ excipiuntur ab hac prohibitione? Et quæ domus veniunt nomine conventuum?*
232. *De prohibitione colloquendi cum monialibus juxta jus commune. Quid circa regulares?*
233. *Dub. 1., an vetetur solus accessus sine collocutione.*

(1) *vide Salm. ib. n. 15.* — (2) *l. c. v. ergo graviter.*

234. *Dub. 2., an loquentes per nutus aut signa incurrant casum reservatum.*
235. *Dub. 3, an peccet graviter semel colloquens cum moniali.*
236. *Dub. 4., an in tali locutione detur parvitas materiæ; et an detur in regularibus.*
237. *Dub. 5., an liceat colloqui cum moniali ob utilitatem sine licentia.*
238. *Dub. 6., an cum abbatissa.*
239. *Dub. 7., qui eximantur ab hac prohibitione. 1. Consanguinei in primo et secundo gradu; 2. metu coacti; 3. pauperes et quæstuantes.*
240. *Dub. 8., an impuberes.*
241. *Dub. 9., an regulares incurrant excommunicationem latam ab episcopo.*
242. *Dub. 10., an peregrini.*
243. *An episcopi colloquentes cum monialibus in aliena diœcesi incurrant excommunicationem latam ab ordinario loci.*
244. *Dissertatio super censuris circa sententias pertinentes ad conceptionem B. V. Mariæ. Enuntiantur bullæ editæ super hac materia.*
245 247. *Quando incurrant pœnas contradictores piæ sententiæ.*
248. *Quando ejus fautores.*
249—262. *Probatur pia sententia.*
263. *An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali.*

218. — „Resp. I. Contra omnes magis obviæ sunt „sequentes: 1. In incendiarios (1) *(modo sint ab homine excommunicati et denuntiati, ut notat Cabrin.* (2); 2. in „habentes litteras apostolicas falsas et non destruentes; „item in falsarios litterarum apostolicarum (3); 3. in effringentes et spoliantes ecclesias (4); 4. in communicantes eodem crimine cum excommunicatis a Papa (5); „5. in vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt (6); „6. in absolutos ab excommunicatione sub conditione et „non implentes (7); 7. in violantes interdictum papale (8); „8. in dantes et recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad religionem (9); 9. in simoniacos reales circa

(1) *c. Tua nos de sent. excomm.* — (2) *de cas. res. p. 129.* (3) *cap. Dura de crimine falsi et cap. Ad falsariorum eod. tit.* — (4) *c. Conquesti de sent. excomm.* — (5) *c. Nuper eod. tit.* — (6) *c. Quicumque de sent. excomm. in 6.* — (7) *c. Eos, qui ibid.* — (8) *extrav. Etsi de pœn.* — (9) *extrav. comm. 1. de simon.*)

„ordinem vel beneficium (1); 10. in committentes simo-„niam confidentialem (2); 11. in impedientes executionem „litterarum sacræ pœnitentiariæ (3); 12. in dantes et re-„cipientes aliquid pro gratia aut justitia apud sedem apo-„stolicam (4); 13. in committentes duellum et ad id coo-„perantes, suadendo etc. (5); 14. in mulieres ingredien-„tes monasteria regularium (6); 15. in impugnantes in-„stitutum societatis Jesu; 16. in facientes jurare illicita „et contraria libertati ecclesiasticæ (7); 17. in rapientes „bona ecclesiastica, item in exigentes tributa ab eccle-„siasticis; 18. in violantes libertatem ecclesiasticam quoad „fugientes ad ecclesiam (8); 19. in docentes, posse fieri „confessionem in absentia (9); 20. in eos, qui alterutram „opinionem de conceptione B. Virginis damnant peccati „mortalis vel hæreseos; item in eos, qui in concionibus „aliisque publicis actionibus, ut lectionibus, conclusioni-„bus, asserunt, B. Virginem conceptam in originali (10); „21. in percussores clericorum (11). Quæ cum celebris „sit, et multa scitu necessaria habeat, agetur de ea pe-„culiater infra *n. 264.*"

Item excommunicantur 22. perseverantes per annum in excommunicatione lata a delegato Papæ (12); 23. of-fendentes cardinales (13); 24. exigentes tributa a perso-nis ecclesiasticis (14); 25. violantes interdictum modis prohibitis (15); 26. exenterantes corpora sanctorum (16); 27. mentientes personas in litteris apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur (17); 28. simulantes et supponentes, se alios esse, pro obtinendis beneficiis a dataria (18); 29. mittentes litteras aut nuntium in con-

(1) *extrav. 2. eod. tit.* — (2) *bulla Pii IV. 86. et bulla s. Pii V.* — (3) *bulla 1. Julii III.* — (4) *extrav. 1. de sent. excomm. et bulla Bonifacii VIII. 1. et Gregorii XIII. 4.* — (5) *Trid. c. 19. sess. 25. et bulla Clementis VII. 11. Illius vices: vide de hac excommunicatione dicenda n. 220.* — (6) *bulla s. Pii V. 20.; vide n. 238.* — (7) *bulla Gregorii XIII. 93.* (8) *bulla Gregorii XIV. 7.* — (9) *vide hic infra n. 36.* — (10) *extrav. Grave nimis de relig. etc. et bulla 97. s. Pii V.; vide n. 244.* — (11) *c. Si quis suadente causa 17. q. 4.*) — (12) *c. Quærenti de offic. deleg.* — (13) *c. Felici de pœn.* — (14) *c. Clericis de immun. in 6.* — (15) *clement. Gravis de sent. excomm.* — (16) *extrav. 2. de sepult.* — (17) *bulla Leonis X. 27.* (18) *bulla 12. Pauli IV. Inter cæteras.*

clave vel inde recipientes (1); 30. occupantes bona ecclesiarum, montium pietatis seu alterius loci pii, vel impedientes, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur (2); 31. fœminæ et masculi ingredientes septa monasteriorum monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis (3); 32. capientes et retinentes christianos habitantes inter Turcas, et illorum bona eripientes aut remigare cogentes (4); 33. publicantes indulgentias, et facultatem dantes eligendi confessores iis, qui aliquid solvunt (5); 34. accipientes et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impedientes beneficii possessionem non solventibus dulciaria sive aliam solutionem (6); 35. diripientes animalia et bona, vel illa ablata ementes ex statu ecclesiastico (7); 36. docentes, fieri confessionem sacramentalem in absentia per litteras (8); 37. extrahentes frumentum, blada, legumina et oleum extra statum ecclesiasticum sine licentia (9); 38. docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas (10).

219. — „*Resp. II.* Contra clericos et religiosos sunt hæ: 1. In participantes in sacris cum excommunicatis a Papa (11); 2. in procurantes alienationes ecclesiarum; 3. in concionatores, qui scripturæ sensum a doctorum interpretatione alienum circa tempus antichristi et extremi judicii, aliaque similia revelata prædicant; 4. in parochos non implentes juramentum de residentia factum; 5. in Mendicantes transeuntes ad alium ordinem præter Carthusianum (12); 6. in moniales exeuntes claustris sine licentia (13); 7. in religiosos, qui sine privilegio vel speciali licentia parochi, clericis aut laicis sacramentum eucharistiæ vel unctionis minis trare vel matrimonia solemnizare præsumunt (14).

Item 8. inducentes ad jurandum de eligenda vel electa

(1) *bulla Pii IV. 63. In eligendis.* — (2) *conc. Trid. c. 11. sess. 22. de ref.* — (3) *bulla Gregorii XIII. 28. Ubi gratia; vide infra.* — (4) *bulla s. Pii V. 149. Licet.* — (5) *bulla s. Pii V. 99. Quam plenum.* — (6) *bulla ejusdem Pontificis 104. Durum nimis.* — (7) *bulla Gregorii XIII. 98. Non sine* — (8) *bulla Clementis VIII. 87. Sanctissimus.* — (9) *Pauli V. bulla 12. Inter gravissimas.* — (10) *decreta S. C. et s. officii, quæ emanavere annis 1665, 1666 et 1690.* — (11) *c. Significavit de sent. excomm.* — (12) *extrav. v. commun. Viam de regular.* (13) *bulla s. Pii V. 8.* — (14) *clem. 1. de privil.*)

non immutanda sepultura in eorum ecclesiis (1); 9. commissarii seu delegati interponentes decretum per gratiam aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolose procurantes (2); 10. prædicatores non servantes decreta circa eos lata in concilio Lateranensi (3); 11. absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus bullæ cœnæ vel ordinariis reservatis (4); 12. consentientes usurpationibus bonorum ecclesiarum (5); 13. euntes ultra mare sine licentia superiorum (6); 14. superiores non denuntiantes religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, inquisitoribus vel ordinariis locorum (7); 15. Minores de observantia, subornantes vota in electionibus (8); 16. claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ (9); 17. Tertiarii portantes habitum Minorum (10); 18. episcopi, qui conferunt beneficia contra præscriptum *s. Pii V.* in eorum manibus resignata (11); 19. cardinales ambientes papatum, et simoniaci ejus causa (12); 20. cardinales simoniaci in beneficiis (13); 21. judices, officiales, laici ac prælati ecclesiastici, trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale (14); 22. domini temporales, qui in terris suis suppositis interdictis cogunt celebrare et audire divina officia (15); 23. officiales ac domini temporales bannientes, seu facientes et mandantes banniri personas ecclesiasticas (16), 24. officiales, judices et domini temporales percutientes vel bannientes episcopos, vel hæc mandantes aut facta ab alio ratificantes (17); 25. principes et domini temporales, concedentes locum vel permittentes duellum in terris suis (18); 26, episcopi et inquisitores eorumque substituti, qui fa-

(1) *clem. Cupientes.* §. *Sane de pœn.* — (2) *bulla 2. Pauli II. Cum in omnibus.* — (3) *bulla Leonis X. 21. Supernæ.* — (4) *decret. S. C. episc. et regul. a Clemente VIII. anno 1601.* — (5) *conc. Trid. c. 11. sess. 22. de ref.* — (6) *extr. Ad nostrum de regul.* — (7) *bulla Pauli V. 26. Rom. Pont.* — (8) *bulla s. Pii V. 128. Pastoralis.* — (9) *bulla Julii II. Virtute conspicuus extra bullar.* — (10) *bulla Leonis X. Licet alias extra bullar.* — (11) *bulla 50. Quanta.* — (12) *Pauli IV. bulla 16. Cum secundum.* — (13) *bulla s. Pii V. 85. Hodie in consistorio.* — (14) *bulla Martini V. 10. Ad reprimendas ut supra.* — (15) *clem. Gravis de sent. excomm.* — (16) *bulla Urbani VI. 3. Quia, sicut.* — (17) *clem. 1. de pœn. 74.* — (18) *conc. Trid. sess. 25. de ref. c. 19., bulla Clementis VIII. 11. Illius vices.*

ciendo vel omittendo contra diffamatos de hæresi delinquunt in officio (1); 27. gubernatores civitatum et locorum status ecclesiastici, recipientes munera præter comestibilia (2). Adde 28. violantes clausuram religiosorum aut monialium ad malum finem (3); item viri et mulieres ingredientes claustra monialium prætextu facultatum, et superiores ingredi facientes aut permittentes (4); item mulieres ingredientes claustra religiosorum prætextu facultatum (5); item (6) omnes mulieres intrantes monasteria religiosorum, etiam sine prætextu facultatum; superiores autem ac quicumque religiosi introducere illas præsumentes ipso facto contrahunt privationem officiorum et inhabilitatem ad illa et alia obtinenda, nec non suspensionem a divinis sine alia declaratione. Item notandum, quod *Benedictus XIV.* in bulla *Regularis* sub die 3. Januarii 1742 decrevit, quod fœminæ ingredientes clausuram religiosorum incurrant ipso facto excommunicationem pariter reservatam, etiamsi prætextu pietatis et religionis ingrediantur. Adde 29. defendentes, esse licitam praxim excipiendi nomen complicis in confessione scripto aut verbo; aut impugnantes decreta contra hujusmodi praxim; aut temere ea detorquentes seu interpretantes in alienum sensum (7).

Hic operæ pretium est adjicere plura advertenda, præsertim circa duas excommunicationes supra enuntiatas *n. 218.* ad 13. et *n. 219.* ad 28., nempe contra duellantes et contra violantes clausuram regularium:

220. — Et I. contra *duellantes* et *ad duellum cooperantes notandum 1.*, ex quinque propositionibus damnatis a *ss. P. Benedicto XIV.* in sua constitutione, quæ incipit: *Detestabilem*, edita die 13. Nov. 1752, non esse licitum, offerre aut acceptare duellum, ne quis privetur officio, etiamsi ex eo aliquis se suosque sustentet, vel spem habeat promotionis alias sibi debitæ; nec licere

(1) *clement. Multorum* §. *Verum de hæret.* — (2) *bulla Pauli II. 3. Munera.* — (3) *decretum s. congr. concil., editum jussu Clementis VIII. 22. Nov. 1722.* — (4) *bulla Gregorii XIII. Ubi gratia, 13. Junii 1575.* — (5) *eadem bulla Gregorii XIII.* — (6) *ex bulla s. Pii V. Decretum Romanum 16. Julii 1570.* — (7) *constit. Ubi primum Benedicti XIV. 2. Junii 1746; vide supra in fine tomi V.*

acceptare duellum ad vitandam vilipensionem, quamvis certo sciatur, quod pugna non secutura sit (1).

Notandum 2., quod ex Tridentino (2) excommunicantur non solum duellantes, patrini, suadentes duellum, et sectatores; sed etiam reges, domini in terris suis locum ad duellum concedentes; atque illi privantur dominio territorii; et duellantes ac patrini privantur suis bonis ac sepultura ecclesiastica. *S. Pius V.* hanc excommunicationem reservavit Pontifici; et *Gregorius XIII.* in sua bulla, quæ incipit: *Ad tollendum*, edita anno 1582, hæc omnia extendit ad duella privata, etiam sine patrinis, et ad dominos ea non prohibentes in locis suis, atque ad quoscumque cooperantes. Tandem *Clemens VIII.* in alia bulla, quæ incipit: *Illius vices*, emanata anno 1592 pro locis, ubi duella a dominis permittuntur, interdictum papale imposuit (3). Sed hæ pœnæ, præter excommunicationem, non incurruntur, nisi post sententiam saltem declaratoriam criminis (4).

Notandum 3., nomine *spectatorum* non intelligi omnes duellum spectantes, sed tantum, qui data opera ad duelli locum accedunt et duello assistunt, cum in bulla *Gregorii* dicatur: *ex composito spectatores;* unde recte ajunt *P. Milante* (5) et *Salmant.* (6) ex communi sententia, non incurrere excommunicationem, qui obiter et casu per locum duelli transeuntes aspiciunt curiositate ducti. Imo dicunt *Cont. Tournely* (7) et *Salm. l. c.*, etiam ex communi sententia, eos tantum spectantes incurrere, qui socii sunt duellantium, aut qui sua præsentia ad pugnam videntur illos incitare, non autem, qui spectant a longe vel in secreto, vel alio modo nihil ad pugnam acuendam inducente. Item bene addunt *Salm. ib.*, neque incurrere, qui comitantur pugnaturos animo impediendi duellum.

Notandum 4., quod, licet ex Tridentino et ex bulla *Gregorii* non incurrant excommunicationem provocantes et acceptantes duellum, si duellum non sequatur, quia tam in Tridentino quam in dicta bulla solum excommunicantur committentes duellum; tamen in bulla *Clementis* §. *Præ-*

(1) *vide alia l. 4, 400. v. qu.* — (2) *sess. 25. de ref. c. 19.* (3) *vide Salm. de cens. c. 4. p. 3. n. 42. et vide dicta l. 4, 401.* (4) *ut Sanch., Pal. et Salm. ib. n. 43.* — (5) *in propos. 2. damnata ab Alexandro VII.* — (6) *dict. n. 43.* — (7) *tr. de pœnit. p. 2. c. 8. art. 4. s. 4. n. 335.*

terea (1) excommunicantur tam provocantes scripto aut verbo quam duellum acceptantes, etiamsi pugna non sequatur, neque accessus nec actus ad pugnam proximus; necnon comitantes, nuntii, suadentes, consulentes, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes vel affigentes, et quomodolibet ad duellum cooperantes, publice vel occulte ineundum.

Notandum 5., quod, nisi duellum sit notorium aut deductum ad forum contentiosum, bene possint episcopi absolvere excommunicatos vi facultatis datæ a Tridentino in *c. Liceat 6. sess. 24.* (2). Regulares vero extra Urbem et intra Italiam non possunt vi privilegiorum ab hac excommunicatione absolvere; secus tamen in Urbe vel extra Italiam, ex decreto S. C. mandante *Clemente VIII.*, prout diximus *n. 96.*

221. — II. Circa autem *violantes clausuram monialium* aut religiosorum *notandum*, quod ingredientes monasteria monialium sine licentia in scriptis incurrunt excommunicationem ipso facto ex Tridentino (3). Ibi: *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Hujusmodi ingressus prohibetur etiam prælatis, sive sæcularibus sive regularibus, ex motu *Gregorii XIII.*, incipiente: *Dubiis* (4), edito die 23. Decembris anno 1581 sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ prælatis sæcularibus, si præter casum necessitatis prima vice ingrediuntur, suspensionis a munere pontificali et a divinis pro secunda, et excommunicationis pro tertia: prælati vero regulares incurrunt excommunicationem et privationem omnis officii et ministerii, etiam pro prima vice, ut censet *Sanchez* (5): quamvis *Bonacina* (6) *cum Llamas* putet probabile, tantum pro tertia vice incurrere pœnas excommunicationis et privationis. In casu autem necessitatis, causa visitationis possunt præfati superiores

(1) *quam in extensum refert Bon. d. 2. q. 6. p. 1. n. 3.* — (2) *ut recte notant Salm. de cens. c. 4. p. 3. n. 45. cum Sanch., Bon., Pal., Barb. et aliis communiter.* — (3 *sess. 25. c. 5. de reg.* — (4) *ap. Barbos. alleg. 102. n. 43.* — (5) *dec. l. 7. c. 16. n. 102.* — (6) *t. 1. tr. de clausura n. 11.*

ingredi monasteria monialium: sed tunc (ut dicitur in eadem bulla) debent esse *a paucis*, *iisque senioribus ac religiosis personis comitati*. *Pauci* intelliguntur quatuor vel quinque (1); *religiosi*, id est probatæ vitæ. Dicit tamen *Tamb. cum Victoria* (2), quod, si episcopus solus intraret, vel non adhiberet comitantes senes aut non religiosos, aut non paucos, non incurreret pœnas; quia pœnæ tantum afficiunt prælatos ingredientes sine necessitate. Pro superioribus autem regularibus habetur in constitutione *Alexandri VII.* (3), quod, si visitet generalis, possit ipse habere secum duos sui ordinis socios, qui sint exemplares et maturæ ætatis: si vero alius a generali, unum tantum; et insuper debent assistere quatuor moniales ex senioribus, quæ non separentur a visitatore.

Excommunicationes hæ non sunt reservatæ; sed adest excommunicatio Papæ reservata (ut supra innuimus) contra violantes clausuram monialium ad malum finem, ut habetur in decreto S. C. concilii, edito jussu *Clementis VIII.* anno 1602. Quomodo autem intelligatur illud *ad malum finem? Mazzotta* (4) intelligit finem quomodocumque pravum; sed melius *Pellizarius* apud ipsum intelligit tantum finem libidinosum, quia finis clausuræ est, ut castitas custodiatur; et ideo vetatur etiam accessus et collocutio.

Adest alia excommunicatio Papæ reservata lata a *Gregorio XIII.* die 13. Junii 1575 in bulla *Ubi gratia* contra quascumque personas utriusque sexus, etiam comites, marchiones et duces ingredientes monasteria monialium, vel fœminas ingredientes claustra religiosorum prætextu facultatum ibi revocatarum; et contra omnes superiores monasterii utriusque sexus, qui præter excommunicationem reservatam incurrunt insuper privationem officiorum et inhabilitatem ad ipsa, si ingredi faciant vel permittant aliquem ingredi prætextu facultatum; et contra abbatissas aliasve superiores, si admissum quoque modo retinere ausæ fuerint, ut declaravit *Paulus V.* in alia bulla, incipiente: *Monialium* (5). Hic tamen advertendum, quod episcopi et prælati regulares, qui ratione sive præ-

(1) *ut putat Bonac. et Victor.* — (2) *ap. de Alex. confess. moniat. c. 7. §. 4. q 5.* — (3) *ap. de Alex. l c.* — (4) *t. 3. p. 510.* — (5) *ap. de Alex. cap. 7. §. 11. q. 3.*

textu officii, sed absque justa causa, ingrediuntur monasteria, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt: nam licet in hac bulla omnes comprehendantur, tamen in bulla *Dubiis*, citata *n. præced.*, emanata post aliam *Ubi gratia* ut supra, eximuntur episcopi et superiores regulares, ut bene advertit *Fagnanus* (1) contra aliquos, cum in dicta bulla *Dubiis* fiat diversa dispositio circa pœnas in episcopos et regulares, ibique excommunicatio lata in ipsos, si ingrediantur tertia vice sine justa causa, non sit reservata; probat enim *Fagnanus*, illam fuisse novam constitutionem respectu pœnarum, non autem declaratoriam primæ bullæ. Demum notandum, quod *ss. P. Benedictus XIV.* novissime die 3. Januarii 1742 duabus bullis (quas invenies infra post *n. 243.* incipiente una: *Salutare*, altera: *Regularis*) confirmavit omnes constitutiones antecessorum Pontificum tam ante quam post concilii decreta emanatas; et signanter in bulla *Regularis* prohibuit quibuscumque fœminis ingredi clausuram religiosorum sub prætextu pietatis ac religionis; tantum id concessit nobilibus fœminis de familia fundatorum vel insignium benefactorum, qui de hoc indultum apostolicum obtinuerint ingrediendi solum, ut ad ecclesiam recto tramite pergant. Quo revocata manet constitutio *s. Pii V.*, incipiens: *Decet Romanum Pontificem* (2), ubi permittebatur mulieribus ingredi claustra religiosorum causa processionis, audiendæ missæ vel concionis, aut sepulturæ aut magni concursus.

222. — Sed *dubitatur 1.*, an ingredientes monasteria monialium sine licentia incurrant præfatam excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum. Affirmant *de Alexandris* (3) *cum Navarro, Azor., Graff. etc.;* quia, ut ait, relata constitutio *Gregorii XIII. Ubi gratia* ex stylo curiæ intelligitur generaliter emanata in omnes intrantes monasteria, etiam sine tali prætextu. Sed probabilius negant (4), quia expresse in citata bulla *Gregorii* requiritur ingressus prætextu facultatum.

(1) *l. 5. in c. Nuper de sentent. excomm. n. 38.* — (2) *ap. Holzm. de præc. part. n. 592.* — (3) *c. 7. §. 11. q. 2.* — (4) *Sanchez dec. l. 6. c. 16. n. 79., Bon. de claus. q. 4. p. 5. n. 4., Suarez de censur. d. 22. s. 6. n. 11., Fagnan. l. c. n. 12., Holzm. n. 31., Mazzotta t. 3. p. 521. n. 3., et Barbosa alleg. 102. n. 37. cum Sayro, Rodriq., Miranda, Sa et Zerola.*

Dubitatur 2., an præter superiores incurrant excommunicationem omnes, qui alios introducunt in clausuram. Affirmant *Bonacina*(1) *et de Alexandris*(2) *cum Fill. et Llamas*, quia in eadem bulla *Gregorii* dicuntur incurrere *superiores et personæ, quocumque nomine vocentur*, admittentes extraneos in clausuram; nomen autem *personæ* (ut dicunt) genericum est et quascumque personas comprehendit. Attamen negant *Sanchez*(3) *cum Manuel et Diana*(4). Ratio enim opposita tunc valeret, si in bulla diceretur: *superiores et quæcumque personæ;* sed cum dicatur: *superiores et personæ, quocumque nomine vocentur*, nequeunt utique intelligi omnes religiosi, qui diversum nomen quam religiosorum non habent; sed potius intelliguntur superiores, qui in diversis ordinibus diversa habent nomina, nempe abbatum, præpositorum, priorum, guardianorum, correctorum; idque clare explicavit *s. Pius V.* in bulla *Regularium*(5). His tamen non obstantibus adest decretum S. C. episcoporum et regularium(6), ubi dictum fuit respectu ad fratres Minores de observantia, quod, si ingrediantur mulieres ipsorum clausuram, tam prælati quam subditi eas introducentes incurrant eamdem excommunicationem reservatam, et remaneant ipso facto privati eorum officiis et inhabiles in futurum.

223. – *Dubitatur 3.*, an licentia ingrediendi monasteria monialium quoad forum conscientiæ debeat esse in scriptis. Affirmant *Sanchez*(7), *Palaus*(8) *et Suarez*(9), quia deficiente scriptura licentia est nulla, cum deficiat forma in ejus concessione a Tridentino præscripta in *sess. 25. c. 5.*, ubi: *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Negant vero(10) *Homobonus et Bellochius*, qui citat pro se *Innoc.*, *Abbatem et Felinum*. Ratio, quia scriptura videtur requiri tantum pro foro externo: idque non videtur improbabile, cum non constet, an scriptura ibi re-

(1) *q. 4. p. 7. n. 3.* — (2) *c. 7. s. 11. q. 4.* — (3) *l. 6. c. 16. n. 83.* — (4) *apud de Alex.* — (5) *ap. Bonac. q. 5. p. 3. n. 2.* (6) *ap. Ferrar. t. 2. v. conventus art. 3. n. 7.* — (7) *dec. l. 6. c. 16. n. 50.* — (8) *p. 3. d. 4. p. 10. §. 2. n. 6.* — (9) *ap. Dianam p. 3. tr. 2. r. 129.* — (10) *ap. Dianam l. c.*

quiratur pro forma, prout diximus in simili casu *l. 5, 123. v. hic.* Dicit autem *Diana l. c. cum Rodriq. et Villalobo, ac Barbosa* (1) *cum Delacrux*, quod etiam juxta primam sententiam (quamvis adhuc repugnet *Sanchez*) licentia in scriptis non requiritur in casibus ordinariis, quando causa est manifesta, puta in ingressu medici, confessarii, cœmentarii et similium operariorum, quorum repentina opera passim indigent moniales, prout explicat glossa *v. causa in cap. Periculoso de statu regulari in 6.*

Dubitatur 4., an hujusmodi licentia debeat esse specialis. Respondetur affirmative, ita ut non sufficiat, si alicui concedatur licentia ad quoscumque casus, ad quos superior potest eam præbere, ut expresse habetur in dicto *c. Periculoso.* Ibi: *Nisi speciali licentia etc.* Dicit tamen *de Alexandris*(2) *cum Miranda*, hoc non obstante validam esse licentiam generalem, ut omnes medici, bajuli et similes ingrediantur, quia, licet sit generalis quoad personas, est tamen specialis quoad causam ingressus. Sed huic minime acquiesco, quia censeo, textum præfatum et concilium exquirere licentiam specialem, non tantum ut superior sciat ministerium ingredientium, sed etiam qualitates personarum, nimirum an ingressuri sint viri probi, maturæ ætatis et similia. Bene tamen poterit prælatus generaliter committere abbatissæ vel confessario aut alteri viro prudenti facultatem concedendi licentiam aliis ad ingrediendum, ut dicitur in sequenti dubio in fine.

224. — *Dubitatur 5.*, a quo debeat concedi licentia ingrediendi monasteria monialium. Si monasteria sint episcopo subjecta, certum est, ipsi competere jus concedendi licentiam *auctoritate propria; delegata* vero, si monasterium immediate subsit summo Pontifici (3). Idem probabiliter docent (4) de prælatis habentibus jurisdictionem quasi episcopalem in aliqua diœcesi, et de vicariis generalibus ordinum militarium, quia hi sunt vere ordinarii aut saltem nomine ordinariorum comprehenduntur (5).

An autem possit hanc licentiam dare vicarius gene-

(1) *alleg. 102. n. 57.* — (2) *c. 5. §. 2. q. 5.* — (3) *ut in Trid. sess 25. c. 5.* — (4) *Sanch. dec. l. 6. c. 15. n. 30. et Bon. de claus. q. 4. p. 2. n. 2. cum aliis.* — (5) *ut probat idem Sanch. de matr. l. 3. d. 29. n. 35.*

ralis episcopi? Negant *de Alexandris*(1), nisi de hoc habeat speciale episcopi mandatum; et idem sentit *Barb.* (2), citans *Bonacinam l. supra c.*; sed ibi hoc *Bonac.* non dicit: unde satis probabiliter docet *Sanch.*(3) *cum Navarro et Llamas*, quod in monasteriis subjectis episcopo vicarius generalis bene potest licentiam concedere sine speciali mandato. Idque *probatur 1.* motu proprio *s. Pii V.*, incipiente: *Decori*, dum ibi Pontifex explicuit: *episcopum aut alium loci ordinarium;* vicarius autem generalis episcopi bene dicitur ordinarius, et nomine ordinarii jam comprehenditur in omnibus decretis, ut probat idem *Sanchez*(4). *Probatur 2.* ratione, quia episcopus in monasteriis ei subjectis procedit auctoritate ordinaria, vicarius autem generalis (ut probant *Fagnanus* (5) *cum Imola etc.*, et idem *Sanchez*(6) potest omnia, quæ potest episcopus de jurisdictione ordinaria, quia cum episcopo unum facit tribunal. Secus vero dicendum de iis, quæ potest episcopus de jurisdictione delegata; unde recte subdit *Sanchez* (7), in monasteriis sedi apostolicæ subjectis vicarium generalem non posse dare licentiam sine speciali mandato episcopi.

Vicarius autem capituli sede vacante potest utique concedere licentiam in monasteriis episcopo subjectis, quia succedit in omnia, quæ competunt episcopis de jure ordinario. Sed difficultas est, an possit etiam in iis, quæ subduntur sedi apostolicæ. Affirmant (8), quia talis jurisdictio ex delegatione sedis apostolicæ in perpetuum committitur muneri episcopali, unde, cum ipsa competat episcopo de officio, bene transit in capitulum sive ejus vicarium. Hanc rationem non approbat *Sanchez* (9): attamen id alia ratione etiam concedit, quia, ut ait, concilii mens est, ut capitulum bene possit dare licentiam, ne monasteria remaneant absque prælato, ad quem pro licentia recurrant.

Major difficultas est, a quo sit concedenda licentia, si monasterium regularibus subsit. *De Alexandris*(10), pro-

(1) *c. 7. §. 2. q. 2.* — (2) *alleg. 102. n. 38.* — (3) *dec. d. n. 30.* — (4) *eadem d. 29. de matrim. n. 10. et 35.* — (5) *l. 1. in c. Quoniam in offic. deleg. n. 15.* — (6) *d. d. 29. n. 16.* — (7) *dec. eod. n. 30.* — (8) *de Alex. c 6. §. 2. q. 2. cum Mol., Pal., Barbosa et Tamb.* — (9) *d. n 30.* — (10) *c. 7. §. 2. q. 1.*

pugnat, licentiam esse impertiendam tam a prælato regulari quam ab episcopo, afferens de hoc decretum S. C. concilii, editum 13. Nov. 1610. Sed probabilius docent *Fagnanus*(1), *Bonac.*(2) *cum Rodriq.*, *Graffio et Miranda*, *Croix*(3) *cum Palao et Piasec.*, *ac Barbosa*(4), afferens oppositum decretum ejusdem S. C. concilii, ab ipso visum, editum eodem anno, quo ipse scribebat, nempe circiter annum 1628, *ac Sanchez*(5) *cum Azor*, *Manuel*, *Llamas et Navarro*, qui, ut refert *Sanchez*, testatur, etiam declaratum fuisse a *s. Pio V.*, nempe quod licentia concedi potest et debet a solo prælato regulari, scilicet a generali aut provinciali (vel etiam ab immediato superiore monasterii (6). Ratio, quia Tridentinum prohibet ingressum *sine episcopi vel superioris licentia*; ergo loquendo disjunctive, declarat, licentiam posse respective concedi vel ab episcopo vel a prælato regulari, prout cui monasterium subest. Bene tamen advertit *de Alexandris*(7), ex decreto S. C. 21. Maji 1630, approbato ab *Urbano VIII.*, licentiam concedendam a solo episcopo etiam quoad monasteria exempta, ubi talis viget consuetudo.

Abbatissa autem nequit de jure ordinario hanc licentiam dare (8). Bene vero episcopus potest delegare abbatissam vel confessarium aut alium prudentem virum ad hanc licentiam concedendam (9).

225. — *Dubitatur 6.*, quæ causa requiratur ad hanc licentiam concedendam. Respondetur: Ad licentiam impertiendam non sufficit quidem quælibet causa, sed requiritur necessitas, ut præscribit Tridentinum (10), illis verbis: *Dare autem tantum episcopus vel superior licentiam debet in casibus necessariis.* Necessitas autem hæc debet esse ex parte ipsius monasterii, quia ad ipsius monasterii solam utilitatem permittitur ingressus; non

(1) *l. 5. in c. Nuper de sent. excomm. n. 17.* — (2) *q. 4. p. 2. n. 3.* — (3) *l. 4. n. 76.* — (4) *alleg. 102. n. 41.* — (5) *dec. l. 6. c. 16. n. 13.* — (6) *ut sentiunt Sanch. n. 15. et Bonac. l. c. cum aliis ab eo citatis contra de Alex. l. c. q. 2. et Suar. ab eo citatum.* — (7) *d. q. 2.* — (8) *ut dicunt de Alex. c. 7. §. 2. q. 2. et Sanch. n. 22. cum Navarro, Azor, Manuel etc. contra aliquos ibi citatos n. 21.* — (9) *ut addunt Bon. p. 2. n 5., de Alex. l. c., Sanch. n. 23. cum Navarro, Manuel et Graff., ac Barbosa l. c. n. 53. contra Suarez.* — (10) *cap. 5. sess. 25.*

enim sufficit, si sit tantum ex parte extraneorum, nisi jus naturale aut divinum aliud suadeat, ut ex communi dicunt (1), ex declaratione S. C. die 9. Sept. 1611. Unde ait *Diana* (2), ex alio decreto S. C., non effugere excommunicationem uxores, quæ adhuc cum licentia ordinarii intrarent monasterium causa adulterii vel dissensionis cum viris, cum S. C. raro hanc licentiam concedat. Et sic pariter nec valet licentia ad collocandam in monasterio aliquam fœminam, ne redeat ad vomitum, ut *de Alex. l. c.* ex alio decreto S. C. 18 Aug. 1588. Neque ad docendam monialibus artem, nisi quando in monasterio nulla adesset alia perita; præfatus *de Alexandris* ex alio decreto S. C. 11. Mart. 1586. Notant tamen *Pignatelli* (3) et ipse *de Alex. ib.* ex S. C., bene posse ordinarium dare licentiam intrandi puellæ, de qua controvertitur, ut in monasterio ad tempus maneat, donec lis terminetur.

Talis vero necessitas ex parte monasterii non stricte, sed late sumitur; intelligitur enim necessitas moralis, nempe cum intervenit quævis causa rationabilis sive probabiliter justa (4). Dicitur: *causa probabiliter justa;* nam dubie justa non sufficit, ut recte advertunt *ib. Sanchez et Barbosa*, qui insuper contra *Bonac.* censet, minorem causam requiri pro ingressu fœminæ in monasterium monialium quam viri, et pro ingressu diurno quam nocturno, et pro ingressu consanguineæ quam extraneæ, et pro ingressu in priora receptacula quam in interiora. In necessitatibus autem urgentibus, quæ moram non patiuntur, et alias grave damnum immineret, non requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiæ et similium, quia lex humana in tanto discrimine non obligat, ut recte docent *Sanchez* (5) *et de Alex.* (6) *cum Nav., Graff. et communi.* Hinc potest quivis sacerdos in casu repentinæ mortis ingredi ad ministrandum moniali sacramentum pœnitentiæ aut eucharistiæ, et etiam extremæ unctionis, ut probabiliter ait *de Alex.* Et tunc ne abbatissæ quidem licentia requiritur, ut etiam pro-

(1) *Bon. q. 4. p. 4. n. 8. et de Alexand. c. 7. §. 3. q. 2.* — (2) *p. 3. t. 3. r. 30.* — (3) *t. 7. cons. 47. n. 42.* — (4) *ita Sanch. dec. l. 6. c. 16. n. 4., Bon. q. 4. p. 4. n. 2., de Alex. c. 7. §. 3. q. 1. cum Delbene, et Barb. alleg. 102. n. 48. cum Miranda, Portello et Campanile.* — (5) *n. 34.* — (6) *c. 7. §. 2. q. 6.*

babiliter censet idem *de Alex.*(1) *cum Nav., Graffio et aliis pluribus contra Sanch.* (2), quia tunc licentia rationabiliter præsumitur concedi immediate a Papa. Excipe, nisi abbatissa habeat generalem facultatem a prælato præbendi licentiam.

226. — Hic autem notandum, quod medicus non potest ingredi nisi ex licentia renovata in singulis trimestribus, ut ex decreto S. C. edito die 27. Martii 1588 (3); necnon debet associari a duabus monialibus senioribus; et intrare solus, nisi infirmitas sit valde gravis. Medicus autem non potest ingredi sub initio quadragesimæ ad cognoscendum, quæ moniales sint dispensandæ, quia hoc bene potest præstari ad crates (4). Posset tamen ingredi ad invisendam monialem decumbentem in lecto et dubitantem, an febri laboret; licet posset ipsa sine gravi damno accedere ad januam, si illuc renueret ire ob erubescentiam (5). Medicus vero extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est colloquium (6). Chirurgus potest quidem intrare ad secandam venam, et etiam pharmacopola ad docendum (si opus sit), quomodo medicamentum sit parandum (7). Factores, notarii et similes etiam ingredi possunt, si necessitas urgeat, puta ad judicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, ad faciendum testamentum puellæ (8). Sic etiam ingredi possunt ex licentia fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores et similes, qui artem suam non possint extra commode exercere: item bajuli ad ferenda, quæ a monialibus ferri non possunt. Si autem licentia nominatim sit data pro uno bajulo, isto deficiente non potest alius substitui, nisi licentia esset indeterminata, v. gr., *ut bajulus ingredi possit* (9). Admittit etiam *Sanchez* sartores, si extra non possent commode aptare vestes; et consentit *Cassianus*, si adsit usus; sed merito id negant *Bonacina* (10) *et Palaus* (11). An autem, concessa licentia pro

(1) *q. 7.* — (2) *n. 36.* — (3) *vide de Alex. c. 7. §. 5. q. 1.* — (4) *de Alex. ib. q. 2.* — (5) *ita Bonac. q. 4. p. 4. n. 5. et de Alex. d. q. 2.* — (6) *de Alex. q. 3. cum Barchio.* — (7) *Sanchez l. 6. c. 16. n. 59. et de Alex. q. 4.* — (8) *de Alex. q. 5.* (9) *ita Alex. q. 7., Sanch. c. 16.* — (10) *q. 4. p. 4. n. 11.* — (11) *d. 4. p. 10. §. 3. n. 11.*

magistro artis cum discipulo, possit ingredi vel immorari discipulus sine magistro? Negat *Barchius* (1), nisi ex aliquo impedimento magister non potuerit ingredi aut immorari. Affirmant vero alii, et *de Alexandris* putat probabile, quia dictio *cum* æquivalet dictioni *et*. An autem possint admitti in clausuram infantes nondum doli capaces? Affirmat *Barbosa cum Nav., Azor, Bonac.* communiter etc., quia prohibitio principaliter afficit ingredientes: cum ergo infantes non ligentur præcepto ob carentiam usus rationis, nec etiam moniales. Attamen S. C. sæpius declaravit oppositum (2). Et tanto magis hoc dicendum de amentibus, ex quibus insuper potest facile timeri periculum scandali.

227. — Confessarius vero ingredi potest ad administranda sacramenta pœnitentiæ, eucharistiæ et extremæunctionis moniali ægrotanti, quæ ad confessionale non potest accedere. Et non solum in periculo mortis, sed quoties ex præscripto regulæ dispensatur communio: item quoties illa monialis communicare consueverit; ita communiter (3) ex declaratione S. C. Debet autem confessarius ingredi indutus superpelliceo et stola, atque sic ibi morari; debetque egredi, quin ad aliam monasterii partem se divertat, etiamsi esset ad visitandam aliam infirmam, quæ tamen non indigeat sacramentis (4). Confessarius sæcularis intrare debet sine socio, ut S. C. declaravit; regularis vero debet habere socium probatæ vitæ et maturæ ætatis, ex bulla *Alexandri VII.* Dum autem confessarius confessionem audit, debent assistere comitatrices ad januam, ita ut eum videre possint (5). Potest etiam confessarius ingredi et pernoctare in monasterio, si monialis laborét in extremis (6), ex declaratione S. C. Potest etiam ingredi confessarius ad benedicendum monasterium a spiritibus infestatum (7), ex declaratione S. C. An autem ad exorcizandam obsessam? S. C. die 10. Novembris 1582 annuit posse, si sacerdos sit probatæ vitæ;

(1) *ap. de Alex.* §. 5. *q.* 8. — (2) *vide de Alex. q.* 11. *l. c.* (3) *Bon. q.* 4. *p.* 4. *n.* 4., *Barb. alleg.* 12. *n.* 49. *et de Alex. c.* 7. §. 6. *q.* 2. *cum Sanchez, Rodriq. et communi.* — (4) *de Alex. q.* 2. *et Barbosa d. n.* 49. — (5) *vide de Alex. ibid.* — (6) *de Alex.* §. 6. *q.* 3. — (7) *de Alex. q.* 9. *cum Nav., Nald.*

sed postea 1. Julii 1606 id prohibuit et dixit, potius impetrandam esse a S. C. licentiam, ut monialis illa exorcizetur in ecclesia exteriori monasterii (1). Potest etiam confessarius post sacramentum collatum dare reliquiam ad osculandum, benedicere cellam etc., et etiam tunc de aliquo negotio temporali loqui (2). Probabiliter dicunt plures (3), quod, si confessarius extraordinarius, ingrediens cum licentia data pro una vice, non possit confessionem excipere vel perficere propter morbum, poterit postea iterum ingredi sine alia licentia. Et idem dicunt, si monialis confessa statim advocet confessarium egressum, ad dicendum peccatum oblitum, cum illud spectet ad idem judicium. Præterea sentit *de Alex.*, quod confessarius, postquam confessionem monialis infirmæ audierit, bene potest aliquod novum ædificium monasterii benedicere, et etiam deferre cuidam aliæ infirmæ quamdam insignem reliquiam: sic etiam ait, posse ob aliquam justam causam immorari in monasterio ad breve tempus ad intuendas officinas et ad tractandum aliquod temporale negotium.

228. — *Dubitatur 7.*, an, qui est ingressus monasterium cum licentia, incurrat excommunicationem aut graviter peccet, si finito negotio statim non egrediatur.

Respondetur 1.: Non incurrit censuram, licet ipse multum immoretur, quia clausura tum solum violatur, cum sine licentia usurpatur ingressus (4). Et hoc ait *Sanchez l. c.* contra *Rodriquez*, procedere, etiamsi quis immoretur ad malum finem, quia hic jam est cum licentia ingressus, ut concilium permittit. Sed *Bonacinal. c.* censet, quod, esto hic non incurrat excommunicationem Tridentini, incurrat tamen excommunicationem Papæ reservatam in decreto S. C., edito jussu *Clementis VIII.* die 22. Nov. 1622, ubi excommunicantur omnes *violantes clausuram ad malum finem*; hunc enim, ait, jam violare clausuram immorando cum prava intentione. Sed huic responderi potest, quod, cum agatur de pœnis, violatio illa stricte intelligenda est, prout intelligit concilium, nempe de ingressu et egressu sine licentia.

(1) *vide de Alex. ib. q. 5.* — (2) *ita de Alex. c. 7. §. 6. q. 9.* (3) *de Alex. q. 10. ex glossa in c. Decret. v. debet de reg. jur. in 6.* — (4) *ita Sanch. dec. l. 6. c. 16. n. 60., Bonacina q. 4. p. 5. n. 22. et Bordon., Zerola ap. de Alex., c. 7. §. 3. q. 4.*

Respondetur 2.: E contrario non excusatur a peccato mortali, si mora sit longa, quia delinquit adversus obligationem clausuræ: secus, si mora sit brevis, cum in hoc præcepto non immorandi bene admittatur parvitas materiæ; ita communiter (1). Imo (2) dicunt, eum, qui parum immoratur, excusari etiam a veniali, tum quia sic usu receptum est etiam apud viros timoratæ conscientiæ; tum quia, cum hoc præceptum sit morale, morali modo accipiendum est. In hoc autem brevem moram censet *Diana* (3) *cum Villalobo* esse quadrantem.

Dubitatur S., an incurrat excommunicationem, qui ingreditur cum licentia et ex causa justa, sed simul cum intentione prava. Sentit *Bonacina* (4), esse probabile, quod hic incurrat, quia non præsumitur superior in eo casu licentiam concessisse. Sed oppositum tenet *de Alex.* (5), et merito id probabile censet ipse *Bonac. cum Rodriq. et Zerola*, quibus adhæret quoque *Sanchez* (6), quia censura fulminatur tantum in ingredientes sine licentia, non autem in eos, qui cum licentia intrant, etsi cum malo fine; pœnæ enim stricte sunt intelligendæ, et prava intentio non tollit primam ingrediendi causam, propter quam data est licentia.

229. — Moniales autem clausuram violantes, necnon alii concedentes illis violare, sive eas comitantes aut receptantes, pariter excommunicationem papalem incurrunt, ex constitutione *s. Pii V.*, quæ incipit: *Decori*, edita 1. Febr. 1569 (7); ubi contra excusatur egressio, si adsit justa causa, nempe (ut ibi dicitur) *magni incendii vel infirmitatis, lepræ aut epidemiæ.* Nomine autem *epidemiæ* declaravit S. C. (8), intelligi tantum veram et realem pestem. Sed dicunt *Bonac.* (9), *Holzm* (10) *et Sanchez* (11) *cum Nav., Manu·l et Cenedo*, venire non solum morbum vere pestilentem, sed quemcumque morbum contagiosum, qui alios inficere soleat, prout est morbus s. Lazari, ignis sacri

(1) *Sanch. et Bon. ll. cc. ac Barb. alleg. 102. n. 56. cum Miranda et Rodr.* — (2) *Sanch. ib. ac Mol., Rodr. et Miranda ap. Bonacina.* — (3) *p 3 tr. 2. r. 51.* — (4) *d. 4. p. 5. n. 18.* — (5) *c. 7. §. 3. q. 5.* — (6) *l. 6. c. 16. n. 68. et c. 17. n. 28.* — (7) *ap. Sanch. dec. l. 6. c. 11. n. 35.* — (8) *ap. de Alex. c. 7. §. 9. q. 2.* — (9) *q. 1. p. 9. n. 2.* — (10) *de præc. part. n. 592.* — (11) *l. c. n. 35.*

et similium, casu quo monialis infirma non possit curari in monasterio sine periculo infectionis aliarum. Idque inferunt ex *cap. Periculoso de statu reg. in 6.*, ubi prohibetur egressus moniali, *nisi forte tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, ut non possit cum aliis sine gravi periculo seu scandalo commorari.* E converso recte ajunt (1), non sufficere ad egrediendum infirmitatem gravem sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in constitutione *s. Pii*; tum quia alias magnum sequeretur damnum clausuræ, cum tales morbi in monasteriis sint frequentes. Docent autem *Sanchez* (2) et *Bonacina* (3), monialem finita curatione aut cessante causa egressus statim teneri reingredi: illud tamen *statim* recte dicunt intelligi moraliter; unde excusant monialem a mortali, si moretur extra per unum vel duos dies. Item ait *Sanchez* (4), illam non incurrere excommunicationem, si extra commoretur, quia ipsa jam egressa est cum licentia. Quamvis autem in *c. Periculoso* fiat mentio de sola causa incendii etc. ut supra, bene tamen ajunt (5), sufficere ad egrediendum causas similes, ut bellum imminens, inundatio fluminis aut ædificii ruina. Quando vero patet aditus et tempus, nempe si periculum patitur moram, requiritur omnino ex præfata bulla *s. Pii V.* ad egrediendum licentia in scriptis ab episcopo, et etiam a prælato regulari, si monasterium sit exemptum, cum ibi dicatur: *Sitque causa hæc cognita, probata atque in scriptis expressa per superiores et simul per ordinarium.*

An autem incurrat excommunicationem monialis egrediens extra monasterium ad unum tantum pedem. Negant *Graffius*, *Naldus*, *Merolla*, et adhæret *Croix* (6), si statim redeat: sed probabilius affirmant *Bonac.* (7) *et Sanchez* (8). Valde tamen rationabiliter excusanda est cum *Sanchez* monialis, quæ non egreditur toto corpore extra clausuram (9).

(1) *Bonac. l. c. n. 18. cum Rodriq., Zerola, Gutt. et Cord., ac Barbosa alleg. 102. n. 20. cum Miranda, Sorbo et Cenedo contra Nav., Azor, Suar. et Graff.* — (2) *c. 15. n. 60. et 61.* — (3) *n. 21.* — (4) *c. 16. n. 69.* — (5) *Sanch. c. 15. n. 37. et 44., Bonac. n. 6. et 7., ac de Alex. c. 7. §. 9. q. 2. cum Nav. et Barb.* — (6) *l. 4. n. 85. et l. 1. n. 673.* — (7) *q. 1. p. 8. n. 6.* — (8) *l. 6. c. 16. n. 70.* — (9) *ut dicunt Sanch. et Bon. ll. cc.*

Notandum hic, ex decreto *Clementis VIII.*(1) unamquamque monialem debere solam dormire, ideoque tot cellas in unoquoque monasterio faciendas esse, quot ibi degunt moniales. Idem declaravit S. C. episcoporum et regularium(2). Sic etiam S. C. episcoporum et regularium(3) pluries statuit, puellas commorantes in monasteriis monialium causa educationis debere habere locum separatum a monialibus pro earum dormitione, sicut et pro operibus.

230. — Hæc quoad clausuram monialium. Adest autem alia excommunicatio Papæ reservata contra mulieres violantes clausuram religiosorum, lata a *s. Pio V.* in bulla *Regularium* anno 1566, et in alia *Gregorii XIII. Ubi gratia*, edita 13. Junii 1575(4). Hancque excommunicationem incurrunt non tantum fœminæ, quæ prætextu facultatum prætendunt ingredi in monasteria virorum vel mulierum, ut declaravit *Gregorius XIII.*; sed etiam illæ, quæ sine tali prætextu conventus virorum ingrediuntur, ut per aliam bullam, editam die 16. Julii 1570, quæ incipit: *Romanum Pontificem*, idem *s. Pius V.* declaravit, dicens: *Declaramus, fuisse et esse mentem nostram, quod dictæ litteræ non solum comprehendant mulieres habere prætendentes indultum ingrediendi monasteria, sed etiam quascumque alias, tam in genere quam in specie etc.* Et ita communissime et recte tenent *Palaus*(5), *Suar.*(6), *Bonacina l. c.*, *Nav.*(7) *et Salm. l. c. cum Lez.*, *Pell.*, *Garc. etc. contra Laymann*, *Delbene etc.*: idemque docet *Sanchez*(8), qui cum *Suarez* dicit, quod AA. ideo contrarium tutati sunt, quia non legerunt præfatam declarationem *s. Pii V.* Nec obstat id, quod objiciunt *Laymann et Delbene*(9), nempe quod, cum *Gregorius XIII.* innovaverit solam priorem constitutionem *s. Pii V. Regularium*, faciendo tantum mentionem de fœminis prætextu facultatum ingredientibus, videtur secunda constitutio *s. Pii Romanum Pontificem* vel non fuisse promulgata, vel non recepta. Nam respondе-

(1) *ap. Pell. c. 7. q. 7. n. 22.* — (2) *ap. Ferrar. bibl. t. 5. v. moniales a. 2. n. 7.* — (3) *ap eumdem Ferrar. l. c. art. 1. n. 5.* — (4) *quas referunt Bon. de claus. q. 5. p. 5. p. 3. n. 1., Salm. tr. 15. c. 5. p. 8. §. 1. n. 176. et Spor. suppl. p. 100. n. 159.* — (5) *tr. 16. d. 4. p. 8. n. 1.* — (6) *de rel. tr. 8. l. 1. c. 7. n. 9.* — (7) *c. 27. n. 105.* — (8) *dec. l. 6. c. 16. n. 79.* — (9) *ap. Salm. ib. n. 175.*

tur, ex eo, quod præfata secunda constitutio fuit posita in bullario *s. Pii*, et ex praxi atque stylo s. pœnitentiariæ satis ostendi, quod præfata secunda constitutio jam fuit promulgata et usu recepta. Et hic insuper notandum, quod ex bulla *Gregorii R gulares*, præsertim superiores, præter pœnas suspensionis a divinis, et privationis officiorum ac inhabilitatis ad alia, latas in bulla *s. Pii*, incurrunt etiam excommunicationem, si ingredi faciunt vel permittunt mulieres prætextu facultatum in eorum monasteria. An autem regulares admittentes fœminas ingredientes sine prætextu incurrant excommunicationem? Negant *Fill.* (1), ac *Bonacina* (2) putat probabile, quia *s. Pius* jam declaravit mentem suam, quod in prima bulla comprehendebantur mulieres intrantes etiam sine prætextu; sed *Gregorius* hoc non declaravit.

231. — Excipiuntur tamen ab hac prohibitione: 1) Reginæ, electrices et similes, earumque filiæ (3); 2) fundatrices, quæ fundum concesserunt vel situm monasterii, vel propriis sumptibus illud ædificare fecerunt aut reditibus dotaverunt: quibus insuper permittitur decens comitatus aliarum (4). Hoc tamen declaravit *P. Benedictus XIV.* in bulla *Regularis*, (quam reperies in *fine hujus articuli*) intelligi, dummodo habeant privilegium a sede apostolica in forma brevis illudque exhibeant locorum ordinariis vel præsulibus monasterii. 3) Fœminæ necessariæ ad curationem alicujus religiosi (intelligendum cum licentia superioris): vel quæ fugerent ad evitandam necem (5). Nomine autem *conventus*, dicunt (6), non venire domos privatas seu residentias, ubi unus vel alter religiosus habitare consuevit, quia hæ nequeunt dici conventus. Nec venire domos, addit *Elbel*, ubi religiosi degunt causa ædificandi monasterium, nisi ibi sufficientia sint habitacula, ita ut communitas regulariter jam vivere possit. Cæterum ait idem *Elbel* (7), quoad modum servandi clausuram attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate superiorum approba-

(1) *tr. 15. c. 5. q. 7. n. 119.* — (2) *p. 3. n. 2.* — (3) *ut docent Suar. de censur. d. 22. s. 6. n. 12., Sanchez l. 6. c. 17. n. 9., Bon. q. 4. p. 2. n. 5.* — (4) *Sporer l. c. et Elbel n. 650.* (5) *Sporer et Elbel ll. cc.* — (6) *Pal. tr. 16. d. 4. p. 4. n. 6. et Elbel n. 642. cum Sanch., Laym. et aliis.* — (7) *n. 671.*

tas; non autem eas, quæ potius abusus et corruptelæ dicendæ sunt. Dicunt autem *Barbosa*, *Bonacina etc.*, sacristiam regularium esse clausuram; sed *P. Ferraris* (1) asserit, praxim fere ubique esse contrariam.

232. — Hic autem refert plura adnotare circa prohibitionem indictam in jure, et in casu reservato in diœcesi Neapolitana, viris colloquendi cum monialibus. Pro hac sciendum, in concilio Lateranensi anno 1179, ut habetur in *c. Monasteria de vita et honestate cleric.*, latam fuisse excommunicationem ferendæ sententiæ ab episcopo contra laicos, et suspensionem in clericos frequentantes monasteria monialium, his verbis: *Monasteria monialium, si quisque clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur; et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis; si laici, excommunicationi subdantur.* Per quot autem vices hæc frequentia constituatur, glossa in *cit. c. Monasteria* censet, constitui per duas vices, scilicet in uno die vel duobus continuis, ut dicit *Gratianus*. Verum communius *Navarrus et Manuel* putant, constitui per tres vices in tribus diebus continuis (2), vel per unam vicem singulis mensibus (3), aut quater in eadem hebdomada, ut ait *Bonacina*; qui contra addit (4), non constitui frequentiam, si sit quater in anno sive semel in trimestri. In hoc tamen ultimo casu, dicit *Barbosa* (5), posse episcopum excommunicare accedentes, si velit.

Circa autem regulares ipsis jam prius specialiter interdictus fuerat accessus ad colloquendum cum monialibus in 8. synodo anno 787, ut habetur in *c. Definimus 21. causa 28. q. 2.*, ubi: *Adulterium intercipi, si habeat aditum monachus ad monacham secreto singulariter ad collocutionem.* Præterea in decreto S. C., edito jussu *Sixti V.* anno 1590, regularibus colloquentibus cum quibuscumque monialibus, sive sui vel alterius ordinis, vel cum qualibet muliere in monasterio degente, imposita est pœna privationis officii, vocis activæ et passivæ, ipso facto incurrenda. Confessariis autem regularibus fuit interdictum,

(1) *bibl. v. conventus n. 14.* — (2) *ut etiam Sanchez dec. l. 6. c. 16. n. 22. et Bon. de claus. d. 1. q. 3. p. 2. n. 4.* — (3 *ut iidem Sanch. et Bon.* — (4) *cum Nav. et Manuel ap. Sanch.* (5) *alleg. 102. n. 70.*

in ædibus monialium monasterio contiguis pernoctare, aut facere, ut alii pernoctent, vel alias secum retinere; item ne in iis cibum sumant extra tempus confessionum generalium. Et hæc lex verius obligat sub mortali (1) ex decreto S. C. concilii edito 1. Julii 1626, ubi declaratum fuit, regulares accedentes ad monasteria monialium contra formam præfati decreti editi mandato *Sixti V. ultra pœnas incurrere etiam pœnam peccati mortalis.* Item hic notandum, quod in præfato decreto *Sixti V.* dictum fuit, regulares tantum a S. C. impetrare posse licentiam ad colloquendum cum monialibus; sed eadem S. C. concilii in alio decreto (2) de mandato *Urbani VIII.* 20. Novembris 1623 concessit *locorum ordinariis, ut, quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuique regulari, ut moniales sibi in primo et secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas convenire et alloqui possit. Id vero ut nullo modo liceat diebus festivis aut adventu, quadragesima, feria sexta, sabbato et vigiliis: prædictaque licentia obtenta ab ordinario et ab alio, ad quem spectat eam concedere, assignetur confessario ordinario monasterii, qui penes se retinere debeat, isque associet et præsens sit; et auscultatrices de more, non aliæ assistant: prædictaque licentia pro die et hora certa et in scriptis concedatur, in librisque cancellariæ ejusdem ordinarii adnotetur. Quod si ordinarii aliter quam servata forma supradicta licentiam concesserint vel permiserint, sciant, se intentionis ss. Domini nostri transgressores; regulares autem pœnis in supradicto decreto* (scilicet *Sixti V.*) *contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, se noverint addictos etc.*

Sed postquam hæc scripserim, inveni, quod, cum apud S. C. concilii factum fuisset quæsitum, an regulares accedendo ad colloquendum cum monialibus sine licentia episcopi peccent mortaliter, etiamsi accedant ex rationabili causa: S. C. die 26. Nov. 1682 (3) respondit, non li-

(1) *ut docent Bonac. q. 3. p. 4. n. 4. cum Sayro, Homob. et Barchio, ac Ciera d 6. n. 26. v. verum cum Potesta, Vericel., Donato, Llamas et Manuel contra Nav. et Pal.* — (2) *in extensum relato a Bon. q. 3. p. 4. n. 4. et a Ciera d. 6. n. 26.* — (3) *ut habetur ap. Monacell. t. 1. append. p. 436.*

cere sine licentia episcopi. Et idem habetur in bulla *Gravissimo*, edita die 31. Octobris 1749 a *Benedicto XIV.*, in qua refertur, vetitum fuisse regularibus a S. C. accedere sine licentia episcopi ad monasteria monialium, nec etiam ipsis subjecta. His autem positis videtur, hodie regulares (quidquid alia decreta prius statuerint, quæ in desuetudinem abierunt) licite posse accedere toties quoties ad colloquendum cum monialibus ex licentia episcopi.

Hæc præscripta sunt de jure communi; in omnibus autem fere diœcesibus, et signanter in Neapolitana, adest casus reservatus cum excommunicatione *in loquentes sine archiepiscopi vel vicarii monialium licentia cum monialibus in monasteriis, etiam exemptis, vel cum aliqua aut aliquibus earum, etiamsi sit conversa aut novitia, sive educationis sive alterius rei causa ibidem commoretur, conjunctis in primo vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod, qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera et ex professo cum aliis loqui. Insuper* (excommunicantur) *ii præsertim, qui cum aliqua ex prædictis aut coram ipsis, tam in monasteriis quam conservatoriis seu collegiis commorantibus, de rebus obscœnis per verba aut actus impudicos præsentes egerint, absentes vero per litteras aut internuntios: necnon viri aut mulieres, sive intra sive extra monasterii vel conservatorii aut collegii septa, qui prædictas litteras vel mandata detulerint.*

233. — *Dubitatur 1.*, an in tali prohibitione vetetur solus accessus sine collocutione. Affirmant *Sanchez* (1) *et Bonac.* (2) *cum Nav. et Rodr.* Hinc dicunt, prohiberi accessum ad monasterium, etiam ad inspiciendas moniales. Sed probabilius *de Alexandris* (3) *ex Januario et Jordano* dicit, vetari accessum formalem, scilicet cum effectu; unde accessus prohibitus duo importat copulative, nempe accedere ad locum et colloqui; sic enim clare colligitur ex *cit. c. Definimus,* in quo simultanee prohibetur *aditus ad collocutionem;* et ex decretis mox supra relatis editis de mandato *Sixti V.* et *Urbani VIII.*, ubi semper fit mentio copulative de accessu et colloquio.

(1) *dec. l. 6. c. 16. n. 112.* — (2) *de claus. d. 3. p. 1. n. 3.* (3) *c. 7. §. 10. q. 1.*

Hinc probabiliter dicunt (1), per se loquendo non esse vetitum colloqui cum monialibus e domo propinqua, quia deficit accessus; sicut nec etiam scribere (2). Sic etiam non prohibetur colloqui per nuntium transmissum (3). Dixi: *per se loquendo;* nam juxta casum reservatum Neapoli (4) incurrunt excommunicationem etiam, qui colloquuntur e domibus propinquis, et etiam qui loquuntur cum moniali nihil respondente; ibi enim excommunicantur non solum colloquentes, sed simpliciter *loquentes;* item omnes *absentes*, qui cum moniali vel alia degente in monasterio vel conservatorio *de rebus obscœnis egerint per litteras aut internuntios.*

234. — *Dubitatur 2.*, an loquentes per nutus aut signa non obscœna incurrant casum reservatum. Affirmat *Mazzotta* (5), quia conceptus bene alteri manifestantur tam verbis quam signis. Sed merito probabile putat oppositum ipse *Mazzotta* (6); nam locutio per signa non est proprie locutio; prohibitiones autem tanquam odiosæ stricte sunt intelligendæ.

235. — *Dubitatur 3.*, an sit peccatum mortale semel colloqui cum moniali. Loquendo de jure communi *Sanchez* (7) *cum Navarro* censet, quod etiam frequenter et sine justa causa cum monialibus colloquentes non peccant mortaliter, nisi ipsi post monitionem episcopi non desistant. At dicunt *Bonac.* (8) *et de Alex.* (9) *cum Miranda*, *Rodr. et aliis* ex decreto S. C. 1. Julii 1606, quod hujusmodi monasteria frequentantes, licet non incurrant pœnas nisi post monitionem episcopi, tamen non excusantur a mortali, quia in decreto S. C. concilii, edito ut supra jussu *Sixti V.*, imponitur pœna valde gravis, quæ non solet imponi nisi pro gravi culpa. Sed huic responderi potest,

(1) *Diana p. 3. tr. 2. r. 48., de Alex. l. c. cum Lez., Tamb. et Januar., et consentit idem Bonac. l. c. n. 2. cum Graff. et Homob. contra Merolla et Pasqual.* — (2) *ut Bon. d. 3. p. 2. n. 5., Mazz. t. 3. p. 534. et de Alex. ib. cum Barbosa, Riccio, Tamb., Januar et aliis.* — (3) *Bonac. p. 1. n. 2. cum Graff et Homob., ac Mazzotta l. c. cum Quarti, Januario et Diana.* — (4) *ut bene notant Ciera d. 6. n. 26. et idem Mazzotta p. 523. v. not. 1.* — (5) *t. 3. p. 534. cum Quarti, Januar., Graff. et Baucio.* — (6) *cum Pelliz, Tambur. et Diana.* — (7) *dec. l. 6. c. 16. n. 120.* — (8) *de claus. q. 3. p. 3. n. 1.* — (9) *c. 7. §. 10. q. 2.*

id ibi dispositum esse tantum circa regulares. Loquendo vero de casu reservato in nostra diœcesi nulli dubium, quin peccet mortaliter, qui adhuc semel per tempus notabile loquitur cum moniali (1): ibi enim non frequentatio, sed sola locutio vetita est.

236. — *Dubitatur 4.*, an in hujusmodi locutione detur parvitas materiæ? Negat *de Alexandris* (2), idque probat ex decreto S. C., edito 1. Maji 1669, approbato ab *Innocentio IX.*, ubi: *S. C. concilii Tridentini, habita notitia, quod nonnulli regulares absque licentia crates monialium adire et frequentare non dubitent, prætendentes, non esse prohibitum, per breve tempus, etiam ad quadrantem horæ cum dimidio, moniales alloqui; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans ac damnans, declaravit: regulares, qui ad monasteria monialium, quamvis ipsis regularibus subjecta, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus, peccare mortaliter, eosque pœna excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque statutis pœnis posse ab ordinario tanquam sedis apostolicæ delegato coerceri.* Ex verbis igitur illis: *per quodcumque modicum temporis.* infert *de Alexandris*, non dari parvitatem materiæ in tali collocutione.

Affirmant tamen communiter *Bonac.* (3), *Diana* (4), *Mazzotta* (5) *cum Quarti*, *Veric. et Tamb.*, *ac Ciera* (6) *cum Januario*, qui ait, parvitatem materiæ ab omnibus in hoc admitti debere: et merito, nam adhuc in præceptis divinis datur materiæ parvitas, quæ excusat a mortali, nisi (ut communiter DD. tradunt) in qualibet parva materia reperiatur tota malitia culpæ, ut est in perjurio, re venerea et simonia. Discrepant vero AA. in assignando, qualis sit in tali collocutione parva materia. *Ciera l. c. cum Januario* censet, esse pauca verba, quæ *Merolla ib.* putat esse decem verba; *Diana* autem et *Mazzotta* putant, esse spatium unius *Miserere* et aliquid amplius. Demum *Quarti et Vericelli apud Mazz.* dicunt, esse unum

(1) *ut bene ajunt Mazzotta p. 343. et Ciera disp. 55. n. 9. cum Januario et Quarti.* — (2) *c.7. §. 10. q.3.* — (3) *de claus. q.3. p.3. n.1.* — (4) *p.3. tr.2. r.48. v. nota 6.* — (5) *p.534.* (6) *d.6. n.9.*

quadrantem. Neque videtur, ut putat *de Alex.*, in decreto *Clementis IX.* reprobatam fuisse hanc opinionem; licet enim prohibeatur collocutio per quodcumque modicum spatium, id tamen declaratum est tantum de regularibus, quibus utique valde strictius vetita est collocutio cum monialibus. Nec etiam ibi omnino videtur, ut censet *Ciera*, rejectam esse opinionem *Quarti*, nempe quadrantem esse materiam parvam; nam ibi verius non fuit damnata nisi opinio de quadrante cum dimidio, verbis illis: *Prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio.* Propositio copulative damnata est, scilicet, quod sit breve tempus, etiamsi extendatur ad quadrantem cum dimidio. Si quis autem multoties per plurimos dies colloqueretur cum aliqua moniali per aliquod tempus continuatum, etiam per se non notabile, difficulter eum excusarem a mortali et ab excommunicatione: quia tales collocutiones, licet non physice, moraliter tamen conjungi videntur.

237. — *Dubitatur 5.*, an liceat colloqui cum moniali ob necessitatem vel utilitatem spiritualem sine licentia. Affirmant *Diana*(1) *et Lez.*, *Januar.*, *Peyrin.*, *Bord. etc.*(2), quia non præsumitur prælatus velle impedire spiritualem monialium profectum; sicut enim taliter loquens potest colloqui cum excommunicato, ita cum moniali. Sed negat *Ciera* (3), et illi omnino ipse adhæreo; nam si aliis permitteretur loqui cum monialibus propter hanc causam boni spiritualis sine licentia, id noceret bono communi, cum facile plurimi hallucinarentur, et ideo bonum commune præferri debet privato. Præterquam quod in nostro casu vix unquam cessat adæquate (nec etiam in particulari) finis prohibitionis, eo quod de facili in tali collocutione subest periculum, quod inter se loquens et monialis aliquo affectu capiantur, et ipsorum conversatio ex spirituali deveniat carnalis. Hinc recte decrevit S. C. die 26. Novembris 1632(4), nullam, quamvis honestam et rationabilem causam, a gravi culpa excusare regularem, qui colloquitur cum moniali.

238. — *Dubitatur 6.*, an liceat sine licentia loqui cum

(1) *p. 3. tr. 2. r. 104.* — (2) *ap. Mazz. p. 534.* — (3) *d. 6. n. 8.* — (4) *ut refert Benedictus XIV. de synodo l. 13. c. 12. n. 23.*

abbatissa. Affirmant *Diana*(1), *Pellizarius*(2), *Mazzotta*(3); item *Lezana*, *Tamb. et Januarius*(4), ac adhæret *Felix Potesta*(5), quia nomine monachorum non venit abbas(6). Negant vero *de Alex. l. c. cum Megala*, *Calderinus et rota Romana ac Ciera*(7) *cum Graffio et Merolla*. Ratio, tum quia prædicta prohibitio non est odiosa, sed potius est favorabilis, cum ipsa valde prosit spirituali profectui monialium; tum quia in decreto S. C., edito jussu *Sixti V.*(8), vetatur locutio non solum cum monialibus, sed cum qualibet persona intra claustra degente, et in constitutione *Alexandri VII. Sacrosancti*(9) prohibetur hujusmodi allocutio etiam cum *abbatissis*, *priorissis etc.* Sed his non obstantibus non audeo improbare primam sententiam, præsertim quia abbatissæ ut plurimum eliguntur ex senioribus et prudentioribus, ipsæque frequentiorem necessitatem habent ratione officii tractandi cum extraneis. Ad decretum autem *Alexandri* respondet *Potesta l. c.*, illud fuisse particulare pro urbe Roma, forte ob peculiares causas ibi emergentes. Præterquam quod respectu Urbis ibi expressum est, comprehendi etiam abbatissas. Si igitur Pontifex, ubi voluit eas comprehendi, illas expressit, ergo ubi non exprimuntur, videntur non comprehendi; alias non erat opus eas exprimere.

239. — *Dubitatur 7.*, quinam eximantur ab hac prohibitione. *Eximuntur 1.* conjuncti in primo et secundo gradu consanguinitatis, ut exprimitur in casu Neapoli reservato. Putat autem *Ciera*(10), eximi etiam, qui sunt consanguinei in secundo et tertio gradu, quia in favorabilibus lata facienda est interpretatio. Sed huic opinioni non acquiesco; nam qui est in secundo et tertio, revera non potest dici esse in secundo; ille enim secundus gradus computatur in moniali respectu ad stipitem; respectu vero ad colloquentem reipsa est in tertio, juxta regulam a nemine dubitatam, nempe consanguineos tot gradus distare inter se, quot gradibus remotior distat a stipite. *Eximuntur 2.*,

(1) *p. 5. tr. 2. r. 49. v. not. 3. et p. 10. tr. 14. r 49 cum Vivald. et Zambello.* — (2) *c. 5. n. 208.* — (3) *p. 536.* — (4) *ap. de Alex. c. 7. §. 10. q. 5.* — (5) *p. 2. n. 1477.* — (6) *ut censet glossa in c. fin. de simonia, et ibi Panorm. ac Carden. ap. Dian. l. c.* — (7) *d. 6. n. 11.* — (8) *relato n. 232. v. circa autem.* — (9) *ap. de Alex. d. q. 5.* — (10) *d. 6. n. 5.*

qui gravi metu ducti honeste alloquuntur moniales, quia in tali discrimine lex ecclesiastica non obligat; est commune (1). *Eximuntur 3.* pauperes et publice quæstuantes, ex usu et ex tacita licentia superiorum. Et sic etiam famuli deferentes dona breviterque se expedientes (2).

240. — *Dubitatur 8.*, an pueri impuberes eximantur a prohibitione loquendi cum monialibus. Nulli dubium, quin ipsi, si essent doli capaces, si talem collocutionem frequentarent, non excusarentur a peccato, cum prohibitio in *cap. Monasteria de vita et honest. cler.* omnes comprehendat. An autem in illis diœcesibus, in quibus collocutio prohibetur sub excommunicatione ordinario reservata, impuberes ab ea excusentur? Negat *Graffius;* sed verius affirmat *de Alexandris* (3) ex *c. Pueris de delict. puerorum*, ubi dicuntur pueri non esse puniendi sicut puberes. Et hoc certum est in diœcesi Neapolitana, ubi pueri minores 14 annis expresse eximuntur a casibus reservatis.

241. — *Dubitatur 9.*, an regulares colloquentes cum monialibus incurrant excommunicationem reservatam latam ab episcopo. Adsunt quatuor sententiæ:

Prima absolute negat (4); quia, licet episcopi circa clausuram monialium ex Tridentino (5) procedant ut delegati sedis apostolicæ: tamen ibi nulla fit mentio facultatis ferendi censuras contra religiosos.

Secunda sententia omnino opposita (6) dicit, omnes regulares, etiam speciali privilegio donatos, incurrere excommunicationem latam ab episcopo.

Tertia sententia (7) distinguit et dicit, non incurrere, si monasteria sint episcopo subjecta; quia, cum in illis episcopus procedat jurisdictione ordinaria, ei non subduntur regulares; secus vero, si sint exempta, quia in his episcopi procedunt ut Papæ delegati.

Quarta sententia demum communior, cui magis ad-

(1) *vide Ciera n. 20.* — (2) *de Alex. c. 7. §. 10. q. 14. et Mazz. p. 534. cum Pelliz.* — (3) *c. 7. §. 10. q. 9. cum Bonac., Diana et aliis.* — (4) *cum Diana, Lez., Quarti et Merolla ap. Ciera d. 6. n. 24.* — (5) *sess. 25. c. 5.* — (6) *quam tenent Navarr., Graff. et Campanile ap. Barbosa alleg. 102. n. 73, et cui adhæret Ciera n. 26.* — (7) *quam tenent Januar.; Duard., Fagund. et Riccius ap. eumd. Ciera n. 25.*

hæreo (1), cum decreto S. C. 9. Aprilis anno 1583, aliter distinguit et ait, quod regulares, si habeant speciale privilegium, quod non possint excommunicari aut suspendi ab episcopis, prout habent Mendicantes (2) et religiosi societatis Jesu ex bulla *Pauli III.* anno 1549, hi non incurrunt excommunicationem ab episcopo latam; secus vero, si tali privilegio careant. Idque probatur ex bulla *Inscrutabile*, edita 5. Februarii 1522 a *Gregorio XV.*, ubi sic dictum fuit: *Ad hæc tam sæculares quam regulares nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra sepia degentes aut circa clausuram aut circa administrationem bonorum monasteriorum monialium etiam regularibus subjectarum, ab episcopo loci similiter tanquam ad hoc sedis apostolicæ delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.* Unde infertur, quod regulares speciali privilegio non muniti bene incurrunt excommunicationem latam ab episcopo in colloquentes cum monialibus, sive monasterium sit exemptum sive subjectum episcopo; quia etiam in hoc episcopus procedit contra regulares tamquam delegatus sedis apostolicæ; alias in eos nullam haberet jurisdictionem puniendi et corrigendi, sicut habere dicitur in bulla. Secus vero dicendum de regularibus speciali privilegio gaudentibus; tale enim privilegium hoc importare debet, ut contra eos episcopus non etiam ut delegatus sedis apostolicæ possit procedere; quia, cum regulares ordinarie in aliis sint exempti a jurisdictione episcopi, quando contra eos episcopus procedit, semper ut delegatus procedere debet. Hoc tamen intelligendum, si privilegium post bullam *Gregorii* sit concessum; non vero, si ante; dum in bulla dicitur: *nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possint etc.*

242. — *Dubitatur 10.*, an peregrini, colloquentes cum monialibus in aliena diœcesi, incurrant excommunicationem ibi reservatam. Adsunt tres sententiæ:

Prima sententia absolute affirmat, et hanc tenent omnes

(1) *et tenent Sanch. de matrim. l. 7. d. 33. n. 23., Barbosa alleg. 103. n. 73., Bonac. de claus. q. 3. p. 4. n. 8., Fagnan. l. 4. in c. Quanto de priv. n. 9. et de Alex. c. 7. § 10. q. 12.*
(2) *ex compend. privileg. v. exemptio n. 9. 23. et 24.*

AA. citati *l. 4, 332. in fine*, qui dicunt, peregrinum etiam ad breve tempus commorantem in aliquo loco fieri illius ordinarii subditum. Eamdem sententiam tenent *de Alexandris* (1) *et Ciera* (2), sed aliis rationibus ducti, quæ meo judicio non suadent.

Secunda sententia vero (3) dicit, comprehendi peregrinos, si monasteria sint exempta, quia in his episcopi ex Tridentino (4) procedunt ut Papæ delegati, unde ipsi etiam peregrini subjiciuntur. Secus, si monasteria sint episcopo subjecta, quia ex eodem Tridentino in illis episcopus procedit jurisdictione ordinaria, cui non subsunt peregrini per breve tempus commorantes, ut tenet probabilior sententia, juxta dicta *de legibus l. 1, 156.*

Tertia sententia vero, quam tenent *Pellizz.*, *Diana et alii ap. Mazzotta* (5), qui non reprobat, dicit, peregrinos brevi alicubi commorantes non incurrere excommunicationem latam ab episcopo loci, sive monasterium sit ei subjectum sive exemptum, propter rationem supra allatam, quia peregrini non tenentur legibus loci. Nec obstare dicunt, quod ex Tridentino episcopi circa clausuram monasteriorum exemptorum procedant ut Papæ delegati; nam hoc habent tantum in ordine ad restitutionem et conservationem clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Sed huic responso merito contradicunt *Januarius* (6) *et Fagnanus* (7), quia accessus ad colloquendum, juxta sensum DD., spectat ad clausuram, idque colligitur ex *c. Periculoso 1. de statu regul.*, renovato a Tridentino (8), ubi dicitur: *Nullique ingressus vel accessus* (nota) *pateat ad easdem, ut sic a publicis et mundanis conspectibus separatæ omnino servire Deo valeant liberius, et lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda et corpora in omni sanctimonia diligentius custodire.* Ergo non solum ingressus, sed etiam accessus prohibitio pertinet ad clausuram, dum etiam accessus præbet monialibus lasciviendi opportunitatem eisque obstat, ne corda Deo diligentius custodiant. Et ideo episcopi in monasteriis exemptis

(1) *c. 7. §. 10. q. 10.* — (2) *d. 6. n. 31.* — (3) *quam tenent Januar. de casib. reservat. res. 34. n. 24. et Donatus in praxi t. 4 de access. ad monial. tr. 6. q. 22. n. 8.* — (4) *sess. 25. c. 5.* (5) *p. 536.* — (6) *de cas. reserv. res. 34. n. 19.* — (7) *l. 5. in c. Quanto de privil. n. 15. et 16.* — (8) *sess. 25. c. 5.*

procedunt ut Papæ delegati, quia ut tales sunt destinati a Tridentino circa clausuram monialium, prout declaravit S. C. (1). His tamen non obstantibus, vide mox dicenda in fine numeri sequentis *v. sed quidquid.*

Dubitatur II., an episcopi colloquentes cum monialibus in aliena diœcesi incurrant excommunicationem latam ab ordinario loci. Non videtur dubitandum, quia ex *c. Periculoso de st.tu regul. in 6.* etiam episcopi prohibentur a colloquendo cum monialibus extra suam diœcesim, vel intra cum exemptis, dum ibi dicitur: *Nullique ingressus vel accessus pateat ad easdem.* Nullibi enim habetur, quod episcopi, aut etiam cardinales, sint exempti a communibus legibus, ut docet *Bonacina*(2) cum rota Romana et aliis; et hoc dicit cum *Ugolino* procedere etiam in odiosis. Quoad excommunicationem vero *Mazzotta* (3) *et Diana ac Graffius* (4) negant, episcopos eam incurrere, quia lex non ligat æqualem (5). Sed affirmat *de Alex. l. c.* cum aliis, quia episcopi in alieno territorio censentur privatæ personæ (6); unde ipsi subjiciuntur ac alii eisdem pœnis; et sic *de Alexandris* refert decisum a S. C. *ap. Navarrum* die 20. Maji 1619.

243. — Sed quidquid dixerint D. D. præfati, hodie concludendum, tam exteros quam episcopos peccare quidem accedendo ad colloquendum cum monialibus existentibus in aliena diœcesi, sed non incurrere excommunicationem; nam in bulla *Gravissimo Benedicti XIV.*, edita die 21. Octobris 1749, dicitur, quod tam episcopi quam exteri sunt quidem subjecti constitutionibus ordinarii loci quoad auctoritatem directivam, non vero quoad coactivam; quapropter, licet peccent, non tamen pœnas incurrunt, quia episcopi et externi non subjiciuntur auctoritati ordinariæ episcoporum: *Cum vero* (verba bullæ) *iidem ordinariæ episcoporum jurisdictioni minime subsint, ideoque sint immunes a pœnis.* Ratio quippe est, quia, etsi episcopi sint delegati apostolici circa clausuram monialium, eorum tamen jurisdictio est ordinaria, tamquam perpetuo annexa episcopali officio, juxta dicta *l. 6, 594.*

(1) *ap. Fagnan. l. c. n. 31.* — (2) *de leg. d. 1. q. 1. p. 6. n. 35.* — (3) *t. 3. p. 534. in fine.* — (4) *ap de Alexand. c. 7. §. 10. q 6.* — (5) *ex c. Cum inferior de major. et obed.* — (6) *ex Panorm., Hostiensi et aliis.*

DECRETA BENEDICTI XIV.

ad clausuram regularem spectantia.

I. DECRETUM

Super clausura monialium.

Salutare in catholica ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custoditum, ut flos ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sacræ virgines, quarum, quo sublimior gloria est, major et cura est, intra monasteriorum septa et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante quam post Tridentinæ synodi decreta Romani Pontifices prædecessores nostri tot sanctissimis legibus et initis apostolicæ providentiæ charitatisque consiliis communire et confirmare studuerunt; ut, quæ se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum.

Quoniam autem, etsi providas hujusmodi sanctiones constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ observantia custodirentur, satis esse scimus, ut virgines ea, quæ cœlestis earumdem sponsi Jesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctæ et corpore et spiritu; longa tamen experientia edocti, et assiduis venerabilium Fratrum, aliarum ecclesiarum antistitum, querelis admoniti, supremas apostolicæ auctoritatis providentiæque partes requiri: ut „abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi „quocumque pacto arrogantium aut prætendentium aut „obtendentium, facultatem alias sibi quomodolibet sive a „jure sive ab homine concessam vel demandatorum mu„nerum ratione debitam esse, ut sive ipsi sive alii in„gredi clausuram monialium, aut ipsæ moniales e clau„sura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi „et extra clausuram hujusmodi commorari possint, licen-

„tiam concedendi, indulgentia sensim invectis opportune „occurratur: hinc est, quod nos pro suprema omnium „Christi fidelium procuratione, imbecillitati nostræ in uni- „versalis orthodoxæ ecclesiæ regimine divinitus imposita, „opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum „Domino possumus, adhibere satagentes, auctoritate apo- „stolica, tenore præsentium omnes et singulas constitu- „tiones a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris „tam ante quam post concilii Tridentini decreta super „clausura monialium editas renovamus et confirmamus, „nec non imposterum ab omnibus et singulis, ad quos „spectat et in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in „constitutionibus eorumdem prædecessorum nostrorum Ro- „manorum Pontificum et decretis concilii Tridentini præ- „fati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, „decernimus, præcipimus atque mandamus."

Præterea motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eorumdem præsentium tenore *omnia et singula indulta*, privilegia, prærogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones omnibus et singulis *quibuscumque ecclesiasticis* personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia ac jurisdictione fungentibus; etiam venerabilibus Fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, sive singulis sive eorumdem cardinalium congregationibus; etiam de latere legatis, sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore præsunt, sive quos ad charissimos in Christo filios nostros, Romanorum regem in imperatorem pro tempore eligendum vel electum, reges et reginas illustres aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum antistites, tamen tamquam apostolicæ hujus s. sedis legati de latere alias nuncupati et habiti sunt et fortasse habentur, aut haberi et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt; sive ordinarii sive extraordinarii nostri et ejusdem apostolicæ sedis ubicumque, etiam apud ipsos imperatorem et reges ac summas potestates nuntii sive internuntii resident (exceptis dumtaxat locorum ordinariis iisque omnibus superioribus, quibus tamquam ordinariis

et ordinaria jurisdictione utentibus monialium monasteria subjecta et addicta sunt, in casibus tamen necessariis et servatis aliis de jure servandis, et non aliter omnino); ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris quacumque de causa, occasione, titulo, colore et prætextu per quascumque apostolicas, sive in simili forma brevis sive sub plumbo expeditas litteras, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas super hujusmodi ingressu, *revocamus*, *abolemus*, *annullamus atque irritamus*; nec non a datarum earumdem præsentium die revocata, aboleta, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari; ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi sive pro se sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus, præterquam a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse; licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi, ac pœnas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse statuimus, decernimus ac declaramus. Decernentes, easdem præsentes litteras, et in eis contenta, quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmissas interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ et totalis læsionis, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio,

aut intentionis nostræ vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari: sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariæ apostolicæ regula *de jure quæsito non tollendo*, aliisque constitutionibus apostolicis: necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis et quan-

tiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur et insererentur, præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis etc. Datum Romæ apud s. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Januarii anno 1742, pontificatus nostri anno secundo.

II. DECRETUM.

Super clausura religiosorum.

Regularis disciplinæ observantiam, ante etiam quam et generalium ac particularium alicujus nationis aut provinciæ conciliorum decretis confirmaretur, et Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum legibus sanctionibusque præscriberetur, quoad vetitum mulieribus quibuscumque, etiam consanguineis, intra quorumcumque religiosorum virorum clausuram ingressum, tam integerrime custoditam fuisse constat; ut nedum fœminis quibuscumque, sed masculis quoque non tam ad monasteriorum claustra seu septa quam ad ipsa eorumdem monasteriorum oratoria et ecclesias nullus patuerit aditus et accessus, quin imo sub gravissimis pœnis fuerit interdictus: ne scilicet, ut inquit *s. Gregorius Papa I.*, prædecessor noster, in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat.

Hujusmodi autem regularis disciplinæ observantia, etsi pro temporum varietate ac necessitate tot tantasque subiit vices, ut iidem prædecessores nostri aditum et accessum

ad publicas monasteriorum ecclesias dumtaxat sive masculis sive fœminis sacrosanctum missæ sacrificium audiendi, prædicationibus verbi Dei interessendi, et sacramentum sanctissimæ eucharistiæ sumendi ac peccata sua confitendi causa, sine tamen parochorum præjudicio, interdum concesserint; vicissim tamen ipsi prædecessores nostri tam ante concilii Tridentini decreta quam post eorumdem decretorum promulgationem denuntiationemque, providis saluberrimisque constitutionibus ordinationibusque sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ fœminis quibuscumque aditum ingressumque hujusmodi intra monasteriorum clausuram interdixerunt. „Quo„niam autem, sicut dolentes accepimus, alii quidem apo„stolicas leges ac præcepta hujusmodi vel ausu teme„rario parvipendentes vel ad eorum arbitrium interpre„tantes, fœminis quibuscumque aditum ingressumque tam „manifeste ac tanta solemnitate vetitum permittunt; alii „vero privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licen„tias et alias quocumque pacto excogitatas concessiones „sibi sive a jure sive ab homine factas et impertitas, „seu facta et impertita, ac quorumcumque munerum, di„gnitatum ac præeminentiarum ratione debitas seu debita „arrogantes, prætendentes obtendentesque, fœminas quas„libet intra monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cu„bicula aliasque officinas aut admitti ac recipi sinunt „mandantque, aut una secum ducunt; alii denique sub pie„tatis ac religionis prætextu, cum supplicationes sive cum „sanctissimo eucharistiæ sacramento sive cum sanctorum „sanctarumque reliquiis, statuis et imaginibus per claustra, „septa et alia monasteriorum loca de more, ut asserunt, „habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos et fœ„minas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi „et comitari licitum, quin imo, ut indulgentias lucrari „valeant, necessarium esse obtendunt:" hinc est, quod nos, qui, dum in minoribus essemus, quamplurimos hujusmodi abusus compertos habebamus, in hac sublimi sacrosancti apostolatus specula constituti, non tam assiduis nonnullorum aliarum ecclesiarum antistitum documentis, quam justis etiam superiorum aliorumque virorum ex religiosis ordinibus, Dei honorem et instituti sui disciplinam zelantium, expostulationibus de antedictis similibusque

abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tollendis, quantum cum Domino possumus, remedium afferamus; auctoritate apostolica, tenore præsentium primum quidem omnes et singulas *constitutiones* sanctionesque a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris tam ante quam post concilii Tridentini decreta super clausura monasteriorum quorumcumque religiosorum virorum editas *renovamus et confirmamus;* nec non in posterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit, sub iisdem pœnis in constitutionibus sanctionibusque eorumdem prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum et decretis ejusdem concilii Tridentini contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus atque mandamus. Deinde motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine, earumdem præsentium tenore, *omnia et singula indulta*, privilegia, prærogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præeminentia ac jurisdictione fungentibus; etiam venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, sive singulis sive eorumdem cardinalium congregationibus; etiam de latere legatis, sive qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore præsunt, sive quos ad charissimos in Christo filios nostros, Romanorum regem in imperatorem pro tempore eligendum vel electum, reges et reginas illustres aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum antistites, tamen tamquam apostolicæ hujus s. sedis legati de latere alias nuncupati et habiti sunt et fortasse habentur, aut haberi et esse prætendunt, et in posterum habendi sunt; sive ordinarii sive extraordinarii nostri et ejusdem apostolicæ sedis ubicumque, etiam ad ipsos imperatorem et reges ac summas potestates nuntii sive internuntii resident; ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quacumque de causa,

occasione, titulo, colore et prætextu, per quascumque apostolicas sive in simili forma brevis sive sub plumbo expeditas litteras, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas, super hujusmodi accessu et ingressu *revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus;* nec non a datarum earumdem præsentium die revocata, abolita, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari statuimus, decernimus et declaramus. Quemadmodum etiam statuimus, decernimus et declaramus, quemlibet omnium antedictorum etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi temere uti audentem, ipso facto absque ulla alia declaratione pœnas et ecclesiasticas censuras, a quibus, præterquam a nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse, licentiamque hujusmodi cuicumque concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi, ac pœnas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse. Decernentes, easdem præsentes litteras et in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, ordinis, præeminentiæ et dignitatis existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causæque, propter quas præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ et justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica et privilegiata causa, colore, prætextu et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimæ et totalis læsionis, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis

in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in judicio vel extra illud uti seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas præsentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et sedis prædictæ nuntios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis prædictis, aliisque quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia

exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, præsentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus; cæterisque contrariis quibuscumque. „Cæterum per præsentes „non intendimus, derogatum esse iis concessionibus, quæ „ad favorem quarumcumque nobilium fœminarum ex eo, „quod sive earumdem majores ac pro tempore existentes „de familia fuerint et habeantur fundatores, vel insignes „benefactores illius monasterii, intra hujus claustra vel „septa fœminas etiam de familia ingredi vel concessum „vel cautum esse sibi voluerunt, et de concessione hu„jusmodi confirmationem ab apostolica hac sancta sede „obtinuerunt; sive fœminæ hujusmodi sint consanguineæ „et affines eorum, qui sunt domini in temporalibus loco„rum, in quibus monasteria sita reperiuntur, et quacum„que legitima tituli vel consuetudinis causa et occasione „ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ et im„pertitæ fuerunt; dummodo concessiones hujusmodi per „apostolicas in simili forma brevis vel sub plumbo de„super expeditas litteras dumtaxat, et non aliter omnino „factas et impertitas fuisse prius ordinariis locorum, an„tistitibus vel præsulibus per legitima et authentica do„cumenta constare fecerint; et dummodo nec vagandi nec „otiandi nec comedendi cœnandique, nec per ambulacra, „cubicula, cœnacula aliaque loca et officinas discurrendi „causa, sed ad ecclesias accedendi, sacrosanctum missæ sa„crificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia et „opera exercendi studio ingrediantur; et dummodo de ea„rum adventu et ingressu interdiu et opportune faciendo „superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad „hoc, ut absque fratrum incommodo et offensione, recto tra„mite ad ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda ser„ventur." Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis etc. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Januarii 1742, pontificatus nostri anno secundo.

DISSERTATIO

super censuris circa immaculatam B. V. Mariæ conceptionem.

244. — Ante omnia operæ pretium est recensere diversas bullas a summis Pontificibus super hac materia emanatas.

Et 1) *Sixtus IV.* in sua extrav. *Cum præcelsa*, quæ habetur in *6. decretal. extrav. de reliq. et vener. sanctorum*, sic ait: *Cum præcelsa meritorum insignia, quibus regina cœlorum Virgo Dei genitrix... utpote via misericordiæ, mater gratiæ et pietatis amica, humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum onere gravantur, sedula oratrix et pervigil, ad Regem, quem genuit, intercedit, debitum reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti Deo de ipsius immaculatæ Virginis mira conceptione gratias et laudes referant, et institutas propterea in Dei ecclesia missas et alia divina officia dicant et illis intersint etc.* Inde s. Pontifex eis, qui missam et officium hujusmodi in die festivitatis conceptionis Mariæ et per octavam dicunt et illis intersunt, eamdem indulgentiam impertitur, quam lucrantur in festo corporis Christi. Idem Pontifex in sequenti extrav. *Grave nimis eodem tit.*, edita anno 1483, excommunicationem ipso facto imposuit asserentibus in concionibus vel alias quomodolibet, esse hæreticos vel graviter peccare, qui tenent, B. V. Mariam præservatam fuisse a peccato originali, vel qui celebrant officium conceptionis, vel audiunt de hac conciones. Et pariter ibi excommunicantur, qui pro veris tenent vel legunt libros idem ut supra asserentes. E converso etiam ibi excommunicantur, qui dicunt, esse hæreticos vel peccare graviter tenentes oppositam sententiam.

2) *S. Pius V.* in sua bulla 114., edita anno 1570, incipiente: *Super speculam*, statuit: *Quatenus nemo cujusque ordinis, gradus etc. in popularibus concionibus vel ubicumque promiscua virorum et mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alterutra parte disputare, rationibus vel DD. auctoritate asserendo pro-*

priam sententiam, et contrariam refellendo aut impugnando, vel de hac quæstione... vulgari sermone scribere vel dictare præsumat. Qui contra fecerit, suspensionis pœnam a divinis ipso jure incurrat, si fuerit in sacris constitutus, et quocumque gradu, dignitate et administratione sit ipso facto privatus, et ad eadem vel similia munera obtinenda vel obeunda perpetuo inhabilitatis censuræ ipso etiam facto sit obnoxius; super quibus nisi a Romano Pontifice dispensari aut absolvi non possit. Cæterum additum fuit: *Liceat doctis in publicis academiæ disputationibus, ubi intersunt, qui rem capere possunt, nec scandali subest occasio, de illa quæstione disserere; dum tamen neutra veluti erronea prædicetur.* Insuper *s. Pius V.* in festo conceptionis B. V. mandavit recitari officium de nativitate, mutato verbo *nativitatis* in aliud *conceptionis.*

3) *Paulus V.* in sua bulla 97., emanata anno 1616 (1), interdicit sub pœna suspensionis, et aliis contentis in bulla *s. Pii V.* mandavit: ne *audeant cujusque conditionis* etc. *personæ, in publicis lectionibus, concionibus, conclusionibus aliisque actis publicis asserere, B. Virginem in peccato originali conceptam fuisse.* Ulterius idem s. Pontifex mandavit sub eisdem censuris et pœnis, *quod negativam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent.*

4) *Gregorius XV.* in sua bulla 29., edita anno 1622 (2), prohibitionem extendit et mandavit omnibus sub eisdem pœnis ut supra: *ut neque etiam in sermonibus et scripturis audeant asserere, quod beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei prorsus præjudicium inferre* etc. Tantum autem ab hoc Pontifice indultum fuit fratribus ordinis Prædicatorum, ut in privatis colloquiis seu conferentiis

(1) *ut refert illustriss. episcopus Torni in adnot. ad Estium l. 2. dist. 3. §. 2.* — (2) *quam refert Bonac. t. 3. disp. 3. de susp. quæst. 6. p. 4. n. 2.*

inter se dumtaxat, et non alias, possint de opinione affirmativa disserere, sine ulla censura.

5) Demum accessit constitutio *Alexandri VII. Sollicitudo omnium ecclesiarum*, edita anno 1661 (1), ubi summus Pontifex sic incipit loqui: *Vetus est Christi fidelium erga ejus beatissimam matrem Virginem Mariam pietas sentientium, ejus animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi, ejus filii humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu conceptionis festivitatem solemni ritu colentium et celebrantium. Crevitque eorum atque hujusmodi cultus post editas a felicis recordationis Sixto IV. prædecessore nostro in ejus commendatione apostolicas constitutiones, quas s. concilium Tridentinum innovat.* Deinde addit: *Aucta rursus et propagata fuit pietas hæc et cultus erga Deiparam..., ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus academiis ad hanc sententiam jam fere omnes catholici eam complectantur.* Deinde prosequitur ac decreta *Sixti IV.*, *Pauli V.* et *Gregorii XV.* edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. M. Virginis in sui creatione et in corpus confusione Spiritus sancti gratia donatam et a peccato originali præservatam fuisse, necnon et in favorem festi et cultus conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam exhibiti, innovat et sub pœnis et censuris in eisdem constitutionibus contentis observari mandat. Insuper omnes, qui præfatas constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem dictæ sententiæ et festi et cultus secundum illam exhibiti frustrentur; vel qui hanc eamdem sententiam seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte, quovis prætextu, scripto seu voce loqui, concionari, tractari, contra ea quidquam determinando aut asserendo, vel contra ea argumenta afferendo et insoluta relinquendo, aut alia quovis excogitabili modo disserendo ausi fuerint; præter pœnas in constitutione *Sixti IV.* contentas, concionandi et publice docendi facultate, nec non voce activa et passiva in quibusvis ele-

(1) *quam refert illustriss. Torni in adnot. ut supra l. c.*

ctionibus ipso facto Pontifex privat. Idem *Alexander VII.* libros, in quibus præfata sententia festumque seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra eam quomodocumque ut supra aliquid scribitur aut legitur, et disputationes contra eam continentur, post *Pauli V.* decreta edita aut in posterum quomodolibet edenda prohibet sub pœnis et censuris in indice librorum prohibitorum contentis, atque ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi mandavit.

245. — Hinc cum *Bonacina* (1) inferuntur sequentia: Et 1) incurrit pœnas inflictas, qui diceret, defendi posse sententiam affirmativam, scilicet quod conceptio B. V. fuerit maculata; vel qui rationes ad eam probandam adduceret, nisi eas produxerit ad illis respondendum; quia hoc non esset agere de sententia affirmativa, sed de pia sententia opposita, ut ejus veritas magis eluceret, ut fusius mox explicabimus.

246. Infertur 2): Pœnas etiam incurrit, qui asserit, festum conceptionis celebrari, quia B. Virgo sanctificata fuit in utero matris nam hoc pacto (recte ait *Bonacina*); satis aperte assereret per consequentiam necessariam, Deiparam fuisse in peccato conceptam et inde sanctificatam; sanctificatio enim necessario privationem sanctitatis supponit. Tanto magis, quod *Gregorius XV.* mandavit, in missa et officio non alio quam conceptionis vocabulo fideles uti debere. Insuper *Alexander VII.* in præcitata bulla expresse prohibuit frustrari aut interpretari vel in dubium revocari ex quoquo modo, directe vel indirecte quovis prætextu, favores per dictas bullas præstitos piæ sententiæ et festo secundum eam exhibito. Quinam autem esset favor præstitus sententiæ piæ, si conceptionis nomine posset accipi sanctificatio B. V. in alio instanti, quam in primo suæ conceptionis? Et quamvis alias impropriissime acciperetur conceptio pro sanctificatione (nam ita etiam s. Joannes Baptista et Jeremias possent dici sancte concepti), attamen hæc etiam impropria interpretatio vetita certe fuit ab *Alexandro VII.* in sua constitutione, ut dixi, sub pœnis ibi contentis.

247. — Infertur 3): Pariter incurrit, qui transcribit sententiam affirmativam, ut indicet, ipsum sectari eam;

(1) *t. 3. disp. 3. de suspens. q. 6. p. 4.*

esset hoc enim saltem de illa agere. Infertur 4): Transgrediens ipso facto incurrit suspensionem a divinis, et etiam, ut probabilius tenet *Bonacina* contra alios, incurrit inhabilitatem ad officia. Recte vero dicit non incurrere privationem dignitatum etc. nisi post sententiam judicis. Infertur 5): Pœnæ supradictæ non solum incurruntur a constitutis in sacris, ut præscribit *s. Pius V.*, sed etiam ab omnibus sive ecclesiasticis sive sæcularibus, ut extendit *Paulus V.* et *Gregorius XV.* Infertur 6): Ab his pœnis solus Pontifex absolvere potest; et episcopus, quando delictum est occultum.

248. — Quoad tuentes autem sententiam conceptionis immaculatæ, vetatur quidem eis sub eisdem pœnis, sententiam oppositam censurare et piam sententiam asserere tanquam dogma fidei: non autem prohibetur, eam rationibus et auctoritatibus probare; nam licet *s. Pius V.* in sua bulla prohibuerit in popularibus concionibus disputare de alterutra parte hujus controversiæ, rationibus vel DD. auctoritatibus propriam sententiam asserendo et contrariam refellendo: et insuper *Paulus V.* in alia bulla relata *n.* 3) mandaverit iis, qui piam sententiam tuentur, ut aliam opinionem in publicis actibus non impugnent, nec de ea aliquo modo agant seu tractent; quibus verbis videntur hi Pontifices prohibuisse adhuc confutare fundamenta sententiæ oppositæ; attamen dicendum, vel quod prædictæ bullæ quoad hoc non sint usu receptæ, vel quod laudati Pontifices intellexerint loqui tantum de iis, qui pro pia sententia contendunt, ac si de *dogmatibus* esset, juxta verba, quæ *s. Pius* subdit in dicta bulla; vel quod vetaverint tantum directe contrariam sententiam impugnare, non autem indirecte argumenta solvendo; vel tandem omnino dicendum, easdem bullas super hoc puncto moderatas fuisse ab ultima bulla *Alexandri VII.*, ubi aperte permittitur argumenta solvere contrariæ sententiæ.

249. — Quamvis igitur non liceat piam sententiam ut dogma fidei defendere, licitum tamen nobis procul dubio est, eam veram et communem asserere (1): imo eam

(1) *cum Salm. tr. 20. c. 9. n. 12., Abelly in sua med. theol. tr. de incar. c. 7. sect. 3.*

vocare moraliter certam et proxime definibilem de fide, ut tenent *Viva* (1) cum *Velasquez et Sifilino*; ut etiam sentiunt *Raynaudus* (2), *Auctor coronæ virgineæ* (3), *Platellius* (4), *Franc. Peyrinus* (5), *Edmundus Simonet* (6), *cardinalis Everardus* (7), *Lossada* (8). Idem enet *Duvallius* (9), ubi sic concludit: *Satius puto dicere, opinionem nostram esse in apice certitudinis theologicæ; nihilque ei pro fidei assensu præter expressam ecclesiæ definitionem deesse.*

250. — Tot igitur auctoritatibus munitus idem ego ut minimus assero, et breviter hic probabo. Protestor quidem, nullatenus me recedere velle a pontificiis decretis, quibus obediens subscribo, sed tantum in meæ reginæ obsequium hic rationes promovere sententiæ piæ ad mentem alicujus dilucidandam, qui contrarium sentiret. Etenim reapse mihi videtur pia sententia, licet usque adhuc non sit de fide declarata, esse hodie luce meridiana clarior.

251. — Omitto eam probare revelationibus, quas alii afferunt. Scriptum enim invenitur, beatam Virginem sic revelasse s. Birgittæ (10): *Omne peccatum Adæ segregatum fuit a me.* Et *c. 49.*: *Et veritas est, quod ego concepta fuerim sine peccato originali.* Et *c. 45.*: *Sed scito, quod conceptio mea non omnibus nota fuerit; sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de conceptione mea, et quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore opportuno.* Aliam affert *Caramuel* revelationem, factam a *d. Thoma* Aquinate venerabili Dominico a Jesu Maria, generali Carmelitarum excalceatorum, nempe revelatum eidem fuisse, quod futurum esset concilium, quo immaculata Deiparæ conceptio definiretur. Hanc autem revelationem asserunt *Suarez* et *Vasquez* (11), qui contra eos, qui prædictas revelationes tanquam somnia fœminarum super hoc puncto contemnunt, sic subdit: *Revelationes figmenta mulierc ularum appel-*

(1) *in quæst. prod. ad trutin. et in suo cursu theolog. schol. part. 8. p. 8. disp. 1. q. 2. n. 7.* — (2) *in sua pietate Lugduni n. 29.* — (3) *propos. 102.* — (4) *p. 2. n. 353.* — (5) *in sua theol.* (6) *in suis instit. theol. t. 1. p. 353.* — (7) *in suo exam. theol.* (8) *in sua disc. theolog. super defin. immacul. concept.* — (9) *1. 2. quæst. ult. de peccatis.* — (10) *t. 2. l. 6. c. 12.* — (11) *disp. 179. in 3. p. n. 78.*

lare revera temeritate non vacat. Et paulo ante dixerat: *Bonaventura cautius de revelationibus sui temporis locutus est, non audens reprehendere celebrantes hujusmodi festum propter factas revelationes. Petrus Canisius* ita quoque scripsit: *Neque tamen aspernemur, si quæ extent revelationes, quæ bonorum fidem merentur et conceptionis doctrinam confirmant, cum scriptum esse sciamus: Spiritum nolite extinguere. Thess. 3.*

252. — Cæterum piæ sententiæ certitudinem illius fautores non jam intendunt ex his revelationibus vindicare; firmiora adsunt argumenta ad eam probandam, ut exhinc breviter exponam. *Probatur 1.* ex scriptura, et præsertim ex illo *canticorum 4.: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Hic autem textus litteraliter intelligitur de B. Virgine, et ex eo *s. Ildephonsus* ac *s. Thomas*(1) probant immunitatem Deiparæ ab omni culpa actuali. Si ergo ex hoc textu probatur, B. Mariam nullam incurrisse actualem culpam, ex eodem etiam probatur, nullam incurrisse culpam originalem; alias non esset tota pulchra. Hinc dixit Idiota(2): *Tota pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, et macula peccati sive mortalis sive venialis sive originalis non est in te.* Item quid significat illud: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*, quod dixit angelus Mariæ? Quid illud: *Benedicta tu inter mulieres*, quod protulit Elizabeth? Quid illud: *Fecit mihi magna, qui potens est*, quod ipsa B. Virgo pronuntiavit: nisi quod ipsa sola benedicta inter mulieres propter culpam originalem maledictas, inter magna, quæ Deus ei contulit, hoc maximum privilegium, utique negatum angelis et Adamo, obtinuerit: et divina gratia plena, id est nunquam peccati labe inquinata, semper Deo amica et unita, sua gratia fuerit decorata. Hoc enim expressit *s. Augustinus serm. 11. in natal. Dominic.*, super enuntiatis verbis: *Ave gratia plena*, ubi sic s. Doctor dicit: *Quibus ostendit, ex integro* (nota hoc *ex integro*) *iram primæ sententiæ exclusam, et plenam benedictionis gratiam restitutam.* Opponunt adversarii illud *Apostoli ad Romanos 5.: Omnes in Adam peccaverunt.* Sed respondetur, argumentum probare nimis, quia probaret,

(1) *3. p. q. 27. art. 4.* — (2) *in contempl. B. V. c. 3.*

esse de fide, quod B. Virgo maculata fuisset, quod nemo dicit nec dicere potest. Itaque scriptura hæc accipienda est cum exceptione B. Mariæ; in scriptura enim etiam universaliter asseritur: *Non est homo, qui non peccet. Paralip. l. 2. In multis offendimus omnes. Jac. 3.* Et tamen de fide est, ut declaravit Tridentinum (1), B. Virginem nullam culpam actualem commisisse.

253. — *Probatur 2.* ex bullis Pontificum; *Sixtus* enim *IV.* in sua bulla *Cum præcelsa* ut supra, loquens de conceptione Mariæ, dicit: *De ipsius immaculatæ Virginis mira conceptione.* Cur mira, nisi immaculata fuisset? Idem Pontifex approbavit officium B. V. *Leonardi de Nogarolis*, ubi non semel nominatur *immaculata conceptio*, et asseritur, *Virginem per merita Christi prævisa ab omni macula præservatam.* Deinde *Paulus V.* expresse mandavit, ut fideles in missa et officio hujus festi celebrandi non alio quam conceptionis nomine uti debuissent; ex quo videtur certum, Pontificem præcepisse hoc ad omnem æquivocationem tollendam, ne sub nomine conceptionis sanctificatio Virginis in utero post primum instans, ut adversarii intelligebant, intelligi posset. Sed maxime urget bulla *Alexandri VII.* ut supra enuntiata, qua fuit declaratum, ab ecclesia celebrari festum B. V., non quidem sanctificatæ post primum instans, sed a labe originali in primo instanti suæ conceptionis secundum piam sententiam præservatæ. Et inde Pontifex prohibet omnem contrariam interpretationem directe vel indirecte quovis prætextu etiam definibilitatis.

254. — *Probatur 3.* ex conciliis. Prætermitto concilium Basileense, in quo decretum fuit, piam sententiam esse tenendam. Quamvis quoad hoc concilium aliqui non frustra notant, quod, etsi *Eugenius IV.* illud exauctoravit, tamen, ut ait *Raynaudus*, concilii decreta, quæ nec ipsum *Eugenium* nec auctoritatem pontificiam tangebant, rata esse voluerit. In VII. autem synodo generali *act. 5.* sic habetur: *Si quis non confitetur, sanctam semperque Virginem Mariam proprie ac vere Dei genitricem sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, anathema sit.* Quomodo B. Virgo posset dici sublimior omnibus creaturis

(1) *sess. 6. can. 23.*

adhuc angelicis, si aliquando fœdata fuisset a culpa originali, qua non solum inferior aliquando omnibus angelis, sed omnino gratiæ expers et Dei inimica extitisset?

255. — Accedit concilium Tridentinum, quod revera noluit piam sententiam de fide expresse declarare, dum in *sess. 5. can. 5.* tantum dixit: *Declarat tamen hæc ipsa s. synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed observandas esse constitutiones fel. record. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Sed hic obiter notandum illud, quod testatur *Hieronymus Ormachæa* (1), nempe ipsummet legisse Romæ totam sessionem Tridentini, ubi de hac quæstione tractatum fuit, et fere nullum, qui non esset de familia s. Dominici, contra immaculatæ conceptionis sententiam suffragium præstitisse. Addit *Lancicius* (2), concilium demum conclusisse, ut declararetur B. Virgo concepta fuisse sine peccato originali; sed ob instantissimas preces aliquorum theologorum sancti Dominici, ut supersederent a decreto usque ad aliud tempus, concilium supersedit.

256. — Quamvis tamen Tridentinum hoc decretum tunc omiserit emanare, verum in alio canone, quem emisit, certam nostram sententiam reddidit. In canone enim *23. sess. 6.* sic dixit: *Si quis dixerit, hominem posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet ecclesia, anathema sit.* Ex quo canone certe deducitur Deipara a culpa originali immunis fuisse; nam, ut bene arguit *P. Coninchius* in sua theologia et *Spinellus* in suo aureo libro de B. Virgine, si certum est juxta concilium et de fide, divinam Matrem nullam culpam actualem commisisse, certum consequenter est certitudine theologica, quod ipsa maculam originalem non contraxit. Ratio patet, quia, sicut impossibile est, ut, qui peccatum originale una cum suo fomite contraxit, expers sit omnis peccati actualis; ita, qui nullum peccatum actuale commisit, necessario impossibile est, quod maculam originalem contraxerit, ut docet *s. Augustinus* (3), ubi ideo Christum Do-

(1) *prolog. 3. in cant.* — (2) *tom. 1. opuscul. 11. c. 13. p. 49.* (3) *l. 5. contra Julian. c. 9.*

minum nullum peccatum actuale perpetrasse dixit, quia nullum peccatum contraxit originale.

257. — *Probatur 4.* ex ss. Patribus. Falsum quippe est dicere, omnes Patres esse pro opposita sententia: *Bellarminus* (1) enim probabiliter interpretatur Patres, qui contrarium sentire videntur, et plures refert piæ sententiæ faventes, inter quos bene numerari potest *s. Ambrosius*, qui scripsit (2): *Suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, ut incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati; s. Anselmus* (3): *Omnes mortui sunt in peccatis, sive originalibus sive voluntate additis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei; s. Petrus Damianus* (4): *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.*

258. — His et aliis accedit sensus communis fidelium; immaculatam enim conceptionem, testatur *Aegidius a præsentatione* (5), omnes tueri religiosos ordines, et ex eodem ordine s. Dominici, licet sint 92 scriptores pro contraria, tamen 137 pro pia sententia adsunt, ut quidam recentior enumerat. *Alexander VII.* in sua bulla ut supra declarat, hanc sententiam celebriores academias et catholicos fere omnes complecti. Quo argumento *Petavius* (6) maxime enititur ad illam probandam, et bene convincit, ut ait doctissimus episcopus *Torni* (7). Ex quo enim nisi ex communi fidelium sensu hauritur certitudo, quod Deipara, saltem ante nativitatem, fuerit sanctificata? Ex quo certi sumus, quod eadem B. Virgo et anima et corpore fuerit in cœlo assumpta? Si ergo de his nemo dubitat, quomodo dubitari potest de conceptione immaculata, quam fideles omnes tenent et defendunt?

259. — Opponunt adversarii auctoritatem *s. Bernardi* et *s. Thomæ*. Sed ex eisdem sanctis doctoribus magis nostra sententia valde firmatur; licet enim *s. Bernardus* in sua *epistola in canonicos Lugdunenses* invexisset, quod festum conceptionis Deiparæ celebrassent, monens, quod apostolicæ sedis auctoritatem expectare debuissent (et ibi addidit, bene colendum diem nativitatis et assumptionis

(1) *in controv. de amiss. gratiæ l. 4. c. 15. et 16.* — (2) *in psalm. 118. ad ultimum versum.* — (3) *in c. 12. ad Cor.* — (4) *serm. de assum.* — (5) *de præserv. virginis q. 6. art. 4.* (6) *t. 5. p. 2. l. 14. c. 2. n. 10.* — (7) *in adnot ad Estium l. c.*

B. Virginis, quia sic ab ecclesia jam fuit acceptum): attamen ex hoc eodem arguitur, ut bene notat *Bellarmnius* (1), quod, si sanctus *Bernardus* nunc videret festum conceptionis immaculatæ ex auctoritate Romanæ ecclesiæ celebrari, ipse quoque libentissime celebraret.

260. — Quod autem ad doctrinam *s. Thomæ*, revera adhuc incertum est, de qua sententia fuerit s. Doctor; quamvis enim in *summa* aliud sensisse videatur, tamen in pluribus locis, præsertim in epistola *ad Gal. c. 3. lect. 6.* clare conceptionem Virginis immaculatam fuisse censet, ubi scribit: *Mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ a peccato omnino immunis esset, ad minus originali vel veniali. Excipitur purissima et omni laude dignissima Virgo Maria.* Clarius in 1. *sententiarum dist. 44. art. 3. ad 3.* sic scripsit: *Dicendum, quod puritas intenditur per recessum a contrario: et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas Mariæ Virginis, quæ a peccato originali et actuali immunis fuit.* Quibus verbis (ait episcopus *Torni l. c.*) nimis aperte patet, divum *Thomam* hoc loco sensisse, B. Virginem ab originali culpa fuisse expertem, cum ea verba minime aliam contrariam interpretationem patiantur. *In summa* autem, etsi *d. Thomas* (2) dicat, quod in festo conceptionis celebretur festum sanctificationis potius quam conceptionis Deiparæ; quia tunc temporis dubium erat, de quo festum celebrabatur, an sanctificationis in utero, vel an conceptionis in primo instanti: sed hodie jam est declaratum ex bulla *Alexandri VII.*, ut diximus, celebrari festum non sanctificationis, sed conceptionis B. Virginis a peccato originali præservatæ: idem autem s. Doctor (3), ubi tractat, an B. Virgo fuerit in utero sanctificata, ex ratione, quia ecclesia jam ex tunc nativitatem celebrabat B. Mariæ, infert tenendum, ipsam ante nativitatem sanctificatam fuisse; et cur? quia, dicit: *Non celebratur festum in ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo B. Virgo fuit in utero sanctificata.* Hinc patet, quod, si *s. Thomas* nunc temporis scriberet, quo ab

(1) *l. 3. de cultu ss. c. 16.* — (2) *3. p. q. 27. art. 2. ad 3.* — (3) *in art. 1. prædictæ qu.*

ecclesia declaratum est, secundum piam sententiam celebrari festum B. Mariæ præservatæ a peccato originali in primo instanti suæ conceptionis sive infusionis animæ in corpus, certe aliter sentiret ac scriberet, ut ait *Suarez*(1) his verbis: *Si præsentem ecclesiæ faciem d. Thomas vidisset, aliter de immaculata Virginis conceptione docturus esset.* Idem dicit *Petavius* de *d. Thoma.* Idem *Gabriel*(2), qui scribit: *Non esse culpandos s. Bernardum, nec s. Thomam, s. Bonaventuram, et cæteros DD. oppositum olim opinantes; quia eorum tempore nulla determinatio apostolicæ sedis facta fuit: nec festivitas illa generaliter tunc fuit per orbem celebrata.* Idem dicunt plures etiam Dominicani, et signanter *Joannes de Fenario*, doctor Parisiensis et magister generalis ordinis Prædicatorum, ut refert *Catharinus.* Idem dicit *Joannes a s. Thoma*(3), citans alios Thomistas.

Accedit *s. Augustinus*, qui disputans de quadam alia doctrina contra *Cresconium*(4) eum monet, ecclesiam consulere. Sed nunc non est opus, super nostra sententia ecclesiam consulere, cum jam ecclesia mandaverit, festum conceptionis immaculatæ juxta piam sententiam celebrari. Et ex hoc maximo argumento, in ecclesiæ auctoritate fundato, fautores piæ sententiæ recte asserunt, nostram sententiam esse proxime de fide definibilem; de ecclesiæ enim auctoritate loquens *s. Thomas*(5) sic docet: *Maximam habet auctoritatem ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda... Unde magis standum est auctoritati ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini etc.* Scribit etiam *Valentia*(6), loquens de auctoritate Pontificis: *Circa quæ ad pietatem religionemque spectant, est infallibilis ejus auctoritas.* Addit *Euseb. Nieremberg*(7), quod decreta morum, approbatio sanctitatis etc., necnon institutiones festorum, quæ considerantur ab infallibili capite ordinatæ, ab omni errore excipiuntur. Deinde idem *Eusebius*(8) refert votum a cardinale *Bellarmino* prolatum circa B. Virginis conceptionem jussu *Pauli V.* coram S. C.

(1) *in comm. a. 2.* — (2) *in 3. dist. q. 1.* — (3) *t. 1. p. 1. q. 2. de approb. doctrina s. Thomæ.* — (4) *l. 1. c. 23.* — (5) *2. 2. q. 10. a. 12.* — (6) *t. 3. d. 1. q. 1. p. 7. §. 41.* — (7) *in theoria comp. 2. p. §. 1.* — (8) *in opere Parthen. de perpetuo object. festi c. 31.*

inquisitionis generalis Romanæ, quo *Bellarminus* ita sensit: *Si forte non placet tunc ulla formalis definitio, saltem deberet fieri præceptum omnibus ecclesiis, ut recitent officium de conceptione, quomodo recitat ecclesia; sic enim sine definitione haberet intentum.*

261. — Hinc non satis pie nec probabiliter quidam recentior scripsit, possibile fore, quod ecclesia aliquando definiat, conceptionem B. Virginis fuisse maculatam; dum, ut bene advertit *Vasquez*, minime censendum, quod ecclesia unquam tanquam fidei dogma definiat, B. Virginem in peccato originali conceptam esse, eo quod auctoritate sua festum conceptionis in tota ecclesia jam præceperit celebrari. Et idem sine dubitatione asseruit *Thyrsus Gonzalez* in suo opusculo, quo tuetur proximam definibilitatem immaculatæ conceptionis. Ideo opportune notanda sunt verba *Blosii*(1), ubi sic ait: *Mirum sane est, adhuc nostro ævo inveniri, qui puritatem conceptionis beatissimæ Virginis vocent in dubium, et suam opinionem obstinate tueantur, citantes sententias ss. Patrum, qui, si nunc viverent, aliud procul dubio sentirent. Certe Romana ecclesia hoc ipso, quod festum conceptionis celebrandum assumpsit, satis affirmavit, eamdem conceptionem fuisse omnis contagionis expertem: profana siquidem festa non celebrat ecclesia.* Et summus Pontifex *Benedictus XIV.* in suo doctissimo opere *de canonizatione sanctorum*(2) dicit, nostram sententiam hodie esse moraliter certam, et solummodo deesse definitionem ecclesiæ, ut fideles teneantur credere fide divina conceptionem Virginis immaculatam.

262. — Nec valet dicere, quod alias Maria, si maculam originalem non contraxisset, non possit dici a Christo redempta; nam communiter respondetur, quod ipsa, cum fuerit a culpa præservata, vere et modo nobiliori redempta fuerit; docet enim *d. Augustinus*(3), quod mittendus in carcerem etiam dicatur a carcere liberatus ab illo, qui eum liberat, ne in carcerem perducatur. Hæc autem nobilior Virginis redemptio maxime Virginem decuit, ut nunquam dici posset mater Dei Deo inimica extitisse, et regina angelorum subdita diabolo aliquando

(1) *c. 5. f. 623.* — (2) *l. 1. c. 42.* — (3) *in ps. 85. verbo confitebor.*

fuisse. Imo dicit *Arnoldus Carnot* (1): *Non solum de decentia, sed etiam de justitia fuit, ut illud vas electionis communibus non laxaretur injuriis.*

Ex omnibus his deducitur, piam sententiam præservationis B. Virginis hodie tenendam ut certam, et oppositam non esse amplius probabilem. Quod sic evidenter probatur: Certum est 1), de fide esse, quod ecclesia non possit errare in materia morum. Certum est 2), cultum sanctorum, prout est celebratio festi præservationis Deiparæ, pertinere ad materiam morum; ad mores enim utique pertinet præstare B. V. Mariæ cultum debitum, et indebitum denegare. Si ergo ecclesia præcipit celebrari festum præservationis Dei matris, et in hoc non potest errare, vera et certa debet esse præservationis sententia. Ex quo bene infert quidam doctus auctor recentior in libro nuperrime Neapoli edito anno decurso 1753, cui titulus: *Deipara ejusque cultores vindicati etc.*, quod contraria sententia post decretum *Alexandri VII.* prout antiquata non est amplius nec practice nec speculative probabilis.

Imo, licet nostra sententia ab ecclesia nondum sit definita, bene tamen potest de fide teneri: nam bene possumus credere de fide sententias illas, quas probabile est de fide esse, nimirum canonizationem sanctorum, præsentem Pontificem esse verum Pontificem, esto hæ sententiæ non sint ab ecclesia declaratæ de fide (2). Dicit enim *d. Thomas* (3), quod credere possumus de fide non solum ea, quæ habemus per fidem infusam, sed etiam, quæ percipimus per conclusiones theologicas: *Dicitur fides* (ait sanctus Doctor) *acquiri per scientiam theologiæ.* In nostro autem casu conclusio theologica bene eruitur ex mox supra prædictis; si enim de fide est, ecclesiam non posse errare in materia morum, et cultus præservationis Deiparæ certe ad mores pertinet, bene de fide tenere possumus, præservationem esse de fide.

263. — Hic ultimo operæ pretium ducimus breviter perpendendam quæstionem illam, an liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V.

(1) *de Christi nativ.* §. *Nihil.* — (2) *ut late probat Viva in suo cursu theolog. p. 4. de fide cum Suar., Lugo et communiori.* — (3) *in 3. sent. d. 3. art. 2.*

Mariæ a labe originali. Negat *Lamindus Pritanius in suo opere de moderatione ingeniorum**), et eum secuti sunt *Antonius Lampridius de superstitione vitanda*, *ac Ferdinandus Valdesius in suis epistolis*. Ratio, quia nemo potest exponere vitam ad tuendam opinionem humanam, cui falsitas subesse potest; opinio autem defendens præservationem Deiparæ a culpa originali, quamvis pia, humana tamen est, cum ecclesia hanc sententiam nondum statuerit niti revelatione divina aut traditione. Affirmant vero valde probabiliter plures neoterici, et signanter auctor supra enuntiatus in citato libro *Deipara etc.* Distinguere enim oportet sententias pure humanas ab iis, quæ pertinent ad morum disciplinam, et suo modo ad fidem, prout est hæc, quæ spectat ad cultum sanctorum, et præsertim reginæ sanctorum, quæ præ omnibus sanctis veneranda est. Quod autem sententia præservationis spectet ad cultum beatæ Virginis, patet, ut vidimus supra, ex bulla *Alexandri VII.*, qui declaravit festum conceptionis Dei matris juxta piam sententiam celebrari debere. Præterea, dato quod hujusmodi sententia esset per se humana, tamen, cum referatur in Deum, qui vult, ut fideles sanctos suos, et præcipue Matrem honore prosequantur, non est pure humana, sed religiosa, cum ad Deum referatur: juxta doctrinam *d. Thomæ* (1), ubi docet, posse esse martyrii causam non solum defensionem eorum, quæ sunt de fide, sed etiam opera omnium virtutum, quæ sunt protestationes fidei. En ejus verba: *Omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum, sunt quædam protestationes fidei, per quam nobis innotescit, quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit, et nos pro eis remunerat; et secundum hoc possunt esse martyrii causa.* Hic deinde subdit ad 3.: *Quia tamen bonum humanum potest effici divinum, si referatur in Deum, ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrii causa, secundum quod in Deum refertur.* Cum autem nullum

(1) *2. 2. q. 124. a. 5.*

---

*) Constat, *Ludovicum Muratorium* esse auctorem operis hic allegati, quod nuper fautores Hermesii etiam germanice ediderunt. *Editor.*

sit dubium, esse actum religionis, cultum exhibere Virgini, celebrando juxta piam sententiam festum suæ conceptionis immaculatæ in primo instanti, prout exigit ecclesia: certum etiam est juxta *Angelici* doctrinam, hujusmodi cultum bene posse esse causam martyrii. Ergo, si licitum et meritorium est cuique vitam prodere, ne ab exhibitione hujus cultus desistat; tanto magis ei licitum et meritorium erit, mortem subire pro tuendo hujus cultus objecto, nempe pro B. Virginis a labe originali præservatione, ad quam ipse cultus refertur. Hinc summus Pontifex *Benedictus XIV.* in suo præfato opere *de canonizatione sanctorum*(1), postquam ostendit, ecclesiam esse propensam versus sententiam præservationis B. Virginis immaculatæ, dixitque neminem negare, eam esse magis piam et religiosam, sic ait(2): *Inter martyres ab ecclesia recensentur, qui occisi fuerunt a tyranno, vel quia sententiam magis religiosam exercebant, vel ne omitterent exercitium alicujus actus virtutis, a quo tamen poterant sine peccato cessare.* Et sic jam satisfactum est objectioni *Lamindi*, nimirum quod non liceat vitam profundere pro tuenda præservatione Deiparæ, eo quod talis sententia non sit de fide.

ARTICULUS IV.

Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris clericorum.

264. *Verba canonis.*
265. *Quid intelligatur I. per verba: Si quis. An impuberes; et a quo ipsi possint absolvi.*
266. *Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes etc.*
267. *Quomodo ratihabentes.*
268. *Quomodo non impedientes.*
269. *An, qui tenentur impedire tantum ex charitate.*
270. *Quid intelligatur II. per clericum.*
271. *Quid per monachum. An eremitæ.*
272 *Quid III. per verba: manus injecerit.*
273. *An requiratur, ut percussio sit cum peccato mortali et externe gravi.*
274. *Incurrit 1. clericum conspuens, vel aliter gravi inju-*

(1) *l. 1. c. 14.* — (2) *n. 13.*

ria afficiens; 2. violenter detinens etc.; 3. persequens eum, ut decidat; 4. apprehendens equum etc.; 5. hæc agens etiam clerico consentiente; 6. clericus seipsum percutiens (sed alii id negant); 7. judex laicus percutiens clericum, vel ecclesiasticus percutiens per laicum.

275. *Non incurrit 1. fur clam furans; 2. percutiens jocose vel casu. An pueri clerici se percutientes; et an defendentes se vel suos aut sua. 3. Si absit mortale; 4. percutiens clericum per ignorantiam aut inadvertentiam aut per iram subitaneam. Dub. 1. Quid, si quis percutit ignorans, alterum esse clericum, animo tamen comparatus, quod percuteret, etiamsi sciret. Dub. 2. An excuset ignorantia crassa. Dub. 3. Quid, si quis percutit Petrum clericum, credens Paulum clericum? 5. Excusatur etiam prælatus aut præceptor percutiens. An pater. 6. Percutiens clericum exercentem officium cauponis etc., vel turpiter agentem aut sollicitantem uxorem aut consanguineam in primo gradu. Quando excusetur puella percutiens clericum sollicitantem.*

276. *Quando episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione.*

277. *Quæ percussio dicatur levis, quæ gravis, et quæ enormis.*

278. *Quot modis percussio levis possit fieri gravis.*

279. *Quinam possint absolvere a percussione levi, et quinam a gravi.*

280. *Dub. 1., an in dubio percussio judicanda sit levis aut gravis. Dub. 2., an incurrat excommunicationem, qui venenum dat clerico.*

264. — „Resp. I. Ea sic habet: *Si quis suadente diabolo in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus episcoporum præsumat illum absolvere*" *(nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur et ejus mandata recipiat* (1).

265. — „Dicitur I.: *Si quis*, intellige cujuscumque sexus aut status, etiam impubes, dummodo rationis compos et doli capax (2)." *(Quamvis impuberes possint absolute absolvi ab episcopis, etsi post pubertatem absolutionem petant* (3); *et etiamsi percussio fuerit enormis* (4).

(1) *ita ex c. Si quis 17. q. 4.* — (2) *(ut habetur ex c. 1. Mulieres et c. Pueris de sent. excomm.)* — (3) *Salm. de cens. c. 2. p. 5. n. 67. ex dicto c. Pueris.* — (4) *ut dicunt Pal. d. 3. p. 23. §. 4. n. 6. et Bonac. t. 3. de cens. in part. d. 2. q. 3. p. 6. n. 18. cum Suarez, Molina, Fill., Sayro et Reg. ex c. ult. de sent. excomm.*

266. — „Extenditur autem ad efficaciter mandantes, „consulentes et consentientes.

Recte dicit *Busembaum: efficaciter;* quia, ut hi incurrant excommunicationem, requiritur, ut percussio de facto eveniat, atque ipsi per mandatum, consilium aut consensum graviter in illam influant; ita communiter (1). An autem incurratur censura in dubio, an mandatum vel consilium influxerit; vel si mandatum aut consilium fuerit revocatum ante executionem: vide de his dicta *n. 39.* et *40.* Notandum autem hic, quod, si quis diceret coram suis: *Cupio vindictam talis clerici*, bene incurret excommunicationem, si ex hoc dicto alii clericum inde percutiant (2). Intellige, si prævidet ex eo alios percussuros.

267. — „Extenditur etiam ad ratihabentes percussio- „nem suo nomine factam.

Certum est, quod ratihabitio sufficit ad incurrendam censuram, ut habetur ex *c. Cum quis de sent. excomm.* Sed ad hoc requiritur: 1) ut percussio sit facta nomine tuo, vel in tui gratiam; 2) ut ratihabitionem externe significes; 3) ut, quando evenerit percussio, fueris habilis ad mandatum vel consilium percussionis, saltem habitualiter; nam si fueris amens, non incurris; secus, si ebrius aut dormiens: ita communiter (3).

268. — „Item non impedientes, saltem si ex officio „aut justitia teneantur, ut reges, judices et cæteri su- „periores. Item patres, tutores, heri, pædagogi, parochi „etc., quibus aliorum cura demandata est (4).

269. — „Dixi: *saltem etc.;* quia, si ex charitate tan- „tum teneantur, etiam excommunicari docent *Suarez, Ca- „jet., Fill., Mol., Sayr. etc.* Verum id probabilius negat *Bo-*

(1) *Nav. c. 27. n. 51., Suar. d. 22. sect. 1. n. 55., Salm. de cens. c. 4. p. 2. n. 22. et Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 1. cum Sayro, Avila, Mol., Sylv., Fill. etc. ex c. Quantæ et c. Mulieres de sent. excomm.* — (2) *ita Croix l. 7. n. 303., Renzi t. 1. p. 266. quæst. 4. cum Diana et Avila, ac Salm. c. n. 22. in fine cum Coninch., Sylv. etc. argum. c. ult. de homic. n. 6.* (3) *Bonacina d. 2. q. 3. p. 6. §. 2. n. 8., Pal. d. 3. p. 23. §. 2. n. 14, Conc. t. 10. p. 467. n. 6., Croix l. 7. n. 306. et Salm. ib. n. 25. cum Suarez, Sayro etc.* — (4) *ita Laym. l. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n. 6., Bon. d. 2. q. 3. p. 4. n. 8. ex Molina et communi.*

„*nacina l. c.* (1)." (*Et ita verius tenent* (2). *Ratio, quia hi tantum percussioni censentur favere* (3), *qui ex justitia tenentur impedire; non autem, qui solum ex charitate, etsi ex odio non impediant, cum ad incurrendam censuram etiam actus exterior requiratur, juxta dicta n. 34.*)

270. — „Dicitur II.: *clericum;* quo nomine intelligi-„tur omnis prima saltem tonsura initiatus (etiamsi con-„jugatus, dummodo cum unica virgine), et deferat habi-„tum serviatque alicui ecclesiæ; item etiam excommu-„nicatus, suspensus, interdictus, degradatus verbaliter tan-„tum (4)." (*Non incurrit vero, qui percutit clericum bigamum ex reali bigamia; secus autem, si ex similitudinaria, nempe qui in sacris constitutus matrimonium contraxerit et consummaverit; neque incurrit percussor clerici, qui habitum deponens sæcularibus negotiis se ingesserit, nec post tertiam monitionem sui prælati resipuerit* (5).

271. — „Dicitur III.: *monachum;* intellige quemvis re-„ligiosum, etiam laicum, conversum, novitium utriusque „sexus; item tertiarios s. Dominici, s. Francisci, si ge-„stent habitum et vivant in communitate; item eremi-„tas subjectos alicui regulæ vel superiori.

Unde gaudent privilegio canonis omnes viventes in communi sub aliquo prælato ex expressa vel tacita Papæ auctoritate, quamvis in eorum communitate non fiat professio (6). Idem dicit *Fagnanus* (7) de mulieribus conviventibus in conservatoriis, quamvis religio non sit adhuc approbata, quia, cum religiose vivant, censentur personæ ecclesiasticæ. Et idem ait *Renzius* (8) de seminaristis et pueris collegiorum, ut sunt Neapoli pueri s. Mariæ Lauretanæ, s. Onuphrii etc.

(1) *ex Nav., Coninch., Reg., Henriq., Mol. etc.* — (2) *Nav. c. 27. n 78., Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. §. 2 n. 5., Laym. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 6. et Pal. d. 3. p. 23. §. 2. n. 13. cum Holzm. et Henr., ac Salm. de cens. c. 4. p. 2. n. 23. cum s Anton., Pal., Coninch., Bonac., Avila.* — (3) *ut loquitur c. Quantæ de sent. excomm.* — (4) *(ita communiter etiam Salm. ib. n. 21.)* — (5) *Salm. l. c. circa med. communiter; vide hoc et alia l. 6, 827.* (6) *ita Navar. c. 27. n. 70., Suarez d 21. sect. 1. n. 22. et Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. sect. 3 n. 16. cum Coninch, Molina, Fill., Regin., Avila, Graff. etc.* — (7) *in c. Nullus de foro comp. n. 59.* — (8 *p. 534. q. 11.*

Eodem privilegio gaudent eremitæ, qui ex voto aut pacto addicuntur alicui loco sacro cum subjectione ad episcopum (1). Idem dicit *Palaus* (2) de eremitis, qui sub aliqua regula et obedientia vivunt, edito obedientiæ aut paupertatis voto. Communiter vero docent præfati AA., minime gaudere eremitas vagos, qui habitum singularem gestant, licet inserviant alicui ecclesiæ etiam ex commissione episcopi, ut *Fagnanus* (3) ex decisione rotæ Romanæ.

272. — „Dicitur IV.: *manus injecerit:* per quod in„telligitur quævis contumeliosa actio exterior mortalis „circa clerici personam vel res ei adhærentes, sive fiat „manu, sive baculo, gladio etc. (4).

273. — Ad incurrendam igitur hanc excommunicationem requiritur, ut percussio sit mortaliter peccaminosa, et etiam externe gravis (5). Quare non incurrit, qui tantum signum facit percussionis et non percutit (6). Sed hic recte notant (7), quod, semper ac percussio existimetur graviter injuriosa, ratione reverentiæ clerico debitæ, sufficiet ad censuram quævis percussio levis, etiamsi levissimus tactus physicus intercedat. Advertendum cum communi DD. (8), quod hic canon, prout in favorem clericorum emanatus, non stricte, sed latissime intelligendus sit.

Ex his resolves:

274. — „1. Hanc excommunicationem incurrit: 1) Qui „talem conspuit, conspergit aqua, pulvere, conspurcat „luto, evellit crinem, lacerat vestem, eripit aliquid per „vim et injuriam de ejus corpore, v. gr. pileum, pallium „etc., ita ut actio sit graviter injuriosa (9); 2) qui conclu„dit aut violenter detinet carcere vel loco, unde sine

(1) *ut docent Suar. d. 22. sect. 1. n. 22., Fagnanus l. c., Cont. Tourn. tr. de cens. p. 2. c. 1. art. 4. s. 1. q. 3., Ronc. p. 102. q. 2. et Bonac. l. c.* — (2) *d. 3. p. 22. §. 1. n. 14.* — (3) *l. c. n. 59.* — (4) *Bonac. d. 2. q. 4. p. 1.* — (5) *ut docent Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. s. 1. §. 1. ac Cajet., Mol., Pignat. etc. ap. Croix l. 7. n. 301.* — (6) *ut Salm. de censur. c. 4. p. 2. n. 27., Conc. p. 467. n. 7., Cont. Tourn. l. c. q. 4. et alii passim.* — (7) *Pal. d. 5. p. 23. §. 2. n. 2., Suarez d. 72. sect. 2. n. 26., Croix l. c. cum Sperelli, et Bonac. d. 3. n. 2. cum Coninch., Fill. et Reg.* — (8) *ut notat Croix ib.* — (9) *Bon. l. c., Laym. c. 5. n. 5.*

„dedecore non potest exire (1); 3) qui persequitur, ut in „flumen, fossam incidat, equo decidat etc. (2);" *(An autem incurrat is, qui clericum insequens præter intentionem et prævisionem est causa, ut ille cadat? Negat Bonacina* (3) *cum Silv. et Renzi* (4), *et merito probabile putat Croix* (5), *quia tunc casus mere per accidens se habet. Sed non minus probabiliter affirmat idem Croix cum Sperelli. Hinc dicit cum eodem Sperelli, Fagnano etc.* (*et huic consentit ipse Bon. l. c.*) *non excusari ab excommunicatione explodentem sclopum in clericum, qui ob metum exanimis caderet, licet globus eum non tangeret; quia tunc explodens est causa per se talis læsionis.*) „4) qui manus violentas injicit in equum, cui is „insidet, occidendo, vulnerando, cædendo, sistendo per „frænum; quæ actio, licet sit levis respectu corporis, „non tamen respectu honoris (6); 5) qui aliquid supra„dictorum facit, etiam clerico consentiente, dummodo „sit injuriosum ordini clericali (7)" *(Clericus autem consentiens* (8) *etiam subest excommunicationi, sed hæc est tantum ferendæ sententiæ, ut bene advertunt* (9), *dum in d. textu dicitur: „Si quis clericus sponte se subjecerit, excommunicetur." Hoc tamen intelligendum, si talis percussio, non obstante consensu clerici, non desineret esse injuriosa; nam secus esset, si consensus auferret injuriam, puta si clericus petat cædi ab alio, ut luat sua peccata* (10)*;* „6) clericus, si seipsum ex ma„litia vel passione (secus, si ex devotione) percutiat in„juriose (11)" *(Ita cum Busemb. tenent Suarez* (12) *et Bonacina* (13). *Sed merito oppositum putant probabile Pal.* (14), *Diana* (15) *et Croix* (16), *quia revera canon videtur tantum*

(1) *ibid.* — (2) *ibid.* — (3) *d. 2. q. 3. p. 6. sect. 1. §. 1. n. 5.* (4) *t. 1. p. 577. q. 6.* — (5) *l. 7. n. 308.* — (6) *ibid. (Idque docent communiter Suar., Pal., Bonac. et alii c. n. 273., ac Salm. de cens. c. 4. p. 2. n. 26. et 27. cum Laym, Avila etc.)* — (7) *Laym l. c. (ita communiter Suar., Bonac., Coninch. et alii cum Salm. ib. n. 19. in fine ex c. Nemo causa 11. q. 5. et ex c. Contingit de sent. excomm.)* — (8) *ex eod. c. Contingit.* — (9) *Bonac. et Croix l. 7. n. 305.* — (10) *Salm. de cens. c. 4. p. 2 n. 20. in fine cum Coninch.* — (11) *Laym. l. c. ex Nav.* — (12) *d. 22. sect. 1. n. 59.* — (13) *d. 2. q. 3. p. 6. sect. 2. n 7. cum Nav., Coninch., Sayro, Avila etc.* — (14) *d. 3. p. 22. §. 2. n. 4.* — (15) *p. 9. tr. 4. r. 7.* — (16) *l. 7. n. 310. cum Toleto, Barb., Turriano, Pasqual, et Delbene.*

loqui de altero clericum lædente); „7) qui percutit cle„ricum etiam meritum, si fiat, vel per quem non debet, „ut si morte dignus puniatur a judice sæculari; vel modo „illicito, ut si a prælato puniatur per laicum (1).

275. — „2. Non incurrit 1) fur, qui clam abscindit „crumenam vel vestem tollit clerico; quia non est actio „violenta, sed fraudulenta;" *(secus, si violenter auferat* (2), *quia tunc actio, etsi non corpus clerici, lædit tamen honorem.)* „2) si percussio sit jocosa" *(quamvis sit gravis, et etiam cum aliqua ira irrogetur, modo non pertingat ad peccatum mortale, ut recte dicunt* (3) *ex c. 1. de sent. excomm., ubi dicitur:* „*Nec clerici* (excommunicantur), *si sunt pl.næ ætatis, et non ex odio* (intelligitur gravi) *vel invidia vel indignatione, sed levitate jocosa se ad invicem percutere contingat*") „vel „casualis, v. gr. si janitor vel apparitor turbam arcens „percutiat clericum; item si pueri, habentes primam ton„suram, se pugnis percutiant (4)." *(Imo etiam in minoribus constituti: et quamvis sanguis e naribus effundatur* (5), *quia regulariter percussio puerorum non reputatur graviter injuriosa; idque admittit Sotus* (6), *etiamsi percussio fuerit gravis; hoc tamen intelligendum, si hæc non fuerit intenta).* „Item si percussio fit ad defenden„dum se, vel vitam suam vel uxoris, parentum, filiorum, „vel res suas, cum moderamine tamen inculpatæ tute„læ (7). 3) Et denique, quandocumque percussio ob le„vitatem vel imperfectionem actus non esset mortalis, „illata laico (8): quod tamen *Suarez* universaliter non ad„mittit (9); 4) si fiat in tenebris, vel clericum non agno„scas, quod habitum non gestet; quia ignorantia excusat."

Sic etiam excusat ira subitanea, quæ efficiat, ut non

(1) *Bonac. l. c. ex Nav., Sayro, Suar., Fill., Coninch. etc.; vide Laym. l. 5.* — (2) *ut Laym. de cens. c. 5. n. 5. cum Caj., Coninch., Suar., Mol. et Salm. ib. n. 26. cum Pal., Avila etc. communiter.* — (3) *Pal. d. 3 p. 23. §. 3. n. 2., Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 3. et Salm. ib. n. 28. cum Avila et Tamb.* (4) *Bon. l. c. ex Mol., Fill., Coninch. etc.* — (5) *ut Salm. de cens. c. 4. p 2. n. 28., Pal. l. c. n. 2. cum Laym., Coninch. et Mol., ac Bonac. l. c. sect. 1. §. 1. n. 14. cum Fill. et Avila.* (6) *ap. Salm. l. c.* — (7) *Laym infra.* — (8) *ut docent Cajet., Avila et Sa.* — (9) *vide Bon l. c.*

plene advertatur, quod fit (1). Sed hic *dubitatur 1.*, an incurrat excommunicationem, qui percutit aliquem, ignorans esse clericum, sed animo comparatus, ut, si sciret, etiam percuteret. Affirmant *Covarrus*, *Ugolino etc.* (2); sed communius et probabilius negant (3), quia in ignorantia concomitante adest tantum voluntas interpretativa, quæ non est vera voluntas. Secus vero dicendum, si percutiens jam dubitaret, an ille esset clericus, ut bene docet *Bonacina* (4) *cum Avila*. Et idem tenent (5), si quis clericum percutiat ignorans, esse clericum, sed intendens eum percutere, sive laicus ille sit sive clericus. *Dubitatur 2.*, an ab incurrenda excommunicatione percussionis clerici excuset ignorantia crassa. Affirmant *Sylv.*, *Abbas*, *Felinus etc.* (6), quia, ut ajunt, illud *suadente diabolo* importat dolum, qui non reperitur in ignorantia crassa. Sed merito id reprobant *Croix* (7) *et Sanchez l. c. cum Covarr.*, *Tabiena et aliis*, quia to *suadente diabolo* tantum importat percussionem cum peccato gravi. *Dubitatur 3.*, an incurrat, qui percutit Petrum clericum, reputans Paulum clericum. De hoc vide dicta *l. 4, 628. v. qu. 1.*, ubi sententiam affirmativam tenuimus.

„5) Si prælatus, præceptor, pater subditum in mino-„ribus constitutum correctionis causa (licet ira accedat) „percutiat moderate, habita ratione culpæ (8). *(Et idem dicunt Salm.* (9) *de consanguineo, qui percutit clericum, cujus curam habet, ex c. Cum voluntate 54. §. Si qui de sent. excomm.)* „Imo prælatus et præceptor eccle-„siasticus potest etiam in majoribus constitutum casti-„gare." *(Intellige semper moderate; nam S. C. declaravit excommunicatum quemdam parochum, qui clericum suum discipulum correctionis causa in capite pluries per-*

(1) *ut communiter Suarez d. 22. s. 1. n. 50., Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. s. 4. n. 3., Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8., Pal. d. 3. p. 5. §. 3. n. 3. cum Coninchio et Salm. dict. n. 28.* — (2) *ap. Croix l. 7. n. 314.* — (3) *Sanch. dec. l. 2. c. 10. n. 16., Suar. d. 4. s. 8. n. 8., Bonac. de cens. in communi d. 1. q. 2. p. 1. n. 14. cum Vasq., Mol. et Fill., item Pal. et Nav. ap. Croix l. c.* — (4) *ib. n. 18.* — (5) *Suar. n. 10., Sanch. n. 14., Croix d. n. 314. ac Bonac. n. 21. cum Fill., Avila et aliis.* (6) *ap. Sanch. de matr. l. 9. d. 32. n. 41.* — (7) *l. 7. n. 314.* (8) *ita etiam Salm. de cens. c. 4. p. 2. n. 29. cum Bonac., Avila etc.* — (9) *ib. in fine.*

cusserat, et deinde pugnis et baculo verberavit, ut refert P. Zacharias (1), *qui ib. ob eamdem rationem non excusat ab excommunicatione prælatum, si religiosum cum excessu verberet, pede trudat aut similia faciat.)* „An „idem possit pater, controvertitur in utramque partem „probabiliter (2).

Quæritur, an pater possit verberibus clericum punire. Certum est posse, si clericus est in minoribus, ex dicto *c. Cum voluntate 54. §. Si qui vero de sent. excomm.*, ubi id conceditur omnibus illis, *qui aliquos de familia sua vel propinquos inferiorum graduum, ut cohibeantur a suis insolentiis, duxerint corrigendos.*

Dubium est, an possit, si clericus est in sacris constitutus.

Prima sententia negat (3), quia nullibi habetur, quod pater possit manus injicere adversus clericos in sacris. Hæc est probabilis: at *sententia affirmans* videtur probabilior (4). Et probatur ex *c. 1. de sent. excomm.*, ubi excusatur magister, *si scholarum clericum* (quamvis *sit plenæ ætatis*, ut ibi præmittitur; unde includitur etiam clericus constitutus in sacris) *intuitu disciplinæ vel correctionis percusserit.* Si ergo non solum causa disciplinæ, sed etiam correctionis potest magister clericum percutere, tanto magis poterit pater, cui principaliter et de jure naturali incumbit compescere insolentias filiorum.

„6) Si percutiatur realiter degradatus vel bigamus, vel „exercens publice officium cauponis vel macellarii vel „scurram, et ter monitus non cesset, vel inventus tur„piter agens cum uxore, matre, sorore vel filia, vel deni„que mulierem ipso facto sollicitans ad turpitudinem; quia „perdit privilegium (5).

Ita ex *c. Si vero 3. de sent. excomm.*, ubi excusatur a censura, qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel

(1) *adnot. ad Croix l. 7. n. 318.* — (2) *vide Laym. loco mox citando.* — (3) *et hanc tenent Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9., Pal. d. 3. p. 23. §. 3. n. 8. cum Host., Panorm., Ang., Mol. etc.* — (4) *et hanc tenent Suar. d. 22. s. 1. n. 49., Bonac. d. 2. q. 3. p. 6. s. 4. n. 4., Conc. t. 10. p. 468. n. 8., Cont. Tourn. tr. de cens. p. 2. c. 1. art. 4. s. 1. v. 3. excusatur, et Salm. de cens. c. 4. p. 2. n. 30. cum Valent., Bann., Coninch. et Avila.* — (5) *vide Laymann l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5., Fill. l. 15. c. 1.*

filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas; secus, si mulier illa non sit ita proxima in consanguinitate. Hinc (1) non excusant percussorem clerici inventi cum avia aut nepte. Putant vero (2), excusari maritum, si ex industria se abscondit expectans clericum id ignorantem, ut deprehensum in adulterio occidat; secus, si conventione facta cum uxore se abscondat, cum jura nunquam intendant fraudes patrocinari. Sed etiam in primo casu rectius *Laym. l. c. cum Navarro* contradicit *Bonacinæ*, quia tunc minime verificatur, quod vir inveniat clericum, dum eum expectat; hic enim ideo excusatur, quia, ut ait glossa, nequit compescere subitaneam iram, ad quam potius tunc se excitaret. Dicunt autem (3), bene excusari virum, si occidat clericum inventum cum uxore in loco suspecto, vel cum eo colloquentem post monitionem, quod se abstineat a tali collocutione. Notant item (4), tunc tantum excusari virum percutientem talem clericum, quando percussio fit in ipso facto vel continuo post adulterium: tunc enim solum acer ille doloris sensus meretur indulgentiam. Excusatur etiam mulier percutiens clericum, qui eam sollicitat, si non possit illum verbis avertere. Unde, si clericus tantum verbis tentat, verbis tantum hunc debet repellere, nisi ille sit adeo importunus, ut non valeat fœmina per sola verba ab eo liberari (5). Hoc tamen intelligendum, si ex tali sollicitatione constituatur mulier in aliquo morali periculo labendi, saltem in peccatum cogitationis.

276. — „*Resp. II.* Etsi hæc excommunicatio sit reservata Papæ, potest tamen episcopus ab ea absolvere his casibus: 1) Quando percussio, etsi sit mortalis, est tamen prudentum judicio levis comparata cum enormi (6) v. gr. si fiat palma, pugno aut lapide, non relinquente

(1) *Fill. tr. 15. c. 1. q. 6. n. 12., Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. et Ronc. d. 2. q. 3. p. 6. s. 4. n. 7. cum Mol., Coninch. etc. communiter.* — (2) *Nav. c. 27. n. 84. et Bon. l. c. n. 6. cum Mol., Coninch. et Avila.* — (3) *Suarez d. 22. s. 1. n. 37., Bonac. l. c. n. 8., Cont. Tourn. l. c. v. 2. excusatur, et Salm. de cens. c. 4. p. 2. n. 31. cum Pal., Laym., Coninch. etc.* — (4) *Cont Tourn. l. c., Conc. p. 469. et Croix l. 7. n. 307. cum Nav., Sylv., Ang. etc.* — (5) *ita Suar. d. 22. sect. 1. n. 23. et Salm. dict. n. 31. in fine cum Sylv., Avila, Sayro etc.* — (6) *(ita ex c. Pervenit de sent. excomm.)*

„vestigium, et secundum *Ant. et Diana* (1), nisi notabilem „injuriam et magnum scandalum pariat: qualem negat „esse, si quis sacerdotem pugno percutiat in faciem, li„cet guttæ sanguinis effluant (2). Enormis vero erit, si „membrum præscindatur, copiosus sanguis fundatur; vel „etiam ratione dignitatis personæ, ut si percutiatur epi„scopus vel abbas etiam alapa. 2) Si percussor sit im„pubes, pauper, æger, senex, mulier, cæcus, claudus, „servus, filiusfamilias; vel non sui juris, uti et regula„res ac moniales invicem verberantes; item si sint ho„mines delicati, et quotquot habent legitimum impedimen„tum, ut non possint ire ad Papam aut ejus legatum; „vel si dubium sit de excommunicatione (3). Denique, si „sit occulta (4). In quibus omnibus casibus pro foro con„scientiæ potest etiam facultas absolvendi impetrari gra„tis quidem ex pœnitentiaria Romana a majore pœniten„tiario, ut supra *lib. 1. in appendice.*

277. — Oportet igitur distinguere: Alia est percussio *enormis*, alia *mediocris* sive gravis, alia *levis*, quæ non jam dicitur levis, quia importat tantum peccatum veniale; ad incurrendam enim excommunicationem semper requiritur culpa gravis; sed dicitur levis respectu ad gravem et enormem. Hujusmodi distinctio communiter a DD. assignatur, et colligitur a constitutione in *extrav. Perlectis*, quæ in extensum refertur a *Navarro* (5), ibique ab aliis attribuitur *Innocentio IV.* et ab aliis *Pio II.*; sed *Navarrus* eam attribuit *Joanni XXII.**) Cæterum communiter AA. illam admittunt (6). In præfata autem *extrav.* sic legitur: *Respondemus, percussionem levem esse pugni,*

(1) *p. 9. t. 4. res. 19.* — (2) *(ita etiam Viva q. 5. a. 3. n. 8. cum Diana et glossa.)* — (3) *Fill. tr. 15. c. 6. n. 35 et seq.* — (4) *vide supra hic et Dianam p. 9. t. 4. r. 63.* — (5) *man. c. 27. n. 91.* — (6) *ut Cabass. theor. jur. l. 5. c. 2. n. 6. et Pal., Bon., Ronc. et infra citandi.*

---

*) At hic *s. Auctor* non bene observavit *Navarrum*: sic enim ille l.c. ait: *Extravagantia, quæ incipit Perlectis, adscribitur Papæ Joanni XII., et perperam, quoniam ante ejus tempus eam allegavit Hostiensis,... ubi tamen ait, respondisse sibi Innocentium IV., se non fecisse eam. Insulsius autem quidam eam tribuunt Pio II.*

Editor.

palmæ, manus, pedis, digiti aut baculi aut lapidis, quæ nullam maculam neque suggillationem carnium relinquit, neque abscindit membrum, sine extractione dentium, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. Nolumus tamen dicere, quod hujusmodi levis percussio, ut pugni aut unguis, fiat atrox ob multi sanguinis effusionem. Ad judicandum tamen, quæ læsio sit levis, mediocris aut enormis, volumus diligenter perpendi non solum factum, sed etiam qualitatem ejus et modum percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, personæ et aliis. Personæ, si est magister, judex, prælatus, pater, patronus aut dignitas, percussus injuste a subdito aut ab alio se viliori, quia ex hoc interdum censentur graves injuriæ, quæ ex se sunt leves aut mediocres. Et quia conditio negotii non patitur integram determinationem hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares, quæ sit levis et quæ enormis injuria, admonentes, ut potius declares, in dubio esse percussionem gravem, et ab ea non posse absolvere, quam declarando, levem esse, ne occasionem præbeas lædendi statum ecclesiasticum.

Hinc dicunt DD., esse percussionem *mediocrem* illam, qua extrahitur dens, vel capillorum copia evellitur, aut fit suggillatio carnis, qua sanguinis copia effunditur absque gravi læsione vel injuria (1): percussionem vero *enormem* dicunt (2) esse, si magna intervenit vulneratio, vel magna sanguinis effusio aliunde quam e naribus, vel magna injuria.

278. — Communiter autem advertunt (3), quod sæpe percussio levis possit evadere gravis vel enormis ratione circumstantiarum, nimirum: 1) *Ratione personæ læsæ*, prout si percutiatur episcopus, abbas, prælatus monasterii, aut judex, herus, aliusve in dignitate constitutus (4); 2) *ratione personæ lædentis*, ut si officialis laicus auctoritative percutiat clericum, vel plebejus ecclesiasticum nobilem (5); 3) *ratione personæ, coram qua fit pecussio,*

(1) *ita Bon. d. 2. p. 6. s. 5. n. 8. et Ronc. p. 104. q. 1. r. 3.* (2) *idem Bon. et Ronc. ac Pal. d. 3. p. 23. §. 4. n. 2., Cont. Tourn. de censur. p. 2. c. 1. art. 4. s. 1. v. itaque, et Conc. p. 468. n. 9.* — (3) *præfati AA. et alii.* — (4) *dicunt Pal., Bon., Conc. et Ronc. ll. cc.* — (5) *Suar. d. 22. sect. 1. n. 91., Ronc. l. c. et Bon. d. n. 8. cum Navarro, Mol., Fill. et Reg.*

nempe si fit coram prælato aut alia persona in dignitate constituta (1); 4) *ratione scandali*, nempe si monachus cum gravi scandalo clericum sæcularem percutiat; *Viva* (2), *Roncaglia l. c. et Bonacina ib.*, qui addit idem esse, si quis percutiat clericum in claustro coram regularibus; 5) *ratione loci*, nempe si percussio fit in ecclesia vel platea (3); 6) *ratione temporis*, ut si quis percutiat clericum sacris vestibus indutum, vel dum vacet publicis officiis in choro vel in actu processionis aut publicæ supplicationis (4); 7) *ratione injuriæ*, ut si quis clericum denudet, vel atramento aut stercore ejus vultum fœdet (5).

279. — His positis sciendum, quod a percussione levi, etiam publica, possint absolvere episcopi, ut docent communiter DD. (6). Et sic pariter eorum vicarii generales, quia hoc habent episcopi de jure ordinario (7). Utrum autem possint ab ea absolvere habentes jurisdictionem quasi episcopalem: vide dicta *n. 79*. A percussione vero enormi aut mediocri, si est publica, potest absolvere tantum Papa aut legatus a latere, qui gaudet auctoritate pontificia (8). Item possunt etiam legati missi ad aliquam provinciam (9). Si vero percussio fuerit occulta, possunt ab ea absolvere etiam episcopi (10); et a publica etiam mulieres (11). Et hoc, etiamsi percussio fuerit enormis (12). Et sic pariter possunt absolvere impuberes, etiamsi hi post pubertatem absolutionem petant (13). Item eos, qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis; non vero, si enormis; vide dicta *n. 88*. Item omnes impeditos adire Romam juxta dicta *c. n. 88*. Quos autem et quando prælati regulares possint absolvere subditos et alios ab hac excommunicatione: vide dicta *n. 107*. Bene autem advertit *Croix* (14),

(1) *Bon., Ronc. et Pal. cum Mol.* — (2) *de censur. q. 5. art. 3. n. 8.* — (3) *Cabassut. theor. jur. l. 5. c. 2. n. 6., Pal., Conc., Cont. Tourn. ib. et Ronc.* — (4) *Cabass., Pal., Cont. Tourn. et Ronc.* — (5) *ut Cabass. l. c.* — (6) *cum Bon. d. 2. q. 3. p. 7. sect. 5. n. 3., et patet ex c. Pervenit de sent. excomm.* — (7) *ut Sanch. de matr. l. 3. d. 7. n. 10. et Bonac. l. c. p. 6. s. 5. n. 4. cum Mol., Reg., Lezana etc.; vide dicta n. 224.* — (8) *ex c. Ad eminentiam de sent. excomm.* — (9) *ex c. penult. de offic. legati.* — (10) *ex c. Liceat 6. in sess. 24. Trid.* — (11) *ex c. Mulieres de sent. excomm.* — (12) *ut Viva q. 5. a. 5. n. 10. cum Suar., Mol. et Fill.* — (13) *Viva l. c. cum iisdem AA. ex c. Pueris fin. eod. tit.* — (14) *l. 7. n. 325.*

quod pro absolutione censuræ ob percussionem clerici etiam publicam potest recurri ad s. pœnitentiariam.

280. — *Dubitatur 1.*, an in dubio percussio judicanda sit levis aut gravis. *Bordonus* (1) dicit, censendam esse levem; sed omnino dicendum est oppositum (2), et patet ex cit. *extrav. Perlectis n. 227.* verbis illis: *Admonentes, ut potius declares in dubio, esse percussionem gravem et ab ea non posse absolvere.* Ibique datur ratio: *ne occasionem præbeas lædendi statum ecclesiasticum.*

Dubitatur 2., an incurrat hanc censuram, qui clerico venenum præbet. Adsunt quatuor sententiæ.

Prima sententia (3) absolute negat, nisi venenum per vim præbeatur ad potandum; nam alias, ut ajunt, non fit violentia personæ, sed naturæ; sed merito *Diana l. c.* hanc opinionem rejicit, cum sit contra communem; et *Renzius* (4) refert, anno 1640 eam fuisse expunctam ex summa *Rodriquez*, ob mandatum s. inquisitionis in suo expurgatorio.

Secunda sententia (5) dicit, non incurrere censuram nisi morte secuta; sed neque hæc opinio videtur satis probabilis.

Tertia sententia (6) dicit, hunc ab initio incurrere, quia venenum de se est aptum statim lædere.

Quarta sententia demum communior, quæ videtur mihi probabilior, dicit, non incurrere, nisi postquam venenum incœperit lædere. Ratio, quia ad incurrendam censuram canonis non requiritur mors, sed requiritur quidem effectus secutus, nempe violentia illata; antequam autem venenum lædat, non adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam inferendam (7).

(1) *ap. Vivam q. 5. a. 3. n. 8.* — (2) *cum Bon. d. 2. q. 3. p. 6. s. 5. n. 8., Viva et Ronc. l. c. ac Conc. p. 468. n. 9., qui testatur esse commune.* — (3) *quam tenent Avila et Rodriq. ap. Diana p. 9. tr. 4. r. 36.* — (4) *t. 1. p. 578. quæst. 9.* — (5) *quam tenent Fill. tr. 11. n. 126. et Suarez ac alii ap. Croix l. 7. n. 302.* — (6) *quam tenet Croix l. c. cum Beja et Sperelli.* — (7) *ita Bon. d. 2. q. 3. p. 6. s. 1. §. 1. n. 6., Viva q. 5. a. 4. n. 2. et Diana l. c., quibus adhæret etiam Renzius l. c.*

ARTICULUS V.

Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per bullam cœnæ.*)

281. *De excommunicatione in retinentes, legentes etc. libros hæreticorum.*
282. *Ad quam incurrendam requiritur I., ut auctor sit hæreticus. An legi possint libri infidelium vel Hebræorum.*
283. *II. Ut liber hæresim contineat vel de religione agat. Quid, si error abradatur, vel si auctor non sit damnatus ut hæreticus? Quid, si quis legat ad confutandum hæreticum?*
284. *III. Ut legatur materia notabilis.*
285. *IV. Ut scienter legatur etc.*
286. *Non incurritur 1), si legas librum referentem verba hæreticorum; 2) si legas scholia hæreticorum*
287. *An prohibeantur libri philosophici vel qui incidenter hæresim continent.*
288. *Quinam libri prohibeantur in indice.*
289. *Quot classes librorum prohibitorum index constituat.*
290. *Ad quem spectet libros prohibere.*
291. *An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros hæreticos; et an legere libros prohibitos ei, qui certus est, lectionem non esse sibi obfuturam.*
292. *An incurrat, qui legit proœmium, indicem etc. An, qui audit legere: et quid, si inducat ad legendum?*
293. *An, qui legit scripturam brevem vel manuscriptum.*
294. *An, qui legit duas lineas vel minus quam paginam.*
295. *An, qui retinet parvo tempore.*
296. *An excuset ignorantia crassa. Quid, si quis scit ex viro probo, librum esse prohibitum?*
297. *An incurrat excommunicationem, qui impedit, ne liber comburatur, aut laudat stylum etc.*
298. *An incurrat, qui deponit librum prohibitum apud alium.*
299. *An, qui eum comburit. A quo impetranda licentia legendi?*
300. *An ad incurrendam excommunicationem ob hæresim requiratur I., ut sit formalis.*
301. *Qu. 1., an incurrat errans ex ignorantia crassa vel affectata.*
302. *Qu. 2., an, qui dubitat circa res fidei.*
303. *Requiritur II., ut error externetur.*

---

*) Conferatur hic circa prohibitionem librorum dissertatio *s. Alphonsi* in 2. tomo pag. 175 posita una cum annotatione ibidem in fine adjecta.

Editor.

304. *Requiritur III., ut manifestatio sit moraliter mala. Requiritur IV. animus profitendi errorem.*
305. *Vide alia advertenda.*
306. *Incurrunt etiam credentes, fautores, receptatores et defensores.*
307. *Qu. 1., an, qui favent hæretico ob amicitiam etc.*
308. *Qu. 2., an, qui hæreticum recipit, ne capiatur, effectu non secuto.*
309. *Item incurrunt excommunicationem bullæ 1. surripientes bona naufragantium.*
310. *2. Domini imponentes tributa.*
311. *3. Quinam alii incurrant excommunicationem bullæ.*

281. — „**Resp.** Præcipua est in hæreticos, quæ extenditur non tantum ad fautores, receptatores et defensores hæreticorum ut sic, sed etiam in *scienter retinentes, legentes, imprimentes et defendentes libros hæreticorum de religione tractantes vel hæresim continentes, ex quavis causa publica vel occulta, quovis ingenio vel colore.* Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4 conditiones: 1) Ut auctor libri sit hæreticus; 2) ut liber hæresim expresse contineat vel de religione agat; 3) ut legatur materia notabilis et sufficiens ad mortale; 4) ut scienter legatur, imprimatur vel retineatur (1)."

282. — Ut igitur hæc excommunicatio incurratur, *Requiritur I.*, ut auctor sit hæreticus; quapropter eam non incurrunt legentes libros infidelium, etsi hæresim contineant, dum dicitur in bulla *libros hæreticorum* (2). Liber autem Thalmud et similes Hebræorum prohibentur per bullas *Pii IV.* et *Clementis VIII.* (3). Dicit autem *Holzmann* (4), etiam numerari inter libros in bulla vetitos librum, qui ex professo tractet de hæresi, quamvis lateat auctor, quia tunc auctor certe censetur hæreticus.

283. — *Requiritur II.*, ut liber de religione tractet vel hæresim contineat. Sufficit igitur, ut liber unum tantum errorem contineat contra fidem, vel si ex professo (non autem obiter) agat de religione, nempe de s. scriptura, vel de theologia scholastica, dogmatica aut morali, vel mysteriis fidei, de cultu Dei aut sanctorum, de ritibus ec-

(1) *Laym. l. 2. t. 1. c. 15. n. 1.* — (2) *ita Suar. d. 20. s. 2. n. 11. et 13. et Salm. de cens. c. 4. p. 5. n. 71. cum Sanch., Pal. etc.* — (3) *ap. Croix l. 7. n. 333.* — (4) *part. 2. n. 78. v. qui legunt.*

clesiæ, de canonibus, de rebus spiritualibus et similibus (1). Si vero error ille contra fidem sit abrasus a libro, *Croix* (2) *cum Pignatello* dicit probabiliter, excusari a censura, qui reliqua libri legit, quia tunc liber non continet amplius hæresim nec ullum periculum inducit. Contradicunt tamen *ib. Suarez*, *Bonac. et alii ac Sanchez* (3), quia particularis illa expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Sed mihi non displicet distinctio, quam tradit *Sporer* (4), nempe: Si liber tractet ex professo de religione, non obstante abrasione erroris, remanet prohibitus, quia in bulla omnino vetatur legere aut retinere libros hæreticorum tractantes de religione. Secus, si liber tractet de alia materia, puta de philosophia, aut de historia, exceptis tamen libris Centuriatorum Magdeburgensium et similibus, in quibus revera tractatur de religione, atque in iis intentum est evellere statum monasticum et denigrare ecclesiasticum. Dicit autem *Croix cum Suarez*, *Tol.*, *Pal.*, *Pignat. et* aliis communissime (contra *Dianam*, *Masc. et Caramuel*), legentem hujusmodi libros hæreticorum non effugere excommunicationem bullæ, etiamsi legat ad confutandum errorem et sine periculo perversionis, quia prohibitio facta est in odium hæreticorum, cum in bulla vetetur lectio ex *quavis causa vel colore*. Limitant tamen *Laymann et Dicast.* (5), si quis vir doctus legeret eos, sperans certo fore, ut aliquem hæreticum convertat. Hinc probabiliter dicunt (6), quod ex epikeja bene excusantur legentes librum hæreticum, si necessario indigeant tali lectione ad convincendum hæreticum ex suo proprio vel alterius hæretici libro, puta inveniendo contradictionem etc., modo periculum sit in mora, nec pateat recursus ad Romam vel alio. Qui vero legeret libros vel scripta ob hæresim vel ob hæresis suspicionem prohibita, licet probabiliter cum *Pignatello et Duardo* (7) non incurreret excommunicationem bullæ, nisi auctor sit damnatus ut hæreticus vel natus ex secta hæretica: tamen

(1) *ita Salm. de cens. c. 4. p. 5. n. 72., Suar. n. 16., Sanchez dec. l. 2. c. 10. n. 21., Laym. l. 2. tr. 1. c. 7. n. 3., item Dicastillus, Illsung., Tamb. etc. ap. Croix l. 7. n. 331.* — (2) *n. 330.* — (3) *l. 2. c. 10. n. 3.* — (4) *de 1. præc. dec. c. 3. sect. 4. n. 40.* — (5) *ap. eund. Croix n. 343.* — (6) *Holzm. n. 77. v. sed numquid, et Elbel conf. 4. n. 112. cum Sayro.* — (7) *ap. Croix n. 334.*

incurreret excommunicationem indicis, quæ vero non est reservata.

284. — *Requiritur III.*, ut lectio fiat in materia notabili; nam licet *Toletus et Ugolinus* (1) negent, dari in hoc parvitatem materiæ, quia, ut ajunt, in una sola linea potest quis errorem invenire; communiter tamen DD. admittunt materiæ parvitatem, quamvis discrepent in assignando, qualis sit. Alii enim (2) dicunt, esse unam paginam, et plus, si volumen sit ex majoribus; at hanc opinionem merito non admittunt *Salm.* (3), et idem sentit *Bonacina l. c.*, si pagina sit grandior. Alii (4) dicunt, esse tres vel quatuor lineas; alii (5) dicunt, esse decem lineas. Alii tandem (6) rectius distinguunt, in hoc attendendum esse finem prohibitionis. Si aperiendo librum hæreticum incidas in doctrinam, quæ directe est contra fidem, poteris excommunicationem incurrere, etiamsi legas paucas lineas, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus, si liber esset principaliter de materia indifferenti; tunc enim legendo etiam paginam excusaris a mortali, si nullum ibi legas errorem.

285. — *Requiritur IV.*, ut hujusmodi libri scienter legantur, imprimantur aut retineantur. Et eidem excommunicationi subjacent eos ementes, vendentes aut asportantes, ut dicunt *Salm.* (7) ex decretis Pontificum; necnon defendentes non solum verbo, sed etiam facto, nempe si impediant, quominus tales libri episcopo tradantur (8).

286. — „1. Non excommunicaris: 1) Si legas libros „catholicorum referentes verba hæreticorum, etiamsi animo „hæresim discendi legas (9). *(Est commune* (10*)*. 2) Si in „catholici scriptoris libro vel alio, hac bulla non con„tento, legas adjecta scholia vel notas auctoris hære-

(1) *ap. Bon. d. 7. q. 2. p. 4. n. 14.* — (2) *ut Sanchez l. 2. c. 10. n. 31. cum Sa, Manuel et Vivaldo.* — (3) *de cens. c. 4. p. 5. n. 74.* — (4) *ut Graff. et Reg. ap. eumdem Bonac.* — (5) *ut Suar. d. 20. s. 2. n. 20. et Pal. tr. 4. de fide d. 2. p. 10. §. 2. n. 6. cum Azor, Coninch. et Sayro ap. Bon.* — (6) *ut Holzm. part. 2. n. 77. v. dixi quarto, Sporer de præc. dec. c. 3. sect. 4. n. 44., Elbel conf. 4. n. 113. et Croix l. 7. n. 331. cum Marchant.* — (7) *de censur. c. 4. p. 4. n. 47.* — (8) *ut dicunt Pal., Tamb. et alii communiter cum Croix l. 7. n. 358.* — (9) *Laym. l. c. ex Nav., Sanch. etc.* — (10) *cum Azor, Suar., Bon. et Pignat. ap. Croix l. 7. n. 335.*

„tici: quod tamen *Suarez* (1) limitat, nisi scholia essent „tam copiosa, ut ex iis potius quam ex textu liber con„stare videretur (2)."

Quæritur, an legens scholia hæretici in libro catholico incurrat excommunicationem. Affirmant *Suarez et Krimer* (3), si adnotationes essent libro majores, quia talis liber potius est hæretici commentantis quam catholici. Imo *Croix* censet incurrere, etsi scholia mole sua non adæquarent librum, quia tales libri magis habentur propter adnotationes, quam propter textum catholicum. Negant vero *Tamb.* (4) *cum Sanchez ac Bonacina ap. Vivam* (5), qui ipsis adhærent, dicentes, summam *d. Thomæ* non appellari librum *Cajetani*, quamvis hujus adnotationes textum *d. Thomæ* superent. Addit tamen *Viva*, legentem hujusmodi librum saltem non excusari ab excommunicatione non reservata indicis, lata in legentes libros damnatos ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem, ut habetur ibi in *regula 10*. His tamen non obstantibus magis adhæreo primæ sententiæ, si scholia sint adeo uberiora, ut liber potius constet ex ipsis quam ex doctrina catholica (6).

287. — „2. Non prohibentur hæreticorum libri philo„sophici et alii hæresim non continentes (7); imo pro„babiliter nec ii, qui incidenter tantum continent hære„sim, non agentes ex professo de fide" *(verius dicendum de errore* (8)*)*; „*Sa et Groffius* (9) *contra Suarez et* „*Sanchez*, qui id confirmat pro Germania, ubi bulla cum „tanto rigore non est recepta (10). Legens tamen tales in„currit excommunicationem non reservatam indicis libro„rum prohibitorum, ubi is receptus est, quod non videtur „esse factum in Germania, saltem cum illo rigore, ut „habet *Laymann* (11).

288 — Hic notandum, quod *Clemens VIII.* in indice librorum prohibitorum, firmato auctoritate *Pii IV.*, veta-

(1) *t. 5. d. 21. s. 1.* — (2) *Laym. l. c. ex Nav., Sanch. etc.* (3) *ap. Croix l 7. n. 334.* — (4) *dec. l. 2. c. 1. §. 7. n. 9.* — (5) *q. 5. a. 1. n. 8. in fine.* — (6) *ut dicunt Pignatelli et alii ap. Croix l. c.* — (7) *Laym. l. c. n. 3.* — (8) *ut docent Sanchez dec. l. 2. c. 10. n. 25., Pal. d. 2. p. 10. n. 7., Bonacina d. 2. q. 5. p. 4. n. 19. et Salm. de censur. c. 4. p. 5. n. 72. in fine.* — (9) *ap. Laym. l. c.* — (10) *vide Rec. 2. 2. c. 15. q. 8.* (11) *l. c. n. 8.*

vit legere omnes libros hæreticorum, donec expurgentur, et hæresiarcharum, etiamsi hæresim non contineant nec tractent de religione, sub excommunicatione non reservata (1); item libros cujusvis auctoris non hæretici prohibitos ob suspicionem hæresis, ut in regula 10. indicis (2). Item *s. Pius V.* in constitutione *Cum sicut* prohibuit legere aut retinere libros cujusvis auctoris suspecti de hæresi, indigentes expurgatione, donec expurgentur, sub excommunicatione reservata Papæ. Ut autem agnoscatur, quinam libri expurgatione indigeant, dantur regulæ in *expurgatorio Romano* (3). Insuper *Sixtus V.* prohibuit sub excommunicatione reservata quemcumque librum de astrologia seu divinatione futurorum (4). Item in indice prohibentur omnes libri ex professo tractantes de obscœnis; *regula 2., 7. et 9.* Notat autem *Croix* (5), legentes libros obscœnos peccare quidem graviter, si materia sit gravis, sed non incurrere excommunicationem. Idem dicunt de legentibus libros magicos; sed melius ait *Viva* (6), eos incurrere excommunicationem non reservatam, quia tales libri in *regula 9.* prohibentur ob hæresis suspicionem.

289. — Sciendum, quod index tres classes librorum prohibitorum constituit. *Prima* classis continet omnes libros hæreticorum hæresim habentes vel de religione tractantes. *Secunda* classis continet libros catholicorum contra fidem vel bonos mores, qui (7) non prius censentur prohibiti, quam specialiter in indicem referantur: intellige præter libros in indice prohibitos per se, ut mox infra. *Tertia* classis continet libros editos sine nomine auctoris: qui non omnes, ut bene advertit *Lupus l. c.*, damnati sunt, sed tantum illi, qui pravam doctrinam tradunt; sic enim videmus practicari a viris probis et doctis; et ita colligitur ex bulla *Alexandri VII. Speculatores*, ubi de hac prohibitione Pontifex loquens dicit: *Contingit, ut plerique libri ignoti scriptoris, qui tertiæ classi assignantur, pejores multo sint quam in prima et secunda recensiti.* In indice autem prohibentur in *regula 2.* omnes libri hæresiarcharum, etsi hæresim non continent et de

(1) *vide Salm. ib. n. 73. et Croix l. 7. n. 360.* — (2) *Viva q. 5. art. 1. n. 8.* — (3) *ap. Salm. l. c.* — (4) *vide Salm. c. n. 73.* — (5) *n. 360. in fine cum Laym.* — (6) *q. 3. art. 1. n. 8.* (7) *ut ait Lupus p. 4. l. 25. d. 1. art. 1.*

religione non tractant; deinde omnes libri hæreticorum, donec ab episcopis examinentur et approbentur; item biblia vulgaria et libri controversias disserentes inter hæreticos vulgari sermone conscripti: item libri obscœni ex professo et libri magici. Hinc ibi excommunicantur, qui libros hæreticorum vel cujusvis auctoris scripta, ob falsi dogmatis suspicionem damnata, legerit vel habuerit.

290. — Prohibere libros per totum orbem spectat ad Pontificem, et pro ipso ad s. congregationem. Episcopi autem et inquisitores possunt libros prohibere in territorio proprio. Magister s. palatii etiam potest; sed, ut putat *Bordonus* (1), tantum pro Urbe et ejus districtu: nunquam enim visæ sunt illius prohibitiones publicari.

291. — Putat *Croix* (2), quod, cum datur licentia legendi libros hæreticos ad errores confutandos, graviter peccaret, qui legeret ex curiositate (licet excusaretur ab excommunicatione), quia tunc cessat finis licentiæ: sed hæc ratio non suadet, tum quia finis præcepti non cadit sub præcepto, ut diximus *de jejunio l. 4, 1022.*; tum quia superior ob duas causas dispensat: *primo* quia considerat, dispensato non imminere periculum perversionis; *secundo* quia sperat, lectionem esse illi vel aliis proficuam; unde, si cessat secunda causa, non cessat prima. An autem possit legere librum prohibitum sine licentia, qui certus est moraliter, lectionem sibi non obfuturam? Quidquid dicant alii, omnino est negandum (3).

292. — „3. Excommunicantur: 1) Qui in sufficiente „quantitate solum procœmium vel epistolam ad lectorem, „vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla est hæ„resis, legit (4). 2) Probabiliter etiam is, qui alterum „jussu suo legentem audit: quia legit per alium (5)." (*Probabilius dicunt* (6), *excusari ab excommunicatione, qui audit, modo non induxerit alium ad legendum. Imo* (7)

(1) *in man. conf. sect. 48. n. 5.* — (2) *l. 7. n. 346.* — (3) *cum Croix n. 375. in fine, et Pal., Tol., Suar., Sanch., Tamb. etc. juxta dicta l. 1, 199. in fine.* — (4) *ut habet Laym. l. c. et Bonac. (vide dicta n. 284.)* — (5) *Laym l. c., Azor etc. contra Sanch.* — (6) *Sporer de fide sect. 4. n. 43. et Croix l. 7. n. 342. cum Azor, Sylv., Pignatello et Sayro.* — (7) *Sanchez dec. l. 2. c. 10. n. 48., Pal. d. 2. p. 10. §. 2. n. 4. cum Coninch., Ugol., ac Bon. d. 1. q. 2. p. 4. n. 11. cum Sousa, Nav. et Reg., item Fill., Tamb. etc. ap. Croix l. c.*

dicunt, excusari, quamvis induxerit; idque merito putant probabile Croix ib. et Viva (1). *Atque* (2) *excusant etiam a peccato, si audiens ex auditione nullum periculum incurrat perversionis).*

293. — „4. Probabiliter non excommunicatur, qui hæ„reticam concionem aut epistolam seorsim editam legit, „quia non est liber (3).

Sic etiam sentiunt *Sanchez* (4), *Holzm.* (5) *cum Bonac., Castrop. et Lugo* (6). Sed oppositum tenent *Suarez et Farinacius* (7). Sed vide, quæ dicentur hic in fine hujus numeri. An autem incurrant censuram legentes manuscripta hæreticorum? Affirmant *Holzmann l. c. et Croix* (8) *cum Suar., Sanch., Dicast., Stoz, Pignat., Stephan.* et alii communiter, ut asserit: sed negant *Viva* (9), *Sporer* (10) *ac Azor, Barbosa, Tamb. ap. Croix*, qui putat probabile, quia revera manuscripta non sunt libri, qui facilius, cum sunt impressi, habentur et libentius leguntur. Idem sentit *Sylvius apud Croix*, dicens: *Libri manuscripti communicari possunt ad legendum; nam tantum prohib ntur, ne communicentur ad imprimendum.* Refertque *Sylvius*, sic etiam declaratum fuisse a S. C. Sed his non obstantibus magis adhæreo primæ sententiæ, tum quia est communior, tum quia manuscripta etiam veniunt nomine libri: prout quidem libri dicebantur, antequam typum inventum fuisset, et etiam nunc parochorum registra baptismorum, matrimoniorum etc. in rituali et communiter appellantur libri. De contraria autem declaratione S.C., ait *Croix*, non satis constare. Cæterum advertunt *Salm.* (11), quod in expurgatorio Romano, edito ex decreto Tridentini, prohibetur sub excommunicatione (non tamen reservata) legere omnes scripturas ab hæreticis compositas, etiam breves, et quamvis hæresim non contineant, donec examinentur et approbentur.

294. — „5. Non suffieit una alterave linea. Imo se„cundum *Sanchez, Rodriq. et Sa* nec integra pagina, etiam „magni voluminis; quod tamen *Bonacina et Laym. l. c.* non

(1) *q. 5. art. 1. n. 9.* — (2) *Sporer l. c. et Sousa ac Stephan. ap. Croix.* — (3) *Laym. l. c. n. 5. ex Sanch.* — (4) *dec. l. 2. c. 10. n. 30.* — (5) *part. 2. tr. 1. n. 77. v. dicitur 6.* — (6) *ap. Croix l. 7. n. 337.* — (7) *ap. Salm. de censur. c. 4. p. 5. n. 72.* — (8) *l. 7. n. 339.* — (9) *ad prop. 45. Alex. VII. n. 10.* (10) *de fide sect. 4. n. 39.* — (11) *ib. n. 73. in fine.*

„concedunt; licet hic fateatur, confessario id posse ad „hoc servire, ut non continuo damnet peccati mortalis „et excommunicationis eum, qui bono fine vel etiam ex „curiositate unam paginam legit(1)."

295. — „6. Non incurritur, si retineantur libri parvo „tempore, v. gr. uno alterove die; quia, sicut materiæ, „ita et temporis parvitas excusat(2).

Hoc satis probabile est(3). Idque admittunt(4), etiamsi quis retineat librum illo modico tempore animo semper retinendi, quia, tametsi peccet, non incurrit tamen excommunicationem; nam qui retinet per modicum tempus, non dicitur notabiliter retinere. Imo(5) excusant eum, qui retinet librum longiori tempore, expectans tempus opportunum ad tradendum superiori vel alii licentiam habenti.

296. — „7. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel „nescias, esse hæreticum, vel tractare de religione(6).

Communiter docent DD., non incurrere censuram eum, qui legit aut retinet librum cum ignorantia crassa facti vel juris, quia in bulla damnantur *scienter* legentes etc.(7); et hoc est juxta dicta *n. 47.* An autem excuset ignorantia affectata: vide *n. 48.* et *l. 6, 1124.* Nullo modo tamen excusatur, qui legit aut retinet, sciens ex fama publica vel saltem a viro fide digno, librum esse prohibitum(8).

297. — „8. Non excusatur is, qui librum vel in aliena „domo, vel alieno nomine, vel animo non legendi habet; „item nec is, qui affirmat, non esse pravum, non esse „exurendum; item qui impedit, ne comburatur: qui dis„putationis causa defendit. Ita *Bonacina*, qui tamen ex„cusat eum, qui laudat stylum vel ingenium auctoris,

(1) *(vide dicta supra n. 284. v. requir. 3.)* — (2) *Laymann n. 7. ex Graff., Sayro, Sanch. etc.* — (3) *ut dicunt etiam Bon. d. 6. q. 2. p. 3. n. 15., Holzm. l. c. n. 77. v. dicitur 10. et Pal. tr. 4. d. 2. p. 10. n. 10.* — (4) *item Pal. et Viva q. 5. art. 1. n. 9 contra Suarez.* — (5) *Sanchez dec. l. 2. c. 10. n. 65., Laym. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 7. cum Sayro ac Graff, et Pignatell. ac Stoz ap. Croix l. 7. n. 351.* — (6) *Laym. n. 3.; vide Sanch. l. 2. mor. c. 10. n. 3. et l. 9. de matr. d. 32* — (7) *ita præter Busemb., Laym. et Sanch. dicunt Bon. d. 1. q. 2. p. 4. n. 8., Holzmann n. 77. dicitur 2. et alii passim.* — (8) *ut docent Lugo, Sanch., Bon. et alii communiter cum Croix l. 7. n. 345.*

„vel bonam doctrinam, quæ in eo est, sed non quate-„nus in eo est; v. gr. si dicat: hic liber esset bonus, „si non haberet hæresim; quia talis non defendit (1).

298. — Ex communi sententia docent (2), non eum effugere excommunicationem, qui deponeret librum hæreticum apud alium, non abdicando a se dominium; quia is, qui retinet dominium, adhuc dicitur librum retinere, cum possit repetere, quando vult. Idem dicendum (3) de omnibus aliis libris prohibitis, de quibus adest propos. 45. damnata ab *Alexandro VII.*, ubi: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.* Et idem dicendum de eo, qui retinet librum alterius in deposito, commodato aut pignore (4). Dicit tamen *Croix* (5) *cum Verjuys*, bene satisfacere, qui tradit librum in locum sequestratum, qui solet assignari in singulis monasteriis. Cæterum, si quis deponeret librum apud habentem licentiam cum pacto expresso non repetendi, ita ut alter non teneatur reddere nisi post expurgationem vel post licentiam obtentam, hunc non damnarem, quia in hoc videtur adæquate cessare periculum legendi; et tanto minus damnarem, si donaret librum habenti licentiam sub conditione, ut reddat, si deinde ipse licentiam obtineat.

299. — Qui autem habet librum hæreticum, tenetur tradere inquisitoribus ex præcepto *Julii III.* et *Pii IV.* Hinc dicunt (6), incurrere censuram, qui illum comburit in loco, ubi viget inquisitio. Sed excusant *Salm.* (7) *et Croix* (8) *cum Sanchez, Filliuc et Pignat.*, quia, cum liber comburitur, nequit dici, quod retineatur. Attamen *Julius III.* in sua bulla *Cum meditatio* expresse prohibuit in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, qui habent libros vetitos cujuslibet speciei, ne eos lacerent aut comburant, præcipiens, eosdem deferri ad inquisitorem aut episcopum.

(1) *vide Laym. l. c., Bon. d. 2. q. 5. p. 4.* — (2) *Suar. d. 20. s. 2. n. 21., Sanch. l. c. n. 52., Pal. t. 1. de fide d. 2. p. 10. §. 2. n. 7., Ronc. de cens. p. 90. q. 2. r. 4. et Salm. de cens. c. 4. p. 5. n. 74., Croix l. 7. n. 347. et Bon. d. 1. q. 2. p. 4. n. 5. cum Ugol, Graff et Sousa.* — (3) *cum Croix l. c. ex Pignat. et communi contra Duardum.* — (4) *ut Salm. l. c. et Croix d. n. 347. cum Pignat et Duardo.* — (5) *n. 352.* — (6) *Suarez, Barbosa, Dicast. etc. ap. Croix l. 7. n. 355.* — (7) *dict. n. 74.* — (8) *n. 355.*

Facultatem legendi libros prohibitos tam in bulla quam in indice solus Papa vel S. C. indicis aut concilii concedere potest. Tantum in casu magnæ necessitatis, ait *Vira* (1), posse eam concedere etiam episcopum. Hic autem quæritur, an ipsi episcopi possint legere libros prohibitos. Videbatur affirmandum; omnes enim episcopi, ubi formale tribunal s. officii non adest, sunt inquisitores nati, qui valent via ordinaria procedere contra delinquentes in materia fidei. Sed omnino negandum (2) ex bullis *Julii III. Cum meditatio*, et *Pauli IV. Quia in futurorum*, ac *Pii IV. Cum pro munere*, relatis ab auctoribus præfatis, in quibus tam episcopis quam inquisitoribus interdicitur librorum vetitorum lectio, *præterquam* (excipitur) *senioribus et commissariis* hæreticæ pravitatis. Intelliguntur to *commissariis* illi tantum inquisitores, quibus commissa est aliqua particularis causa, quique legere possunt tantum libros ad illam materiam concernentes, et tantum pro tempore, quo commissio viget, ut scribit et explicat *Bonacina l. c.*

300. — Principaliter autem excommunicationem papalem incurrunt hæretici eorumque fautores, receptatores etc., ut habetur ex prima clausula bullæ cœnæ. Prius igitur agemus de hæreticis, postea de fautoribus. Ut hæreticus hanc excommunicationem incurrat,

Requiritur 1., ut hæresis sit formalis, scilicet cum errore intellectus et pertinacia, juxta dicta apud *Busembaum l. 3, 19.* Ille autem pertinax dicitur, qui adhæret suæ opinioni, non obstante, quod jam noverit, eam adversari doctrinæ ecclesiæ Romanæ (3).

301. — Sed hic *quæritur 1.*, an incurrat hanc excommunicationem, qui errat ex ignorantia culpabili. Si ignorantia sit tantum supina, communiter excusant DD (4). Ratio, quia hanc censuram non incurrit, nisi qui est hæreticus formalis; sed ad hæresim formalem constat re-

(1) *q. 5 a. 1. n. 10.* — (2) *cum Sylvio t 3 q 2. a. 3 concl. 2. in fine, Barb. de potest. ep. p. 3. alleg. 90 n 8 et Bonac. t. 3. disp. 1. s 2. p. 4. n. 10.* — (3) *ita s. Thom. 1 p. q. 32. a. 4. cum communi, et Salm. de cens. c. 4. p. 4 n. 49.* (4) *ut Tol., Sanch., Bonac., Azor, Sayr. et plures cum Salm ib. n. 50.*

quiri veram scientiam erroris; alias deficit pertinacia, ut supra, requisita. Dubium est, an incurrat errans cum ignorantia affectata. Affirmant *Canus*, *Val.*, *Nav.* (1): sed probabilius negant (2). Ratio, quia ecclesiæ non contradicit, qui nescit, se ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat; et ideo non potest dici pertinax contra ecclesiæ doctrinam.

302. — *Quæritur 2.*, an incurrat excommunicationem tanquam hæreticus formalis, qui circa res fidei dubitat. Quidquid alii dicant, quorum plures nimis obscure loquuntur, dicendum cum sententia communi, quod, si quis positive dubitat de aliquo dogmate fidei ab ecclesia jam definito, judicans, illud esse incertum propter rationes oppositas, procul dubio hic est hæreticus et excommunicationem incurrit, ut habetur ex *c. 1. de hæreticis* ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Secus vero, si quis negative se haberet super aliquo articulo, suspendendo judicium et ad alia se divertens, ne mentem fatiget, vel ut ad aliam cogitationem se applicet. Attamen advertendum, quod, si ille deliberate et pertinaciter assensum ideo suspenderet, quia judicat, motiva contraria fidei incertam reddere veritatem illam, tunc pariter ut hæreticus habendus est; ipse enim revera positive dubitat de veritate fidei, dum format deliberatum et pertinax judicium, non esse certa omnia dogmata, quæ ab ecclesia ut certa proponuntur (3).

303. — *Requiritur II.*, ut error internus externe significetur per verba aut signa ex se vel ex circumstantiis hæresim manifestantia; ita communiter (4). Hinc docet *Laymann*, non incurrere hanc excommunicationem: 1) Qui est hæreticus pure mentalis; 2) qui abstinet a missa, a jejunio, ab adorando sacramento, etiam quia hæreticus

(1) *ap. Salm. de cens. c. 4. p. 4. n. 51.* — (2) *Pal. tr. 4. p. 3. §. 2. n. 3. cum Azor, Arrag. et Farin. ac Salm. ib. n. 52. cum Coninch., Suar., Sayro, Bann. etc.* — (3) *ita C. de Lugo t. 3. d 20. de fide n. 16., Sylv. t. 3. in 2. 2. q. 11. a. 1., Wigandt tr 7. exam. 3. q. 11., Antoine tr. de virt. theol. c. 3. q. 6., Salm. l. c. n. 51. et 55., Cuniliati tr. 4. d. 1. præc. c. 2. §. 3. n. 4., Nat. Alex. de sacr. ord. l. 4. art. 9. reg. 23., Bon. de cens. d. 2. q. 5 p 1. n. 3., Conc. comp. l. 3. diss. 1. c. 9. n. 3., Ferraris bibl. verb. hæreticus n. 4 et alii.* — (4) *Laym. l. 2. tr. 1. c. 14. n 1. et Salm. de cens. c. 4. p. 4. n. 48.*

est: possunt enim hæc attribui oblivioni vel pravæ conscientiæ, nisi ex circumstantiis clarius manifestetur error; 3) qui diceret: *Non est Deus*, tacito verbo: *Christus*; vel qui hoc scriberet charactere non intelligibili. Ratio, quia ad incurrendam excommunicationem voces aut signa debent ex se hæresim exprimere. 4) Qui assereret, se antea secutum fuisse hæresim, vel tunc propositum habere sequendi in futurum: quia sic non judicatur hæreticus præsens (1).

304. — *Requiritur III.*, ut actio hæresis manifestativa sit moraliter mala; quare non incurrit excommunicationem, qui se manifestat ad petendum consilium.

Requiritur IV., ut ille suam hæresim manifestet animo eam profitendi (2). Alioquin in his omnibus casibus, quia hæresis tantum ratione excommunicationis est reservata, potest ipsa a quolibet confessario absolvi, sicut et excommunicatio illi annexa ex alio jure, nempe ex c. *Christus etc. de sent. excomm.*, ubi excommunicatio contra hæreticos universe lata est, sed non reservata; ita communissime DD. (3).

305. — *Advertendum* vero *1.*, quod, ut excommunicatio incurratur, sufficit, ut manifestatio erroris etiam occulte fiat, quin aliis innotescat; prout certum est et commune (4). Quod si manifestatio fuerit notoria, hæreticus tamen non est vitandus, nisi sit etiam nominatim declaratus et insuper publice denuntiatus (5), juxta dicta *n. 136.*

Advertendum 2., quod illi, qui in hæresim incidunt, invincibiliter excommunicationem ignorando, eam non incurrunt, juxta dicta *n. 47.*

306. — Deinceps hanc excommunicationem incurrunt etiam hæreticorum *credentes*, id est, qui eorum erroribus se assentiri externe manifestant, v. gr. si quis dicat: *Credo, quod credit Calvinus, vel quod Calvinus fuerit sanctus vir.* Incurrunt etiam *fautores*, id est, qui hæreticis favent aut omissione, omittendo scilicet, cum possint et teneantur ex officio hæreticum capere, custodire, punire; aut commissione, illum laudando vel adjuvando,

(1) *ita Laym. n. 4. cum Azor et Sanchez.* — (2) *ut docet Laym l. c.* — (3) *vide Salm. dict. n. 48.* — (4) *cum Salm. tr. c. c. 1. p. 11. n. 141. in fine ac Azor, Avila, et Corn. ib. et aliis passim.* — (5) *Salm. ib. c. 4. p. 4. n. 48. in fine.*

ut fugiat; *receptatores*, qui hospitio recipiunt vel occultant (etsi semel) hæreticum, ut effugiat pœnas suæ hæresis; *defensores*, qui errores illius defendunt, etsi interne aliud sentiant, vel qui impediunt, ne ille a judice capiatur aut puniatur (1).

307. — *Quæritur* hic *1.*, an hi *fautores* etc. ut supra incurrant excommunicationem et alias pœnas, si non ex motivo favendi hæresi, sed ratione consanguinitatis, amicitiæ aut similis hæreticis favent.

Prima sententia affirmat (2).

Secunda sententia valde probabiliter negat (3). Ratio, quia, cum ecclesia excommunicat fautores hæretici, tunc tantum eos damnare censetur, qui hæretico favent, quatenus hæreticus est. Hinc probabiliter excusantur ab excommunicatione parentes, filii, et etiam fratres hæretici eum receptantes (4).

308. — *Quæritur 2.*, an incurrat, qui hæreticum recipit, ne capiatur vel puniatur, si nihilominus in effectu ille jam incidat in manus judicis.

Prima sententia (5) negat. Ratio, quia fautores seu receptatores excommunicantur in ordine ad fovendam hæresim; ergo, si accidit, hæresim non foveri, excommunicationi non subsunt.

Secunda sententia vero, quæ mihi magis arridet (6), affirmat. Ratio, quia ipso facto tunc, quod aliquis hæreticum recipit, sequitur effectus favoris, et ille censuram incurrit, cum de facto jam hæresim foveat, impediendo, ne reus capiatur, saltem illo medio temporis, quo eum

(1) *ita Suar. de censur. d. 21. s. 2. n. 6., Sanch. l. 2. c. 10. n. 2., et Salm. de cens. c. 4. p. 5. n. 63. cum aliis communiter.* — (2) *et hanc tenent Pal de censur. d. 3. p. 2. n. 5., Tolet. in expos. bullæ cœnæ c. 1. n. 2., Viva de censur. q. 5. art. 2. n. 7. in fine, item Sayr., Suar. etc., Salm. ib. n. 67.* (3) *quam tenent Sanch. l. 2. c. 10. n. 5., Bon. d. 2. q. 5. p. 3. n. 2. et Salm. ib. n. 68. cum Soto, Azor, Arrag., Fagn. etc., ac probabilem putat Laym.* — (4) *ut docent Laym. et Salm. l. c. in fine.* — (5) *quam tenent Sanch. dec. l. 2. c. 10. n. 9., Bonac. d. 2. q. 5. p. 3. n. 3., ac Suar. d. 21. sect. 2. n. 8. et Fill., Leand. et alii ap. Salm. ib. n. 69., qui probabilem putant.* — (6) *et quam tenent Pal. d. 3. p. 2. n. 5., Sayr. l. 3. c. 5. n. 4., ac Duard. et Graff. ap. Salm. de cens. c. 4. p. 5. n. 70.*

servat absconditum, unde non officit, quod postea cesset per capturam effectus receptionis.

309. — Excommunicationem autem bullæ incurrunt insuper: 1. Surripientes bona christianorum naufragantium, sive in navibus existentia, sive in mari ab eis ejecta, sive in littore inventa. *Requiritur* tamen *1.*, ut acceptio sit injusta, et ex certa scientia, quod illa sint bona naufragantium (1). *Requiritur 2.*, ut bona non habeantur ut derelicta. Hinc excusatur accipiens papyrum, farinam, saccharum et similia projecta, quia talia communiter pereunt in mari, statim ac projiciuntur. Ita pariter, qui accipit bona, quæ diu in littore jacuerunt, quia merito præsumuntur illa tunc haberi a dominis pro derelictis (2).

310. — 2. Incurrunt domini, qui in terris suis sine privilegio imponunt pedagia, i. e. tributa pro transitu personarum sive rerum, vel pro refectione et custodia viarum; aut gabellas, i. e. impositiones pro delatione et venditione mercium. Tale autem privilegium habent omnes principes supremi, prout Pontifices; reges autem, respublicæ et universitates ad subveniendum civium necessitatibus bene etiam possunt collectas sibi imponere (3).

311. — 3. Incurrunt piratæ interficientes aut deprædantes christianos in mari ecclesiastico; 4. falsificatores litterarum apostolicarum; 5. transmittentes arma sive armorum materiam ad hostes infideles sive hæreticos declaratos; 6. injuste impedientes deferri victualia ad Romanam curiam; 7. vexantes eos, qui accedunt vel recedunt a Romana sede ob negotia ad illam spectantia; 8. vexantes peregrinos, qui devotionis causa Romam petunt; 9. vexantes seu ejicientes episcopos, legatos vel nuntios a suis diœcesibus; nec non id mandantes, ratum habentes, faventes etc.; 10. percutientes aut expoliantes eos (sive eorum procuratores), qui curiam Romanam pro suis negotiis petunt; 11. appellantes sub privato prætextu ad curias laicales in causis ecclesiasticis ad impediendas litteras apostolicas; 12. qui auctoritate laica vel prætextu exemptionis causas spirituales vel ipsis annexas

(1) *ita Viva q. 5. art. 2. n. 3.* — (2) *ita Viva l. c. et Salm. ib. p. 6. n. 80. et 81.* — (3) *ita Viva q. 5. art. 2. n. 4. et Salm. ib. n. 82. et 83. cum Vasq., Dic. etc.; vide alia apud Viva et Salm. ll. cc.*

ad se avocant a judicibus ecclesiasticis etc. (1); 13. qui ex quovis colore trahunt vel trahi faciunt personas ecclesiasticas ad tribunal laicale etc. (2); 14. impedientes judices ecclesiasticos sua jurisdictione uti; 15. usurpantes jurisdictionem et fructus beneficiorum; 16. imponentes onera ecclesiasticis: qui tamen (advertendum) tenentur contribuere, quando imponuntur collectæ pro refectione, v. gr. viarum, fontium etc., quorum utilitas directe pertinet etiam ad ipsos (3); 17. se interponentes sine jurisdictione in causis criminalibus contra ecclesiasticos; 18. usurpantes jurisdictionem in terris ecclesiæ Romanæ. Denique ex bulla *Clementis VIII.* incurrunt excommunicationem adhuc reservatam omnes sine facultate absolventes ab excommunicationibus bullæ cœnæ extra mortis articulum (4).

CAPUT III.

DE SUSPENSIONE ET DEGRADATIONE.

DUBIUM I.

Quid sit suspensio, quotuplex, et unde dignoscatur, qualis et quanta sit.

312. *Quid est suspensio? et quis suspendi aut suspendere potest?*

313. *An peccet graviter exercens actum, a quo est suspensus.*

314. *Dub. 1., an incurrat irregularitatem, si suspensio sit facta ad tempus. Dub. 2, an episcopus suspensus a pontificalibus incurrat irregularitatem, pontificalia exercendo. Et quid, si missam solemniter celebret? An sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat. Quid, si toleratus? vel si sit suspensus tantum ab ordine?*

315. *Quot modis possit ferri suspensio.*

316. *Qualitas suspensionis, ex quo colligatur. Dub. 1., an suspensus a beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus. Dub. 2., an suspensus a beneficio censeatur suspensus etiam a beneficiis, quæ possidet in aliena diœcesi.*

317. *An suspensa communitate sint singuli suspensi; et an*

(1) *ita ap. Vivam q. 5. art. 2. n. 13.* — (2) *vide Viva n. 15.* (3) *Viva n. 18. cum Abb. et Mol.* — (4) *ut Viva d. art. 2. in fine.*

isti incurrant irregularitatem. An suspensio debeat ferri in scriptis.

312. — „Resp. I. Suspensio est censura, qua clericus „functiones aliquas ecclesiasticas exercere prohibetur (1).

Unde resolves:

„1. Solus clericus potest suspendi.

„2. Suspendere possunt, qui possunt ferre censuras.

313. — „3. Ex genere suo, et nisi parvitas materiæ „excuset, est peccatum grave, exercere actum per suspen„sionem prohibitum: unde et irregularitatem inducit. Si „tamen suspensus toleratus se non ingerat in tales fun„ctiones, sed ab aliis propter utilitatem requiratur, pro„babiliter non peccat, cum alii licite requirant. Imo, etsi „nominatim sit denuntiatus et non toleratus, alii tamen „non tenentur sub mortali eum vitare, nisi censentur coo„perari actui, a quo suspensus est: unde audire ejus mis„sam non erit peccatum (saltem mortale), si non inser„vias (2)." *(Et ita communius et verius tenent Palaus* (3), *Holzm.* (4) *et Salm.* (5) *cum Coninchio, Avila etc., qui recte addunt, esse omnino licitum audire missam a sacerdote suspenso* (*contra Cont. Tournely* (6). *Limitat tamen Holzm. l. c., nisi scandalum interveniret.)*

Est certum apud omnes, quod clericus suspensus peccat graviter, si exercet actum vetitum per suspensionem (7). Excusatur tamen 1), si exercet ordinem non sacrum, vel sacrum, sed non solemniter (8). Excusatur 2) saltem a gravi culpa, si exercet ob ignorantiam aut metum gravem, aut in parva materia, puta si fuerit suspensus a jurisdictione vel ab ordine, et exerceret actum levem jurisdictionis aut benediceret mensam: secus, si benediceret aquam, nuptias, fructus etc. juxta solemnitates ecclesiæ (9).

(1) *vide Bon. d. 3. p. 1., Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1.* — (2) *ita probabiliter Avila, Henr., Suar., Sayr. ap. Bon. d. 3. p. 4. n. 4., etiam Laym. l. c. c. 1. n. 7.* — (3) *d. 4. p. 6. n. 5.* — (4) *de pœnis eccles. n. 252.* — (5) *de cens. c. 5. p. 2. n. 14.* — (6) *tr. de cens. p. 2. c. 2 art. 1. q. 4. cum Bonacina.* — (7) *vide Salm. ib. n. 12.* — (8) *Salm. ib. p. 3. n. 24. et seq., et Cont. Tourn. l. c. q 3. cum s. Anton., Hab., Sayr. etc. contra Suar. et Nav.; vide dicta l. 6, 38. v. objic. 2.* — (9) *Bon. d. 3. p. 4. n. 6., Holzm. ib. n. 248., Cont. Tourn. l. c. v. ex his, et Salm. c. 5. n. 13.*

314. — Sed hic *dubitatur 1.*, an incurrat irregularitatem clericus exercens actum, a quo erat suspensus, si suspensio fuerat lata pro tempore determinato. Adsunt tres sententiæ :

Prima sententia negat (1), quia, ut dicunt, suspensio lata pro tempore determinato habet rationem puræ pœnæ, quæ non inducit irregularitatem.

Secunda sententia communior affirmat (2). Probatur hæc ex *c. 1. de sent. et re judic. in 6.*, ubi quidam, cum fuerit suspensus ad tempus et sic ministraverit, fuit expresse declaratus irregularis. Limitant vero (3), nisi suspensio sit oretenus lata, quia, cum censura non possit licite ferri sine scriptura, ut dicemus *n. 317.*, non præsumitur episcopus voluisse delinquere, censuram oretenus ferendo.

Tertia sententia, quam probabilem putat *Roncaglia* (4) cum aliis, et quæ mihi videtur absolute probabilior, distinguit et dicit, quod, si suspensio fuerit lata per modum statuti aut præcepti ob crimen futurum, vel etiam præteritum, sed habens tractum successivum, tunc transgrediens verius incurrit irregularitatem, ut patet ex textu præfato. Secus, si suspensio sit lata ab homine per sententiam ob meram punitionem criminis omnino præteriti, quia talis suspensio habet rationem meræ pœnæ, non censuræ, juxta dicta *n. 52.* Censura enim, cum sit pœna medicinalis, nequit ferri ob delictum omnino præteritum, ut diximus *n. 54.* Ergo, quando quis transgreditur hujusmodi suspensionem, nullam incurrit irregularitatem, quæ non a violantibus pœnas, sed censuras incurritur. Neque huic sententiæ obstat textus prædictus; nam ibi non fit sermo de suspensione lata ab homine per sententiam particularem, sed lata a jure per statutum generale, quod respicit crimina futura; unde talis suspensio erat vera censura.

(1) *et hanc tenent Gabriel, Avila, et Villal. ap. Salm. de cens. c. 5. p. 2. n. 13., qui probabilem putant cum Diana.* — (2) *et hanc tenent Suar. d. 26. s. 2. n. 3., Bon. d. 3. p. 4. n. 6., Pal. d. 4. p. 6. n. 5., Cont. Tourn de cens. p. 2. c. 2. art. 1. v. q. 3. in fine, Escob. l. 5. n. 96. et Viva q 6. a. 4. n. 5.* — (3) *Viva et Cont Tourn. ll. cc. et Salmant. ib. p. 1. n. 8.* — (4) *p. 106. q. 5. r. 2.*

Dubitatur 2., an episcopus suspensus a pontificalibus incurrat irregularitatem, si pontificalia exercet, puta confirmando, consecrando calices etc. Negant *Sylv.* (1) *ac Innoc.*, *Abbas*, *Archid.*, *Socinus etc.* (2); quia, ut dicunt, episcopatus non est ordo, sed potius extensio sive complementum ordinis sacerdotalis (3). Unde inferunt, episcopum exercendo has functiones non contrahere irregularitatem, cum hæc incurratur a censurato tantum, quando exercet ordinem sacrum. Affirmant vero probabilius (4). Ratio, quia, etiamsi sententia, quod episcopatus sit tantum extensio ordinis sacerdotalis, et non distinctus, esset vera (quod negant plurimi (5); tamen non potest negari, quod tale exercitium potestatis episcopalis sit actus ordinis sacri, si non distincti, saltem extensi; quapropter episcopus tunc dicitur vere exercere actum sacri ordinis. Tanto magis, quod idem *d. Thomas l. c.* ait, quod, licet episcopatus non sit ordo respectu ad corpus Christi reale; tamen est verus ordo respectu ad potestatem in corpus mysticum; unde prima sententia non videtur satis probabilis.

Si autem episcopus suspensus a pontificalibus missam celebrat solemniter in apparatu pontificali, certum est, quod peccat, ut recte dicunt (6). An autem incurrat etiam irregularitatem? Affirmant *Angel.* (7), *Nav.*, *Bon. et Fagn. ll. cc.* Ratio, quia talis celebratio est actus proprius ordinis episcopalis, cum non possit exerceri nisi ab episcopo consecrato. Negant vero probabilius *Laym.* (8) *cum Sylv.*, *Cov. et Avila*, *ac Diana* (9), qui testatur, hanc esse communionem DD. sententiam. Ratio, quia episcopus sacrificando non exercet actum substantialem ordinis episcopalis, sed actum ordinis sacerdotalis, a quo non est suspensus; et quod celebratio fiat cum pontificalibus, per accidens se habet; irregularitas autem non incurritur nisi

(1) *v. suspensio §. 5.* — (2) *ap. Fag. l. 1. inc. Vel non est compos. de temp. ordin. n. 17. ad 20.* — (3) *ut tenent Salm. de ordin. c. 1. p. 1. d. 2. n. 26. cum Soto, Gonet et alii ex d. Thoma suppl. q. 40. art. 5.* — (4) *Nav. c. 27. n 163.*, *Bon. d. 3. p. 4. n. 6. v. tertio cum Major. et Alter. ac Fagn. l. c. n. 36. cum Palud.*, *Ang. etc.* — (5) *ap. Salm. l. c. n. 23.* — (6) *Filt. tr. 17. c. 2. n. 28.*, *Sayr. l. 4. c. 4. n. 13. et Renzius p. 643. q. 4.* — (7) *v. suspensio 3. n. 3.* — (8) *l. 1. tr. 5. c. 3. n. 4.* — (9) *p. 5. tr. 10. r. 4. cum Joanne Præposito.*

in exercitio actus ordinis prohibiti. Et hanc sententiam expresse tenet etiam *d. Antoninus* (1) *cum Hostiensi*, sic dicens: *Suspensus a pontificalibus, si celebrat in pontificalibus, non erit irregularis, quia pontificalia non sunt de substantia celebrationis, nec debemus judicare aliquem irregularem, nisi inveniatur expressum.* Tanto magis, quod, ait idem *Fagnanus* (2) *cum Archid. etc.*, suspensus propter crimen tum solum incurrat irregularitatem, cum canon id exprimit, quia alias suspensio intelligitur lata quoad se tantum, nempe quod tanquam indignus prohibeatur a ministrando.

„4. Suspensus non toleratus invalide absolvit, quia non „habet jurisdictionem (3)." (*Secus, si toleratus, quia hic valide jurisdictionem exerceret; etsi illicite, si non esset requisitus* (4). *Suspensus autem ab ordine non est suspensus a jurisdictione* (5).

315. — *Resp. II.* Suspensio 1) alia fertur ad certum „tempus, quo elapso expirat: alia fertur absolute seu „indefinite, manetque, donec per absolutionem tollatur; „2) alia est ab officio, sive id sit ordinis sive jurisdi„ctionis; alia a beneficio; alia ab utroque; 3) suspensio „ab officio vel est a toto vel a parte tantum, scilicet a „functione ordinis vel jurisdictionis. Item suspensio be„neficii vel est a beneficio absolute, vel a quibusdam „tantum functionibus, ejus ratione competentibus (6).

316. — „*Resp. III.* Quantitas et qualitas suspensionis „colligi debet ex verbis, quibus fertur: quæ, utpote in „re odiosa, non amplius sunt extendenda, quam proprie „accepta significent.

Unde resolves:

„1. Suspenso absolute et in toto prohibetur omne exer„citium ratione officii proveniens, tam ordinis quam ju„risdictionis: et consequenter non potest celebrare nec „valide excommunicare, beneficia conferre etc. Suspen„sus vero a parte beneficii determinata, v. gr. ab ordine „tantum vel jurisdictione, privatur tantum illius officii

(1) *3. p. tit. 27. c. 3. §. 4. v. Si est suspensus.* — (2) *l. c. in c. Quæsitum de cohab. cler. n. 15.* — 3) *ita Salm. de cens. c. 5. p. 2. n. 15.* — (4) *Salm. ib.* — (5) *ita s. Thom. 3. p. q. 22. art. 3., Salm. ib. n. 16. communiter.* — (6) *Laym., Bon. ll. cc.*

„functionibus. Unde episcopus, v. gr. a jurisdictione sus-„pensus, etsi non possit excommunicare, absolvere, de-„legare etc., potest tamen exercere actus ordinis, ut con-„secrare templa, ordinare etc. (1).

„2. Suspensus a certa functione ordinis, v. gr. a sa-„cramentorum administratione, non est suspensus a sa-„crificio. Similiter suspensus ab ordine potest nihilomi-„nus conferre primam tonsuram, quia non comprehendi-„tur sub ordine (2).

„3. Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur „suspensus a beneficio seu fructibus ejus. Debet tamen „per alium supplere, qui per se nequit, ut fructus per-„cipiat (3)." (*Commune est apud omnes, quod suspensus ab officio non suspenditur a beneficio* (4). *Sed recte limitant* (5), *primo si crimen sit enorme* (6), *secundo si reus contemnat suspensionem, nempe per annum in ea manendo* (7).

„4. Suspensus ab ordine non videtur suspensus a be-„neficio; quia beneficium non fundatur in ordine. *Bona-„cina* tamen dicit, indirecte suspendi a fructibus ejus: „quia, dum non potest facere officium, non potest per-„cipere fructus (8).

„5. Suspensus a beneficio, etsi hoc ipso intelligatur „suspensus a recipiendis fructibus ejus, non tamen ab „officio sive jurisdictionis sive ordinis, etiam quod illi „ratione ipsius beneficii competit. Unde tenetur legere „horas et cætera onera beneficii præstare, licet fructi-„bus non fruatur; hoc enim debet sibi imputare. Non „tamen privatur commodo, quod provenit ex anniversa-„riis stipendiis missarum, nec eo, quod datur propter „onus personale clerici: quia non sunt fructus beneficii.

(1) *Bonac. l. c.* — (2) *Bonac. p. 2. n. 7.* — (3) *Bonac. n. 10. ex Nav, Suar., Henriq., Fill etc.* — (4) *ita Suar. d 26. s. 3. n. 4., Pal. p 5. § 1. n. 5., Cont. Tourn. de censur. p. 2. c. 2. art. 1. v. colliges 2., Antoine de cens. c. 4. q. 1. r. 2. et Salm. de cens. c. 5. p 2. n. 20. cum Sanchez, Avila, Coninch. etc. communiter ex c. 10. de purg. can et c. 10. de vita et hon. cler.; consentit Fagn. l. 3. in c. Quæsitum, de cohab. cler. etc. n. 30.* — (5) *Fagn. et glossa in clement. Cupientes de pœnis.* — (6) *ut patet ex c. Inter 10. de purg. can.* — (7 *ut habetur ex c. Cum bonæ de ætate et qualit. etc.* — (8) *vide seq. 5.*

„Secus est de distributionibus quotidianis" *(Ita etiam Navarrus, Covarr. etc. ap. Salm.* (1). *Sed contradicunt Pal.*(2) *et iidem Salm. ib. cum Sanch., Avila, Henriq. etc., quia pœnæ non sunt extendendæ, ubi non sunt in jure expressæ, prout nullibi id expressum habetur)*; „licet ex his vel „aliis beneficii fructibus possit ali, si aliunde sustentari „nequeat(3)."

Dubitatur 1., an suspensus a beneficio, si sit pauper, possit fructus sibi retinere. Respondetur affirmative, si suspensio est lata in pœnam criminis omnino præteriti (4); secus. si fuerit lata ob contumaciam, quia non debet ab ecclesia subveniri ei, qui voluntarie ecclesiæ disciplinam vilipendit, cum libere possit a sua contumacia recedere (5). Dicunt tamen (6), quod, licet beneficiarius per se teneatur fructus restituere, si tamen fuerit occulte suspensus, et munia debita jam impleat, poterit sibi retinere partem, quam dare deberet substituto; hi enim non sunt fructus beneficii, sed stipendium laboris (7).

Dubitatur 2., an suspensus a beneficio censeatur suspensus etiam a beneficiis, quæ possidet in aliena diœcesi. Negat absolute *Sayrus* (8), quia, ut ait, episcopus extra suum territorium nullam habet jurisdictionem. Alii vero distinguunt et negant. si suspensio sit lata ab homine: secus, si a jure, quia jus ubique locum habere debet (9). Alii demum communius et probabilius (10) pro certo habent, suspensionem comprehendere omnia beneficia, si sit a jure; si vero sit ab homine, dicunt intelligi tantum a beneficiis propriæ diœcesis, quando est lata per statutum; secus, si per sententiam, modo episcopus exprimat, velle suspendere ab omnibus beneficiis, quia, licet ei non subjaceant beneficia alienæ diœcesis, subjacet tamen persona suspensi, qui jus habet ad fructus

(1) *de cens. c. 5. p. 2. n. 21.* — (2) *p. 5. §. 1. n. 7.* — (3) *Bonac. l. c. n. 12., Sayr., Suar., Filliuc. etc.* — (4) *vide dicta l. 4, 672.* — (5) *ita Suar. d. 27. s. 2. n. 3., Fill. tr. 27. n. 53., Renzius p. 644 q. 7. cum communi, et Diana p. 5. tr. 10. r. 3. cum Sayr., Turrian. et Corn., Gordon., Coninch. et Avila.* (6) *Cont Tourn. l. c. v. dico 2., Diana et Renzius ll. cc. cum P. Navarro, Avila, Pelliz. et Hurt.* — (7) *vide dicta l. 4. d. n. 672.* — (8) *l. 4. c. 6. n. 21.* — (9) *ita Decius et alii apud Sayr. l. c.* — (10) *ut Renzius t. 1. p. 645. et Cont. Tourn. l. c. v. dico 1. cum Pont.*

beneficii: unde, cum suspensio impediat ipsi jus exigendi, consequenter ille suspenditur ab omnibus beneficiis. Quando autem suspensio est per statutum generale, intelligitur lata solum circa beneficia in diœcesi.

Dubitatur 3., an, si suspensus acquirat novum beneficium tempore suspensionis, collatio sit nulla. Affirmant *Bonacina* (1) *et Holzm.* (2) *cum Palao et Mastrio*, quia beneficia dantur propter officium; ergo suspensus a beneficio acquisito est etiam suspensus a beneficio acquirendo, cum non possit munia beneficii exercere. Negant vero probabilius *Suar.* (3), *Laym* (4), *Antoine* (5), *Renzi* (6) *et Diana* (7) *cum Cornejo. Gordono, Præpos., Conc. etc.* Illi dicunt, talem collationem esse quidem irritandam, sed non irritam; quia nulla pœna debet infligi, nisi in jure sit expressa: nullibi autem hæc pœna habetur; imo ex *c. Cum bonæ S. de ætate et qualitate* contrarium colligitur, dum ibi, cum aliqui quadriennium mansissent in suspensione, mandavit Pontifex expoliandos a beneficiis tam ante quam in suspensione acquisitis; ergo collatio fuerat valida.

„6. Suspensus a beneficio potest nihilominus eligere, „præsentare, conferre beneficium, quia, etsi hæc jura „competant illi ratione beneficii, illi tamen actus non „sunt beneficii præcise ut sic, sed potius officii et ju„risdictionis. *Ib.*

„7. Suspensus a beneficio vel ordine absolute et sine „addito intelligitur suspensus ab omni beneficio vel or„dine, nisi aliunde aliud constet (8).

„8. Suspensus absolute intelligitur ab officio et be„neficio (9).

317. — „9. Suspenso capitulo vel conventu non cen„sentur suspensi singuli, nisi sint in culpa (10)."

Quando suspensio fertur in solam communitatem, non afficit singulas personas quoad munia particularia, sed tantum quoad officia vel beneficia totius communitatis; ita communiter (11). Quod si aliqui exerceant functiones

(1) *d. 3. p. 2. n. 10.* — (2) *de pœn. eccl. n. 240. v. dixi in coroll.* — (3) *d. 26. s. 3 n. 8* — (4) *tr. 5. p. 3. c. 1. n. 4.* — (5) *de cens. c. 4. q. 2. r. 1. n. 2.* — (6) *p. 645. q. 9.* — (7) *q. 5. tr. 10. r. 7.* — (8) *ib. n. 8* — (9) *Laym. c. 1. n. 2.* — (10) *ait Sa v. suspensio, et Laym. l. c. c. 2. n. 3.* — (11) *Bonac. d. 1. q. 1. n. 111., Holzmann n 248, et Salm. de cens. c. 5. p. 4. n. 43. et 46. in fine cum d. Thoma, Avila, Henr., Diana etc.*

communitati tunc vetitas, dicunt (1), eos non incurrere irregularitatem, quia prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas particularium personarum ad talia officia. Si vero suspensio fertur in communitatem et in singulas ipsius personas, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes; nemo enim potest excommunicari aut suspendi pro culpa aliena, ut communiter docent (2). Et patet ex *cap. 2. de constit.* et clarius ex *cap. Quæsivit de his, quæ fiunt a majore parte capit.*, ubi dicitur: *Cum peccata suos auctores tenere debeant, ne pœna sit ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente refertum.*

„10. Si prælatus solo verbo dicat sacerdoti: *Suspendo „te*, v. gr. a celebratione, videtur esse simplex tantum „prohibitio, non censura, quia hæc licite non fertur nisi „scripto." *(ut n. seq. ad 2.)* „Prælatus autem non debet „præsumi velle peccare, nisi aliud constet de ejus in„tentione, aut nisi religio habeat privilegium absque scri„pto ferendi censuras (3)."

DUBIUM II.

Quæ sint suspensiones in particulari, et quis ab eis possit absolvere.

318. *Quæ sint suspensiones juris communiores clericorum.*
319. *Quæ religiosorum.*
320. *Quæ episcoporum.*
321. *An quis possit suspendi ob culpam levem.*
322. *Quis possit absolvere a suspensione.*

318. — „Resp. I. Suspensionis juris communiores sunt „sequentes:

„1. Clerici ipso jure suspensi sunt: 1) Recipientes „ordines sacros ab alieno, vel a proprio in aliena diœ„cesi, vel sine ætate legitima aut dimissoriis aut titulo,

(1) *Pal. d. 4. p. 3. n. 3, Suar. d. 28. s. 4. n. 4., Roncaglia p. 106. q. 7. r. 2. et Salm ib. n. 47. cum Conc. et Cornejo.* — (2) *Suar. l. c. n. 2., Sanch. de matr. l. 9. d. 32. n. 9., Salm. ib. n. 45. cum Nav., Soto et Pal., ac Escobar. l. 51. n. 56. cum Coninch., Avila, Henriq. et Hurt.* — (3) *vide Bon. de censuris in communi d. 1. q. 1. p. 7. (ita etiam Salm. ib p. 1. n. 18. cum Nav. et Henr.)*

„vel extra tempora, aut non servatis interstitiis, per sal-„tum vel in censura, vel denique post matrimonium ra-„tum: qui omnes suspensi sunt ab executione ordinum, „nisi fecerint absque dolo, et si ordine utantur, fiunt „irregulares; 2) excommunicans, suspendens aut inter-„dicens sine scriptura et causæ expressione est suspen-„sus per mensem ab ingressu ecclesiæ, nisi sit præla-„latus regularis; 3) clerici scienter eligentes episcopum „vel parochum indignum suspenduntur a beneficiis bien-„nio; 4) ordinans et ordinatus simoniace est suspensus „ab ordinibus: 5) parochi jungentes sponsos alterius pa-„rochiæ sine licentia; 6) gravantes alienis debitis eccle-„sias sibi commissas; 7) occupantes bona vel census „ecclesiæ, beneficii vel alterius pii loci; 8) sodomiam „exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel ac-„ceptantes, raptores, vel præbentes auxilium; 9) dispu-„tantes in alterutram partem in cœtu virorum ac mulie-„rum de immaculata conceptione B. Virginis; 10) visi-„tantes, si accipiant pecuniam vel munera: qui, si sint „episcopi, suspensi sunt ab ingressu ecclesiæ; si infe-„riores episcopo, ab officio et beneficio, usque dum re-„stituant duplum; 11) judex ecclesiasticus (non episco-„pus), qui facit injuriam contra justitiam et conscientiam „parti litiganti (1). *(Adde* 12) *negantes absolutionem re-nuenti complicem manifestare; hi subjacent suspensioni ferendæ sententiæ ex bulla Ubi primum Bene-dicti XIV. Vide in fine tomi V. hujus operis. Adde* 13): *Latini celebrantes ritu græco, et Græci ritu latino. Bullæ Etsi pastoralis.)*

319. — „2. Religiosi: 1) Apostati recipientes ordi-„nes in apostasia; 2) admittentes ad professionem ante „annum probationis peractum; 3) non utentes habitu et „vestitu modo sibi præscripto; 4) introducentes mulieres „in monasteria.

320. — „3. Episcopus: 1) Ordinans non subditum „suspensus est a pontificalibus per annum: ordinans vero „invitum suspensus est per annum a celebratione pon-„tificalium; 2) admittens resignationes contra formam præ-

(1) *vide Bonac. d. 3. p. 5.*

„scriptam; 3) intrans monasteria monialium sine neces-„sitate (1).

321. — „*Resp. II.* Præter has suspensiones aliæ sunt „ab homine, quæ, si sint graves, requirunt culpam mor-„talem: v. gr. ut quis suspendatur ab omnibus actibus „sui officii vel fructibus unius anni. Potest tamen aliquis „ob peccatum veniale privari uno actu, v. gr. eligendi."

Sed hic *dubitatur*, an ob peccatum veniale possit ferri suspensio. Affirmant *Navarrus* (2), item *Armilla*, *Medina et Henriquez* (3): sed verius et communissime negant (4), si suspensio sit major, nempe ab omni usu officii et beneficii, vel ab aliquo eorum per notabile tempus; tunc enim requiritur mortale, quia pœna debet cum culpa proportionari; unde esset nulla suspensio, si ob peccatum veniale imponeretur. Secus vero, si suspensio esset partialis, nempe tantum ab officio vel a beneficio, et ad breve tempus: ut *Suarez* (5), *Palaus* (6), *Salm.* (7) *et Bon.* (8), qui idem dicit, si suspensio esset totalis, sed ad valde breve tempus, puta ad diem vel hebdomadam. Idem dicunt (9), si suspensio sit ferendæ sententiæ; nam contra, si sit latæ sententiæ, vel sit indicta a jure, taliter ut incurratur sine alia monitione, non incurritur nisi ob mortale peccatum.

322. — „*Resp. III.* Habens episcopalem auctoritatem „potest absolvere a suspensione non reservata: et com-„muniter religiosi ex privilegiis possunt absolvere ab „omni suspensione in foro conscientiæ. Episcopus potest „absolvere ab omni suspensione juris, si sedi apostolicæ „specialiter reservata non sit (10); imo etiam ab hac, si „proveniat ex delicto occulto et non deducto ad forum „contentiosum (11)."

Si suspensio sit imposita ad tempus vel conditionate,

(1) *vide Fill. t. 17. c. 5.* — (2) *c. 27. n. 151. et 159.* — (3) *ap. Escob. l. 51. n. 58.* — (4) *Suar. d 28. s. 4. n. 6., Sanch. de matr. l. 2. d. 32. n 9., Pal. d. 4. p. 3. n. 4., Salm. de censur. c. 5. p. 4. n. 44., Elbel n. 115., cum Fill., et Escob n. 59. cum Laym., Soto, Vasq., Coninchio et Hurtado.* — (5) *n. 2.* — (6) *n. 2.* — (7) *de cens. c. 5. p. 4. n. 44.* — (8) *d. 1. q. 1. p. 3. n. 8.* — (9) *Sanch. dec. l. 6. c. 4. n. 17., Pal. tr. 3 d. 1. p. 15. n. 3., et Salm. de leg. c. 2. p. 3. §. 1. n. 46. cum Suar., Caj., Vasq., Tapia etc.* — (10) *Laym. c. 4. n. 2. ex Nav., Suarez etc.* — (11) *Bon. d. 3. p. ult. ex Trid. s. 24. c. 6.*

v. gr. *donec*, vel: *nisi restituas*, tunc termino transacto de se tollitur suspensio sine absolutione (1). Si vero sit imposita absolute, quisque confessarius potest eam absolvere, nisi sit reservata, vel nisi requirat satisfactionem partis. Cum autem fertur suspensio in communitatem, is tantum ab illa absolvere potest, qui in communitatem jurisdictionem habet in foro contentioso (2).

DUBIUM III.

Quid sit depositio et degradatio, et a quo et ob quam causam ferri possit.

323. — „Subjici solent suspensioni depositio et degra„datio (etsi censuræ non sint, ut dictum est in hoc libro „*n. 3.*) ob similitudinem, quam habent cum suspensione, „cum utraque sit ab ecclesiastico ordine aut beneficio. „Differunt autem a suspensione, quod illæ auferant ipsum „jus radicale et titulum beneficii, idque in perpetuum, „suspensio non item. Porro depositio generice accepta „alia est verbalis, quæ absolute depositio dicitur: alia „realis, quæ dici solet degradatio.

324. — „*Resp. I. Degradatio* est privatio executionis „officiorum et beneficiorum simpliciter, in toto et absque „spe restitutionis, facta cum certa solemnitate et priva„tione privilegii clericalis, tam canonis quam fori, ita „ut sæculari curiæ subdatur.

„Dixi: *executionis;* quia ordo ipse non potest tolli. „Interim degradatus tenetnr ad votum castitatis, si fuit „in sacris" (*Et invalide matrimonium contraheret, atque valide consecraret hostiam* (3), „et ad horas, nisi has forte „pœna, ad quam damnatur, v. gr. triremes, vel aliud „impediat.

325. — „*Resp. II. Depositio* verbalis est similis pri„vatio, sed sine solemnitate dicta, et relicto utroque pri„vilegio, canonis et fori.

326. — „*Resp. III.* Clerici possunt degradari a suo „episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen „possunt ab eodem per vicarium.

(1) *ut Salm. de cens. c. 5. p. 5. n. 53. cum Coninch., Pal., Avila, Henriq.* — (2) *Salm. ib. n. 52.* — (3) *Salm. de cens. c. 5. p. 6. n. 60. cum aliis.*

327. — „*Resp. IV.* Depositio fieri potest in casibus a „jure expressis et delictis: non tamen nisi gravioribus „arbitrio judicis. Ubi notat *Laymann*, crimen debere esse „enorme, i. e. unum ex maximis. Degradatio similiter „fieri potest in casibus tantum gravissimis, quales sunt „v. gr. crimen hæresis manifestum, falsificatio litterarum „apostolicarum, sodomia frequentata, gravis calumnia pro„prio episcopo irrogata (1)." *(Cum degradato solus Papa dispensare potest: sed cum deposito etiam episcopus, si crimen sit minus adulterio (2).*

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

DUBIUM I.

Quid sit et quotuplex.

328. *Quid est interdictum?*
329. *Quotuplex est?*
330. *An interdicta civitate interdicantur suburbia; et an ecclesia regularium.*
331. *Qui eximantur ab interdicto generali personali; et an interdicto clero interdicantur religiosi, vel clerici non habentes beneficium aut officium.*
332. *Quid, si interdicantur cives aut civitas?*

328. — „Resp. *I.* Est censura ecclesiastica prohibens „divinorum officiorum, sacramentorum aliquorum et ec„clesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est. Quod „addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenus est „communicatio cum fidelibus; suspensio vero proprie non „illum usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticæ im„pedit (3).

329. — „*Resp. II.* Interdictum dividitur 1) in *locale*, „quod immediate locum afficit; et in *personale*, quod „immediate afficit personas; et in *mixtum*, quod imme„diate afficit locum et ejus incolas. Differt autem locale „a personali, quod in illo participatio sacrorum officio„rum tum indigenis tum alienigenis non absolute, sed

(1) *vide Laym. hic t. 5. et Fill. t. 18. c. 8.* — (2) *Salm. de cens. c. 5. p. 6. n. 68.* — (3) *vide Laym. l. 1. t. 5. p. 4. c. 1., Bonac. d. 5. p. 1.*

„in loco tantum interdicto; in hoc vero certis personis „aut communitati prohibentur absolute et in omni loco. „2) Interdictum tam locale quam personale subdividitur „in *generale* et *particulare*. Generale est, quo locus ge- „neralis, v. gr. civitas, provincia, vel quo communitas, „v. gr. collegium etc. interdicitur; particulare, quo locus „aut persona particularis aut particulares interdicuntur.

Unde resolves:

330. — „1. Interdicta civitate interdicuntur etiam sub- „urbia, et interdicta parochia etiam sacellum vel cœme- „terium contiguum, quia accessorium sequitur naturam „principalis." *(Ita ex c. Si civitas de sent. excomm. in 6., ubi etiam habetur, quod interdicta civitate per interdictum locale generale sunt pariter interdictæ ecclesiæ exemptæ regularium; nam alias interdictum esset elusorium* (1). *Et hoc interdictum etiam clerici et regulares tenentur servare, imo idem episcopus, qui illud tulit, excepto Pontifice* (2); *sed vide dicta l. 5, 61. v. infertur 3.)*

331. — „2. Interdicto populo non interdicuntur ii, qui „non sunt pars populi, ut studiosi, clerici, peregrini etc." *(Ita* (3) *communiter. Et sic e converso interdicto clero non veniunt laici* (4). *Hic autem notandum, quod ab interdicto personali generali eximuntur: 1. Episcopi (qui eximuntur etiam a suspensione generali); 2. infantes et amentes doli incapaces: privantur tamen ecclesiastica sepultura; 3. innocentes, statim ac alibi domicilium collocant; 4. exteri, etsi per multum tempus inter illos cives habitent* (5). „Nec interdicto clero interdicuntur re- „ligiosi, qui in favorabilibus tantum nomine clerici com- „prehenduntur." *(Ita tenendum cum Salm.* (6)*: nisi religiosi beneficium vel officium in illo populo haberent* (7). *Notandum etiam, quod interdicto clero non veniunt clerici, qui non gaudent privilegio fori, nec alii clerici, qui ibi non habent beneficium aut officium; nam hi non constituunt unum corpus cum clero* (8).

(1) *vide Salm. de cens. c. 6. p. 1. n. 9.* — (2) *Salm. ib. n. 8.* (3) *Salm. ib. n. 16. cum Bonac., Coninch., Avila, Lezana, Corn. etc.* — (4) *ex c. Si sententia de sent. excomm. in 6.* (5) *vide Salm. l. c. n. 15.* — (6) *de cens. c. 6. p. 1. n. 17.* — (7) *Salm. ib. in fine.* — (8) *Salm. ib. n. 16.*

332. — „3. Si dicatur: *Cives* (v. gr.) *Colonienses sint „interdicti*, ii nusquam possunt interesse divinis (nisi „tamen desinant esse istic cives, nec causam dederint „interdicto); contra vero, si civitas interdicto subjiciatur, „licet civibus aut incolis, qui causam interdicto non de„derunt, alio ire, et istic divinis interesse."

DUBIUM II.

Qui sint effectus interdicti.

333. *Effectus interdicti sunt: 1. Prohibitio divinorum officiorum.*
334. *2. Prohibitio sacramentorum excepto baptismo etc.*
335. *3. Prohibitio sepulturæ.*
336. *4. Peccatum mortale, quod committitur a violantibus interdictum. Item irregularitas, quæ incurritur a clericis, et excommunicatio a religiosis.*

333. — „**R**esp. Sunt sequentes: I. Prohibitio divino„rum officiorum." (*Nomine divinorum officiorum veniunt omnia quæ a solis clericis fieri possunt; non autem officiorum B. V. Mariæ, defunctorum etc., si dicantur privatim et in loco non deputato ad illa; communiter* (1)) „Unde etiam interdicti ob alienam culpam non possunt „interesse sacro. Clerici tamen et religiosi, quando ipsi „interdicti non sunt, possunt ac debent, ut ante, missas „divinaque officia celebrare; sed januis clausis, non pul„satis campanis (nisi ad concionem, salutationem ange„licam, vel obitum alicujus), submissa voce, et exclusis „interdictis (2)." (*Nomine clericorum et monachorum* (*quia laicis nihil conceditur*) *veniunt omnes utriusque sexus, qui gaudent privilegio fori et canonis. Nomine ecclesiarum veniunt etiam cremitoria et hospitalia, auctoritate episcopi erecta; non vero oratoria privata sæcularia* (3). *Dicitur autem: exclusis interdictis, modo* (*intelligitur*) *sint denuntiati ex concilio Constantiensi. Et intelligitur tam de dantibus causam interdicto quam interdictis personaliter. Quare, si interdicti post monitionem exire nolint, et canon missæ*

(1) *Pal., Suar., Bon. et Salm. de cens. c. 6. p. 5. n. 50.* (2) *ita ex c. Alma mater de sent excomm. in 6.* — (3) *ita Salm. comm. de cens. c. 6. p. 5. n. 56.*

incœptus non sit, cessandum a celebratione; aliter celebrans incurreret irregularitatem. Hoc tamen procedit, si celebretur in loco interdicto, quia ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi exclusis etc. Secus vero, si celebratio fiat in loco non interdicto (1). *Unde ait Holzmann cum alio auctore, quod tunc debet expelli interdictus; si vero nequeat expelli, non tenetur celebrans cessare, quia id nullibi præcipitur, sicut præcipitur de excommunicatis vitandis)* „Permittitur tamen, ut in fe„stis natalis Domini, paschæ, pentecostes, assumptionis „B. V. et per octavam Corporis Christi divina officia can„tentur solemniter, admissis etiam interdictis, dummodo, „qui causam interdicto dederunt, altari nec appropinquent, „nec veniant ad offertorium vel communionem." *(Hinc his diebus interdicti tenentur audire missam. Qui vero privilegium habent audiendi, possunt etiam abstinere ab audiendo sacro, se conformando juri communi* (2). *Regulares autem possunt admittere ad divina officia famulos, procuratores, advocatos, operarios, beatas, tertiarios, si hi non sint specialiter interdicti nec causam interdicto dederint.)*

334. — „II. Prohibitio administrationis sacramentorum, „excepto baptismo, confirmatione et pœnitentia (3)," *(et baptismus conferri potest etiam solemniter* (4)*; atque a ministro interdicto generaliter, non autem specialiter* (5)*. Et idem dicitur de sacramento pœnitentiæ* (6)*)* „quæ omni„bus permittuntur: iis exceptis, qui interdicto causam de„derunt, etiam auxilio, consilio vel favore." *(Et exceptis personaliter et specialiter interdictis, nisi prius præstent satisfactionem debitam, si possint, aut si non possint, cautionem saltem juratoriam* (7)*).* „Eucharistia tamen po„test dari morituris et deferri cum lumine et campana." *(An autem clerici, quibus conceditur missam audire, ut supra, possint communicare? Adest duplex sententia* (8)*. Tenent autem Salm.* (9)*, sacramenta ordinis et extremæ-*

(1) *ut dicunt Holzmann de cens. n. 281. et Mazzotta t. 4. p. 388. cum Suarez.* — (2) *ita Salm. ib. n. 64. cum Corn., Diana, Cano, Coninch., Avila etc.* — (3) *ut habetur ex c. Alma mater de sent. excomm. in 6.* — (4) *ut Salm. de cens. c. 6. p. 4. n. 34 cum communi.* — (5) *Salm. ib. n. 35.* — (6) *ib. n. 38.* — (7) *Salm. ib. n. 37. ex d. c. Alma mater.* — (8) *vide Salm. l. c. n. 41.* — (9) *ib. n. 44.*

unctionis non posse recipi ab interdictis nec tempore interdicti. Sed quoad extremam-unctionem contradicit Croix (1) *cum Suarez et Dicastillo. Religiosos autem commune est tempore interdicti posse recipere communionem et extremam unctionem* (2). „Nec improbabile est, inter„dictis licere contrahere matrimonium, ut *Sanchez*, *Co„ninchius et Laymann* docent contra *Suarez*, quia hoc sa„cramentum secundum substantiam non ab ecclesia, sed „ab ipsis contrahentibus ministratur." *(Et merito hanc sententiam probabiliorem putant* (3) *ex c. Capellanus de feriis, ubi dicitur, matrimonium quocumque tempore posse contrahi. Nota deinde hic cum Salm.* (4), *quod, si interdictum sit latum ex sententia injusta, quæ videbatur justa secundum probata, in foro externo debet servari, sed non in interno; quare cessante scandalo possunt audiri sacra, recipi sacramenta. Religiosi tamen, quando interdictum servatur ab ecclesia cathedrali vel matrice, tenentur illud servare, etiamsi illud sit nullum ex quocumque capite* (5).

335. — „III. Prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ, etiam „respectu infantium et amentium. Excipe tamen clericos, „qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt „nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepe„liri (6)." *(Clerici igitur in interdicto generali locali vel personali possunt sepeliri in ecclesia, etiam cum missa, sine tamen pompa: in ecclesia vero specialiter interdicta possunt sepeliri, sed sine missa* (7). *Laici tamen sepeliendi sunt in loco non sacro, etiam infantes; et si forte ibi sepulti sint, exhumari debent; cessante autem interdicto omnes in loco sacro reponendi* (8).

336. — „IV. Clerici violantes interdictum peccant mor„taliter (9)" *(Sed excusat parva materia, nempe si clerici exerceant functiones, quæ a laicis fieri possunt* (10); *item si brevi permittant ostium apertum. At clerici ex-*

(1) *l. 7. n. 198.* — (2) *Salm. ib. n. 48. cum Laym., Pal., Navarro etc.* — (3) *Salm. ib. n. 47. cum Coninch., Laym., Pal., Avila etc.* — (4) *l. c. p. 3. n. 30.* — (5) *ex clem. 1. de sent. excomm.; vide Salm de cens. c. 6. p. 3. n. 30. et 31. in fine.* — (6) *Laym. c. 2. n. 3.* — (7) *Salm. ib. p. 6. n. 75. cum Cov., Pal. etc.* — (8) *Salm. ib. n. 69. cum communi.* — (9) *ita etiam Salm. ib. p. 7. n. 80.* — (10) *Bon., Pal. etc. cum Salm. ib. n. 81.*

ercentes ordinem sacrum, si sint specialiter interdicti, vel in loco specialiter interdicto, vel in loco generaliter interdicto januis apertis etc. ut supra, peccant graviter et incurrunt irregularitatem (1). *Admittentes autem laicos interdictos ad officia divina, interdicuntur ipso facto ab ingressu ecclesiæ, i. e. non ad orandum private in ipsa, sed ad exercendos ibi ordines sacros* (2); „sicut etiam „religiosi utriusque sexus, qui insuper excommunicantur „de facto. Laici vero peccant quidem graviter, si contra „interdictum personale recipiant sacramenta; si vero tan„tum violent locale, v. gr. audiendo divina officia, pro„babilius est, tantum esse veniale, dummodo ipsi per„sonaliter interdicti non sint (3)."

DUBIUM III.

Quis censuram interdicti ferre, et quis tollere possit.

337. *Qui possint interdictum ferre; et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis.*
338. *Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata.*
339. *Qui personalia particularia.*
340. *De cessatione a divinis.*

337. — „Resp. I. Interdicere possunt iidem, qui ex„communicare et suspendere." (*Hodie episcopi sine consensu capituli* (*nam olim aliter erat*) *possunt interdicere quoscumque generaliter aut specialiter, ex consuetudine introducta* (4). *Prælati autem regulares possunt interdicere suos subditos, non autem suas ecclesias* (5). „Et quidem, ut determinata persona interdicatur, videtur „requiri culpa mortalis" (*ejusdem personæ* (6); *interdictum enim personale particulare nequit imponi pro culpa aliena. Interdictum autem ad breve tempus, in ordine ad unum tantum vel alterum effectum, potest incurri etiam*

(1) *vide Salm. ib. n. 87.* — (2) *ut dicunt Pal., Coninch., Laymann etc. cum Salm. ib. n. 91.* — (3) *Laymann c. 3. ex Sylv., Soto et Avila etc.* — (4) *Salm de cens c. 6. p. 2. n. 19. cum Panorm., Suar., Pal., Sayr. etc.* — (5) *Salm. ib. n. 20. cum eisdem.* — (6) *ut Salm. ib. n. 21. in fine.*

ob peccatum veniale (1). „Ut autem feratur interdictum „locale vel generale in communitatem, requiritur pec„catum valde grave cum contumacia commissum a ca„pite vel præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

338. — „*Resp. II.* Interdicta localia et personalia ge„neralia, quæ jure communi sunt imposita nec reser„vata, possunt tolli ab episcopo vel alio habente juris„dictionem in communitatem interdictam, non tamen a re„ligiosis privilegiatis, quia locus et communitas foro pœni„tentiæ non subjiciuntur." (*Interdicta generalia lata ab homine non possunt tolli nisi ab eo, qui tulit, vel a Papa* (2).

339. — „*Resp. III.* Ab interdicto juris personali par„ticulari, si reservatum non est, quivis approbatus po„test absolvere. Denique per privilegium absolvendi ab „omnibus censuris non intelligitur potestas tollendi in„terdictum locale aut personale communitatis.

De cessatione a divinis.

340. — Cessatio a divinis est: *Prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis et ecclesiastica sepultura.* Putant autem *Suarez et Fill.* contra alios (3), posse episcopum unum effectum prohibere, et non alterum. Hæc cessatio distinguitur ab interdicto, et non est censura; imponiturque in signum mœroris vel ad reparationem gravissimæ injuriæ Deo irrogatæ; afficitque omnes, qui sunt in loco illo, ubi imponitur (4). Dubitatur autem, an hac cessatione indicta clerici gaudeant privilegio eis concesso tempore interdicti. Negant communius (5); quia cessatio est novum gravamen ultra interdictum. Potest tamen cessatio suspendi per aliquot dies solemnes (6). Sacramenta vero concessa tempore interdicti, ut supra, conceduntur etiam tempore cessationis (7). Cessatio imponitur ab iisdem, qui possunt ferre censuras, præcedentibus monitionibus (8).

(1) *Salmant. ib. n. 22. in fine cum Pal., Coninch. etc.* — (2) *vide Salm. de cens. c 6. p. 8. n. 100.* — (3) *ap. Salm. ib. p. 9. n. 103.* — (4) *vide Salm. ib. n. 102.* — (5) *Salm. l. c. n. 104. cum Pal., Bon, Fill., Sanch. etc. contra aliquos.* — (6) *vide Salm. ib. n. 105.* — (7) *Pal., Bon., Suar. etc. cum Salm. ib. n. 107.* — (8) *vide alia ap. Salm. l. c. n. 109.*

Demum hic obiter notandum id, quod habetur in decreto S. C. cæremoniarum, scilicet: *Non licere cuicumque etc. (personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere; secus immediate cessandum a divinis. Quod nisi servetur, rectores cæterosque ecclesiarum ministros ipso facto excommunicationem incurrere, eamque ecclesiam habendam esse pro interdicta.* Hoc decretum perscriptum est in bullario *Clementis XI. parte 3. decretorum congregationis cardinalium.* Ac deinde notatur ibi: *Et facta relatione Sanctitas sua* (i. e. præfatus *Clemens*) *decretum approbavit, necnon promulgari atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit. Die 3. Octobris 1701.* Ita ap. *Ferraris* (1), qui præterea (2) refert ex pluribus decretis S. C. rituum, esse vetitum, præbere evangelium inter missarum solemnia laicis ad osculandum, sicut etiam præstare ipsis usum throni, eosque admittere ad assistendum in presbyteriis.

CAPUT V.

DE IRREGULARITATE.

„Etsi irregularitas non sit censura, propter similitu„dinem tamen, quam cum ea habet, communiter eidem „annectitur: quapropter et hic subjungo."

DUBIUM I.

Quid et quotuplex sit irregularitas.

341. *Definitio irregularitatis. An irregularitas sit censura. Dupliciter dividitur irregularitas.*

341. — „Resp. I. Est impedimentum canonicum, su„sceptionem ordinum sacrorum et susceptorum usum im„pediens. Unde sequitur, non esse censuram, sed quasi „inhabilitatem: etsi enim interdum imponatur per modum „pœnæ, proprie tamen pœna non est (3)."

Quæritur, an irregularitas sit censura.

(1) *bibl. v. ecclesia n. 28. et 29.* — (2) *n. cit. 29.* — (3) *Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 2., Bonac. d. 7. q. 1. p. 1.*

Prima sententia affirmat (1). Ratio, quia, ut ajunt, definitio censuræ, quod sit pœna ecclesiastica, æque convenit etiam irregularitati.

Secunda sententia vero communior et probabilior (2) docet, irregularitatem non esse censuram, sed potius impedimentum seu inhabilitatem; idque non obscure probatur ex *c. Quærenti de verb. sign.*, ubi *Innocentius III.* interrogatus, quid in bullis pontificiis intelligeretur nomine *censuræ*, respondit: *Quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi.* Cum igitur Pontifex hic dogmatice et indefinite locutus fuerit, enuntiando pœnas, quæ veniunt nomine censuræ, præter eas non est irregularitas neque alia admittenda.

„*Resp. II.* Dividitur 1) in eam, quæ est *ex delicto*, „et quæ est *ex defectu;* 2) in *totalem* seu proprie dictam, „quæ omni ordine suscipiendo et suscepti exercitio pri„vat, v. gr. homicidium, bigamia; et in *partialem*, quæ „aliquo tantum ordinis ministerio privat, vel solo ascensu „ad ordinem superiorem: v. gr. oculis vel palma sacer„dos carens inhabilis est ad missam, non tamen ad con„fessiones audiendas; et diaconus sinistro oculo carens „inhabilis est ad sacerdotium, in suo tamen ordine mi„nistrare potest."

DUBIUM II.

Quinam effectus irregularitatis.

342. *Effectus irregularitatis sunt: 1. Inhabilitare ad ordines suscipiendos; 2. impedire exercitium ordinum; 3. invalidare collationem beneficii. An id valeat de beneficio simplici.*

343. *An collatio tunc sit ipso jure irrita.*

342. — „Resp. Sunt sequentes: 1) Inhabilitare ad „ordines suscipiendos, etiam primam tonsuram;" *(ut*

(1) *et hanc tenent Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 1. et Bann., Led., Gutt., Corn., Cord. etc. ap. Salm. de cens. c. 1. p. 2. n. 11.* — (2) *quam tenent Suar. de cens. d. 1. s. 3., Bonac. d. 1. q. 1. p. 1. n. 4., Pal. d. 1. p. 1. n. 3. et Salm. ib. n. 12. cum Coninch., Val., Avila, Henr., Cand., Machado etc.*

communiter docent (1) „2) impedire exercitium ordinum „susceptorum (2). Unde sacerdos irregularis, etsi valide, „illicite tamen absolvit (3). 3) Quod collatio beneficii, „ad cujus functiones inhabilis est, facta irregulari invalida sit, secundum sententiam communiorem et tutiorem; etsi non improbabiliter quidam dicant, eam non „ipso facto irritam esse, sed merito irritandam (4). Secundum quam sententiam probabilem resolves:

„1. Is, qui beneficium impetravit in irregularitate, postea, obtenta hujus dispensatione, illud in foro conscientiæ licite retinere sine nova collatione, etiamsi in dispensationis impetratione non sit facta mentio beneficii. „Item, si postea beneficio privetur, non tenetur fructus restituere.

„2. Graviter peccat, qui in irregularitate exercet actum „ordinis aut suscipit, licet ordines ei collati sint validi (5)." *(Et sic etiam peccat graviter irregularis suscipiens primam tonsuram, sicut episcopus, qui eam illi confert* (6). *Insuper hic notandum, quod irregularitas nullo modo privet iis actionibus, quæ non requirunt exercitium ordinis, et quas etiam laici exercere possunt, recipere sacramenta et officia canere, sicut et conferre beneficia, quia hæc spectant ad exercitium jurisdictionis, non ordinis; item matrimonio assistere vel licentiam assistendi alteri præbere, dispensare in votis, absolvere a censuris, dare facultatem audiendi confessiones* (7),

Quæritur, an irregularis ipso facto beneficiis privetur. Quoad beneficia obtenta ante irregularitatem certum est apud omnes, irregularem illis non privari; nec privandum a judice, si irregularitas ei supervenerit ex defectu infirmitatis, ut habetur in *cap. Ex parte de cle-*

(1) *Suar. d. 40. s. 1. n. 11., Pal. d. 6. p. 5. n. 2., Bon. p. 1. n. 4., et Salm. de cens. c. 7. p. 2. n. 22. cum Avila et Diana.* (2) *ex c. fin. de temp. ord. et c. 11. de accusat* — (3) *Bon. l. c. n. 4. et p. 4.* — (4) *Laym. l. c. c. 1. n. 2. et 3., Sylv. etc. Bonac. p. 4.* — (5) *ita etiam Pal. d. 6. p. 5. n. 1. et Salm. l. c. n. 21. cum Corn.* — (6) *ut Suar. d. 40. s. 1. n. 11., Bon. d. 7. q. 1. p. 1. n. 4., Pal. n. 2. et Salm ib. n. 22. cum Avila, Corn. et Giball.* — (7) *ita Pal. n. 14., Bon. p. 4. n. 17, Laymann tr. 5. c. 1. n. 1., Renci p. 664. q. 3. cum Fill., et Suar. ac Salm. de cens. c. 7. p. 2. n. 19. cum Coninch. et Cornejo.*

ricis ægrot. Si vero sit de delicto, privari debet per judicis sententiam; et interim, licet ipse non privetur ipso facto, ut clare infertur ex *cap. Ex litteris de excess. prælat.*, tenetur tamen petere dispensationem: at si eam non petit vel non possit obtinere, tenetur statim, nisi magna laboret necessitate, beneficia renuntiare, vel saltem in favorem tertii resignare; quia, cum non possit licite suum implere munus, nequit licite illa retinere; ita communiter (1). Si autem hujusmodi beneficiarius jam per alium impleverit munia sui beneficii, non est fructibus privandus (2).

An autem irregularis sit privandus pensionibus, quas possidet? Regulariter probabilius negant (3): atque sic declarasse S. C. refert *Barbosa* (4). Dictum est: *regulariter;* nam (5) bene poterit judex, si crimen fuerit valde grave, eum etiam pensionibus privare.

343. — Quoad beneficia vero obtenta tempore irregularitatis jam contractæ *dubitatur*, an collatio sit ipso jure nulla. Si irregularitas sit partialis, nempe si irregularis ob aliquem defectum corporalem non possit fieri sacerdos, tunc communiter dicunt, collationem huic factam esse validam et licitam (6). Idemque supponunt etiam ut certum (7), si beneficium sit simplex, nec habeat sibi injunctum officium sive exercitium ordinis sacri, sed tantum recitationem horarum aut aliquid aliud, quod etiam laici possint exercere; tunc enim ajunt valide suscipi tale beneficium ab irregulari. An autem privetur ipso facto beneficiis requirentibus exercitium ordinis sacri? Adest duplex sententia.

(1) *Suar. d. 40. s. 2. n. 15. et 19. et d. 44. s. 2. n. 2., Pal. d. 6. p. 5. n. 9. 11. et 15., Bon. d. 7. q. 1. p. 4. n. 8. 9. et 10., Cont. Tourn. tr. de irreg. p. 1. c. 3., ac Salm. l. c. n. 25. et 28. et cum Avila, Val., Sa, Sayr., Gibald., Pelliz. etc.* — (2) *ut Suar. d. d. 40. s. 2. n. 20., Bonac n. 10., Pal. n. 13., Tourn. p. 15., Holzmann de pœn. eccl. n. 321., Croix l. 7. n 439., et Salm. ib. n. 29. cum Corn., Pelliz. et aliis passim.* — (3 *Suarez d. 44. s. 4. n. 34, Bon. n. 11., Pal n. 12. et Salm. ib. n. 27.* — (4) *in Trid sess. 14. c. 8.* — (5) *ut docent AA. præfati.* — (6) *ita Pal. d. 6. p. 5. n. 5., Cabass. theor. jur. l. 5. c. 19. n. 2., Ronc. p. 113. q. 5. r. 1. v. cæterum, et Pal. d. 9. p. 6. n. 5. cum Val, Bonac, Garcia, Sayro.* — (7) *Salm. de cens. c. 7. p 2. n. 33., Holzm. de pœn. eccl. n. 320., Suarez d. 40. s. 2. n. 31.*

Prima sententia communior affirmat (1). Probatur ex *cap. 2. de clerico non ordinato, ministrante cap. 2. de cler. pugnante etc., c. Dudum de elect., et c. Cum bonæ de ætate et qualitate etc.*, et præsertim ex *Tridentino* (2), ubi dicitur: *Ut nullo tempore ad sacros ordines* (irregularis) *promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia... conferre liceat.* Præterea (3): *Nec aliis imposterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem et cæteras habilitates integre habere dignoscantur; aliter irrita sit provisio.* Ratio, quia beneficium datur propter officium; unde, qui inhabilis est ad officium, cum non possit ordinem exercere, est etiam inhabilis ad beneficium.

Secunda sententia vero dicit, talem collationem non esse irritam, sed tantum a judice irritandam (4). Ratio, quia non sunt imponendæ pœnæ, nisi in jure sint expressæ; nullibi autem habetur expressum, quod irregularitas reddat hominem incapacem beneficii; unde irregularis, quamvis graviter peccet, ut advertit *Suarez*, acceptando et retinendo beneficium sine dispensatione, sicut etiam peccat, qui illud ei confert, tamen, si suppleat per alium munia beneficii, non tenetur fructus restituere. Canones vero, qui opponuntur, teste ipso *Suarez*, qui oppositam sententiam probabiliorem putat, nihil aliud probant, nisi quod talis collatio sit illicita, non tamen invalida. Nec obstat textus Tridentini, ubi dicitur irrita provisio beneficii, quæ fit in personam inhabilem; nam respondetur, irregularem non dici inhabilem ut incapacem beneficii, sed ut illo indignum, nempe inhabilem ad licitam beneficii perceptionem.

Prima sententia videtur probabilior; licet enim jura non expresse declarent hanc collationem invalidam, ta-

(1) *et hanc tenent Suar. d. 40. s. 2. n. 36., vocans communem, Bon. d. 7. q. 1. p. 4. n 6., Less. l. 2. c. 34. n. 129., Cont. Tourn. l. c., Cabass. l 5. c. 19. n. 2.. item Covarr., Avila, Henr., Garcias, Sayr., Villal. et Corn. ap. Salm. ib. n. 30., qui n. 34. etiam dicunt, esse communem.* — (2) *sess. 14. de reform. cap. 7.* — (3) *sess. 22. cap. 4.* — (4) *ita Innoc. in c. Cum nostris de concess. præb., Sylv. v. excomm. n. 5., Laymann tr. 5. p 5. c. 1 n. 3., Viva q 8. art. 1. n. 5., Elbel n. 158, Ronc. p. 113. q 5. r. 1. v. contra, Pal. d. 6. p. 5. n. 7., Diana p. 4. tr. 2. r. 37. et Salm dict. n 34. cum Felino, Ancharano, Giball. etc., et probabile censent Suar. n. 35., Less. l. c. et Coninch., Bon., Hurt. etc. ap. Diana l. c.*

men communior sententia DD. sic illa interpretatur; nam sensus DD., ut fatetur ipse *Laymann*, est optimus legum interpres. Sed hoc non obstante

Secunda sententia videtur satis probabilis. Hic tamen advertendum, quod adhuc stante probabilitate hujus sententiæ nequeat irregularis se immittere in possessionem beneficii, quia, ut diximus *l. 4, 761. v. q. 2.*, nemo cum opinione probabili potest inchoare possessionem rei alienæ.

DUBIUM III.

Quomodo incurratur et tollatur irregularitas.

344. *An in dubio irregularitas incurratur.*
345. *Non incurritur, nisi in jure sit expressa.*
346. *Dub. 1. In dubio de irregularitate contracta, quomodo quis se gerere debeat; et quid, si dubium sit juris?*
347. *Dub. 2. Quid in dubio facti, præter homicidium? Dub. 3. Quid in dubio homicidii commissi? Dub. 4. Quid in dubio de animatione fœtus, si abortus fuerit patratus?*
348. *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis et actus externus ac consummatus.*
349. *Qu. 1. Quid, si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum?*
350. *Qu. 2., an ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis.*
351. *Qu. 3., an etiam scientiæ pœnæ.*
352. *Quot modis tollatur irregularitas.*
353. *Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare. Plura notanda.*
354. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam.*
355. *Prælati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare.*

344. — „Resp. I. Cum ab homine non feratur, nulla „incurritur, nisi in jure expressa habeatur." *(c. Is qui, de sentent. excomm. in 6.)* „Unde in dubio sive facti „sive juris tenere potes, quod non sis irregularis; quia „melior est conditio possidentis (1). Excipe tamen, si „dubites de homicidio, saltem injusto, a te commisso (2).

(1) *Bonac. q. 1. p. 5. ex Suar., Fill. etc.* — (2) *ut patet ex c. Significasti, et ex c. Ad audientiam 2. de homic.; vide Bonac. l. c.*

345. — Plura hic notabilia examinanda. Certum est, quod nulla incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressa, ex *d. c. Is qui de sent. excomm. in 6.*, ubi dicitur: *Cum id non sit in jure expressum etc.* In quo sapienter ait *Suarez* (1), Pontificem ibi nihil novi statuisse; sed principium illud declarasse, quod in dubio judicandum sit, pœnam non esse latam, vel non extendendam ultra casus expressos. Hujus autem juris nomine veniunt tantum decreta Pontificis sive concilii a Papa approbati, non autem aliorum, nec venit consuetudo (2). Hinc infertur, ad incurrendam irregularitatem non valere argumentum a simili, nec a majori ad minus, ut communiter docent (3). Advertit vero *Laymann l. c.*, quod, si dubium vertatur circa aliquam irregularitatem, an sit expressa in jure, admittenda est, semper ac communis sensus DD. et consuetudo eam firmaverint, quia hæc sunt optimæ legum interpretes.

346. — Sed *dubitatur 1.*, utrum in dubio, an quis irregularitatem contraxerit, debeat ut irregularem se gerere. Intellige de dubio prudenti; nam dubium ex scrupulis sive levibus rationibus ortum nihili faciendum est. Intellige etiam de dubio negativo seu suspensivo; nam si dubium sit positivum, ante diligentiam ad veritatem inquirendam quisque debet se gerere ut irregularem (4): nisi gravis necessitas urgeat, nempe si occasio occurrat recipiendi ordines aut beneficium (5). Post vero sufficientem diligentiam is bene potest se habere ut non irregularem, probabili opinioni acquiescens (6). Difficultas igitur est, cum quis dubitat dubio negativo. Respondetur: Si dubium est juris, nempe si dubitatur, an irregularitas sit a jure assignata an non pro aliquo actu,

(1 *d. 40. s. 5. n. 5.* — (2) *ita Suar. d. 40. s. 4. n. 13., Cont. Tourn. tr. de irreg. p. 1. c. 2. v. hinc., Diana p. 8. tr. 7. r. 28. et Salm. de cens c. 7. p. 1. n. 8. cum Pelliz., Gib. et Machado.* — (3) *Pal. d. 6. p. 2. n. 1., Laym. t. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 6., et Salm. de cens. c. 7. p. 1. n 3 cum Corn. et Giball.* (4) *prout docent Sanch. dec. l. 1. c. 10. n. 37., Suar. d 40. s. 5. n. 12., Pal. d. 3. p. 3 n. 3. et Salm. ib. p. 3. n. 42. cum Coninch. ex c. Illud de cler. excomm.* — (5) *ut Salm. ib. cum iisdem.* — (6) *ut Suarez n. 6., Pal. n. 4., Salm. dict. n. 42. in fine cum Hurt., Corn., Giball.*

tunc nemo tenetur se gerere ut irregularem in foro conscientiæ, nec in externo ut talis damnandus est; tum quia in dubio nemo suo jure spoliandus est; tum quia, cum dubitatur de lege, lex non obligat, saltem quia tunc non est sufficienter promulgata: ita communiter DD. (1). Quid, si dubium sit facti?

347. — *Dubitatur 2.*, utrum incurratur irregularitas in dubio facti, nempe si dubitatur, an quis crimen patraverit (præter homicidium, nam de hoc loquemur in dubio sequenti).

Prima sententia affirmat (2) ex *c. Ad audientiam de homic.*, ubi dicitur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.* Ergo in omni materia pars securior sequenda est.

Secunda sententia tamen communis et verior negat (3). *Ratio 1.*, quia odia sunt restringenda, et nemo in dubio est damnandus, ex *regula Favorabiliores 125. ff. de reg. jur.*, et ex *c. Cum sunt eod. tit. in 6.*, ubi: *Cum sunt jura partium obscura, reo favendum est potius quam actori.* Et idem in *c. un. Ut eccles. benef. etc.* Non est autem recedendum ab hac regula tam rationi consona sine textu expresso, qui tantum habetur in dubio homicidii, non vero aliorum criminum. *Ratio 2.*, quia, ut diximus supra *n. 346.*, irregularitas non incurritur, nisi in jure exprimatur; in jure autem solus homicida dicitur censendus esse irregularis in dubio homicidii, non alius delinquens. *Ratio 3.* et potissima est, quia, cum hic dubitetur, an id, quod currit in materia homicidii, currat etiam in aliis materiis, dubium etiam est juris: at in dubio juris etiam adversarii (ut vidimus) concedunt non incurri

(1) *Sanch. dec. l. 1. c. 10. n. 42., Pal. d. 3. p. 3. n. 7., Suar. l. c. n. 4., Bon. de irreg. q. 1. p. 5. n. 2., Ronc. p. 113. q. 1. r. 2., Conc. t. 10. p. 486. n. 9., Diana p. 4. tr. 2. r. 52, Salm. ib. n. 44. cum Coninch., Avila, Corn. et Valent., Moya tr. 5. q. 6. n. 6. cum Lugo, Nav. et Cont. Tourn. de irreg. p. 1. c. 4. concl. 2. v. gravis hic, cum Cov. et Habert.* — (2) *et hanc tenent Conc. t. 10. p. 486. n. 8. et Cont. Tourn. l. c. v. circa cum Sayro et Habert.* — (3) *eamque tenent Cabass. theor. jur. c. 20. n. 14., Suar. d. 40. s. 6. n. 8. et 13., Bonac. n. 3., Diana p. 4. tr. 2. r. 25., Ronc. l. c., Pal. d. 6. p. 2. n. 9., et Salm. de cens. c. 7. p 3. n. 47. cum Coninch., Avila, Machado, Corn., Gib. et Henr.*

irregularitatem. Nec obstant textus allati; nam respondetur 1. cum *Navarro* et *Suarez*, quod ibi ratio adducta (nempe quod in dubiis pars tutior eligenda sit) non assignatur ut præceptum necessario et universe observandum, sed ut rationabile motivum decentiæ, ob quod maxime convenit dignitati sacrificii, ut sacerdos in dubio homicidii a celebrando abstineat, ne, si forte deinde certo fuisse homicida noscatur, cum scandalo populi inveniatur celebrasse; idque aperte declaratur in *c. Petitio tua eod. tit. de homic.*, ubi: *Cum sit consultius in hujusmodi dubio* (scilicet homicidii) *abstinere quam temere celebrare.* Nota illud: *sit consultus;* ergo non est præceptum. Quis autem negat aliquando decere, quod ex rationabili motivo per legem positivam prohibeatur aliqua actio per se non illicita? Sed cum ratio illa indecentiæ soli homicidio competat, alios casus non comprehendit. Respondetur 2., quod, licet ratio alios etiam casus comprehenderet, in irregularitatibus ex delicto, sicut in omnibus aliis pœnis, non est arguendum de uno casu ad alium similem, etiamsi eadem, imo major ratio currat, nisi uterque casus sit in jure expressus; idque fortius procedit in irregularitatibus, circa quas (ut vidimus *n. præced.*) sancitum est nullas incurri nisi illas, quæ in jure expressæ sunt.

Dubitatur 3., utrum censendus irregularis, qui dubitat, an patraverit homicidium. Adsunt diversæ sententiæ. Alii dicunt, hunc esse irregularem tantum in foro externo, non autem conscientiæ (1); alii ex opposito dicunt, esse irregularem in foro conscientiæ, non autem externo (2): sed verius tenendum cum communi, hunc in utroque foro judicandum esse irregularem (3). Et probatur ex *c. Significasti*, *c. Ad audientiam*, et *c. penult. de homic.*, ubi ratio, quæ ibi adducitur, nempe quod in dubio tutior pars eligenda est, utrumque forum comprehendit. Sed hic *notandum 1.*, quod hoc procedit casu, quo aliquis certus

(1) *ita Innoc., Salas, et Henr. ap. Sanch. d. l. 1. c. 10. n. 38.* — (2) *ita Hostiens., Armilla, Tabiena etc. ap. eumd. Sanch. n. 39.* — (3) *ita Pal. n 8., Bon. n. 3., Ronc. p. 114. v. limita., Sanch n. 42. cum Nav., Palud et Led., ac Salm. de cens. c. 7. p. 3. n. 45. cum Cornejo, Avila et Sayro.*

est de homicidio (ut supponitur in præfatis textibus), et solum dubitat, an ipse sua actione fuerit causa illius; secus, si dubitat de ipso homicidio, an fuerit secutum vel non, ut valde rationabiliter dicunt (1). Unde dicit *Diana* (2), quod, si medicus aperuerit venam prægnanti, ut abortus sequeretur: sed postea non constet de abortu secuto, non est censendus irregularis neque in foro interno neque externo: quia (3) non proceditur contra aliquem ad pœnas, nisi constet de corpore delicti. Secus vero dicendum, si media adhibita ad abortum fuerint adeo efficacia, ut ex eis communiter sequatur effectus; quia tunc præsumptio fit ex communiter contingentibus (4). *Notantum 2.*, quod in prædictis textibus sancitum sit, dubitantem de homicidio judicandum esse irregularem quoad duos duntaxat effectus, scilicet *abstinendi a celebratione* et *quærendi dispensationem*, ut jura loquuntur. Ex quo *infertur 1.*, hanc sanctionem valere tantum pro clericis, non autem pro laicis, cum homicidium magis dedeceat statum clericorum quam laicorum (5). *Infertur 2.*, valere tantum ad prædictos duos effectus, non autem quoad alios, nempe privationem beneficiorum etc. (6). *Infertur 3.*, dubitantem de mutilatione non esse habendum ut irregularem, sicut habendus dubitans de homicidio; quia id tantum de homicidio statutum est (7).

Dubitatur 4., an habendus ut irregularis, qui abortum commisit, dubitans, an fuerit vel non fœtus animatus. De hoc vide dicta *lib. 4, 396.*, ubi id negavimus ex sententia veriori cum plurimis AA., quibus adde *Delbene* (8) et doctum auctorem libelli: *Istruzione per li nov. confessori* (9), qui testatur, in praxi prolem fœmineam non censeri animatam nisi octogesimo die, masculinam vero qua-

(1) *Pichler l. 5. tit. 12. n. 8., Elbel n. 190., Diana p. 7. tr. 5. r. 24., Tamb. de irreg. c. 5. §. un. et Sporer tr. 5. p. 131.* (2) *p. 7. tr 5. r. 26. cum Nav., Menoch. et Quaranta.* — (3) *ut habetur in l. 1. §. Item illud ff. ad Syllan.* — (4) *ut Nav. et Muscard. ap. Dian. l. c. ex l. ult. c. de fide instrum.* — (5) *ita Salm. de cens. c. 7. p. 3. n. 45. et Ronc. c. 2 q. 1. in fine.* — (6) *ut Sanch l. 1 c. 10. n. 43., Suar. d. 40. s. 6. n. 6., Ronc. et Salm. ll. cc. et Pal. d. 6. p. 3. n. 8. cum Panorm, Mol., Coninch., Sayro, Hurt. et Salas.* — (7) *ut Sanchez n. 49., Bon. p. 5. n. 4., Ronc. p. 114. v. duo, Salm. dict. n. 45. in fine et Suar. d. 40. s. 5. n. 14. contra Nav. et Henr.* — (8) *c. 2. d. 4. s. 20. n. 22.* — (9) *p. 2. c. 18. n. 464. et 465.*

dragesimo, ut tradunt *s. Thomas* cum *Alberto Magno* et alii. Idque confirmatur ex dictis *n. præcedenti.**)

348. — „*R sp. II.* Ut incurratur irregularitas ex de-„licto, requiritur actus externus, consummatus et morta-„lis, ut habet communis contra *Cajetanum*. Ratio est, quia „est gravis pœna et difficulter relaxatur."

Ideo ad hanc irregularitatem incurrendam *requiritur 1.* peccatum mortale: ex quo infertur, quod, si quis excusatur a mortali ex aliqua circumstantia, excusetur etiam ab irregularitate (1): ex *c. 5. de pœnis in 6.*, ubi dicitur, pœna gravissima non esse infligenda pro levi culpa. Infertur præterea, quod præceptum obligans sub pœna irregularitatis intelligitur etiam obligare sub mortali (2). *Requiritur 2.* actus exterior. Quando autem in aliqua bulla aut canone conceditur dispensare in irregularitate mentali, intelligitur revera, quando irregularitas est occulta (3). *Requiritur 3.* actus exterior consummatus (4).

349. — Sed *quæritur 1.*, an incurratur irregularitas ob crimen externum et consummatum, sed prorsus occultum, ita ut a solo delinquente notitia haberi possit. Adsunt tres sententiæ:

Prima sententia universe negat (5); quia, ut ajunt, non datur irregularitas, nisi in jure sit expressa; in jure autem nullibi fit mentio de irregularitate ob crimen omnino occultum.

Secunda sententia (6) excipit tantum homicidium, quia tantum in crimine homicidii irregularitas inducta est non solum propter scandalum aliorum, sed etiam propter in-

(1) *ut docent Sanch. de matr. l. 9. d. 32. n. 9., Suar. d. 40. s. 3. n. 17., Cont. Tourn. de irreg. p. 1. c. 2. r. 2., Conc. t. 10. p. 486. n. 8., Escob. l. 51. n. 6. et Salm. de cens. c. 7. p. 1. n. 12. cum Coninch., Diana et aliis passim.* — (2) *Suarez, Pal., Coninch. et Salm. ib.* — (3) *Pal., Coninch., Cov., Avila etc. communiter cum Salm. ib. n. 13.* — (4) *ut Cont. Tourn. l. c. et Salm. ib. cum Soto, Pell., Gibalt.; vide dicta de censur. c. 1. n. 36.* — (5) *et hanc tenent Rodriquez, Mendo, Castro, Bruno etc. ap. Diana p. 12. miscell. in fine libri n. 6. p. 97. v secundum dubium.* — (6) *quam tenent Ledesma, Corduba, Henriq. etc. ap. Salm. ib. n. 16.*

*) Quidquid sentiant medici juniores, jus tamen antiquum adhuc est immutatum.

Editor.

trinsecam indecentiam, ne sacerdos offerens vice Christi, agni mansueti, post homicidium ministret in altari; item quia respectu ad homicidium in Tridentino (1) dicitur: *Qui per industriam occiderit proximum suum..., ab altari avelli debet etc.* Ergo, quicumque occidit ex industria, etsi occulte, jam fit irregularis.

Tertia sententia verior (2) universe affirmat, non solum quoad homicidium, propter rationes mox allatas, sed etiam quoad alia crimina. Ratio, quia ecclesia crimina reservando etiam occultissima reservat, modo suæ jurisdictioni subjaceant, nempe si sint externata, licet nulli alii patefacta, prout imposuit excommunicationem hæresi omnino occultæ (ut dictum est *n. 305.*) Quod autem de facto irregularitatem imposuerit delictis quomodocumque occultis, patet ex *c. 6. Liceat Trid. sess. 24.*, ubi concilium, facultatem præbens episcopis absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis, nominat sub unico vocabulo *occultis* hæresim, homicidium et alia crimina; ergo sicut propter hæresim omnino occultam jam incurritur excommunicatio, et propter homicidium omnino occultum irregularitas, ita etiam propter alia crimina occulta irregularitas incurritur. An autem irregularitas proveniens ex homicidio prorsus occulto possit dispensari ab episcopo: vide infra *n. 392.*, ubi id negabimus.

350. — *Quæritur 2.*, an ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur scientia legis ecclesiæ prohibentis.

Prima sententia universe negat, dicens, sufficere solam cognitionem peccati commissi (3). Ratio, tum quia lex humana intendit punire non solum transgressionem sui præcepti, sed etiam legis divinæ; tum quia, qui vult antecedens, vult etiam consequens; unde, qui vult peccatum, vult etiam pœnam peccati.

Secunda sententia vero communissima et probabilior affirmat (4). Et *probatur 1.* ex *cap. Proposuisti dist. 82.*,

(1) *sess. 14. c. 7.* — (2) *quam tenent Pal. d. 6. p. 2. n. 1., Diana l. c. et p. 7. tr. 11. r. 48. et Salm. de cens. c. 7. p. 1. n. 16. cum Cov., Avila, Coninch. et Pelliz.* — (3) *ita Suar. d. 40. s. 5. n. 10., Holzm. de pœn. eccl. n. 311. et Azor, ac Felin. ap. Sanch. l. 9. d. 32. n. 16.* — (4) *et hanc tenent s. Anton. 3. p. tit. 24. c. 33. sub fine, Bonac. de censuris d. 1. q. 2. p. 1. n. 13., Pal. de peccat. tr. 2. d. 1. p. 17. n. 6., Nav.*

ubi *Innocentius I.* declaravit, quosdam clericos incontinentes non esse deponendos juxta constitutionem *Siricii Papæ*, eo quod eam ignorabant: et tamen eorum incontinentia erat quidem contra legem naturalem. *Probatur 2.* ratione, quia, cum lex ecclesiastica imponit pœnam super crimine a lege divina vetito, novum jus condit; qui autem peccat contra legem divinam, ignorans invincibiliter ecclesiasticam, peccat utique contra illam, non vero contra hanc; ergo incurrere debet quidem pœnam divinæ legis, non autem humanæ, juxta dicta *l. 6, 1072.*

Idem dicendum putant(1) de eo, qui committit homicidium, ignorando legem ecclesiæ illud vetantem, vel in rixa ad legem non advertendo: hunc enim dicunt excusari ab irregularitate, cum eam non incurrat neque ob delictum neque ob defectum: non ob delictum, quia non peccat contra legem ecclesiæ, quam ignorat vel ad quam non advertit, juxta sententiam mox supra probatam; neque ob defectum, quia irregularitatem ex defectu solum incurrunt ii, qui ad occisionem concurrunt ut ministri necessarii ad causæ cognitionem vel executionem pœnæ, ut probabiliter alibi dicunt(2). Attamen docent incurrere *Suarez*(3), *Bossius*(4) et *Diana*(5) cum *Merolla* et *Mercero*; nam ideo imposita est irregularitas homicidio, quia est actio lenitati contraria, quæ valde dedecet altaris ministrum; unde talis homicida non proprie ratione delicti aut defectus irregularitatem incurrit, sed ratione indecentiæ, propter quam ab altari est repellendus, juxta id quod dicitur in Tridentino(6), ubi: *Cum etiam, qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari avelli debeat.* — Hæc secunda sententia videtur valde probabilis et tenenda; sed primam non audeo reprobare,

c. 23. n. 47. et c. 27. n. 19. cum Caj., Sylv. et Ang., Sanch. l c. n. 9. et 17. cum Innoc., Abb., Host., Manuel, Vivald. etc., Salm. de cens. c. 7. p. 3. n. 49. cum Cornejo, et Leand. ac Boss. de usu matr. c. 5. n. 158. cum Panorm., Henr., Tab., Vill. et Reg.

(1) *Pal. de cens. d. 6. p. 6. n. 3., Viva q. 8. a. 2. n 7., et Salm. l. c. n. 51. in fine cum Cornejo, Leand. et Machado.* (2) *Palaus p. 14. §. 3. n. 7., Diana p. 3. tr. 5. r. 80., et Salm. tr. cit. c. 9. p. 1. n. 8. in med. cum Vasq., Hurt., Pelliz. et Turriano.* — (3) *t. 3. d. 31. s. 6. v. solet autem.* — (4) *l. c. n. 174.* — (5) *p. 4. tr. 2. r. 85.* — (6) *sess. 14. c. 7.*

cum hujusmodi irregularitas in casu præfato non habeatur omnino expressa in jure.

351. — *Quæritur 3.*, an ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur etiam scientia pœnæ, i. e. irregularitatis.

Prima sententia negat (1). Ratio, quia irregularitas non est pœna medicinalis ad cavenda crimina in futurum, sed est inhabilitas vel pœna mere punitiva propter maculam culpæ, ob quam ecclesia reddit delinquentem inhabilem ad altaris ministerium; unde sufficit, quod talis pœna sit imposita a lege actui vetito, quem reus jam scienter et culpabiliter committit, licet ignorans pœnam. Præterea, qui vult causam, i. e. peccatum, debet subjacere etiam effectui, scilicet pœnæ, quamvis ignoratæ. Hæc sententia est quidem valde probabilis.

Secunda sententia vero affirmans satis etiam probabilis videtur (2). Ratio, quia irregularitas ex delicto censetur vera pœna imposita in vindictam criminis. Licet autem non requiratur scientia pœnæ, ut ipsa incurratur, quando pœna est ordinaria et talis, ut ex natura ipsius criminis aliquo modo prævideri possit, cum ipsum lumen naturale dictet, malum juxta suam naturam esse puniendum; requiritur tamen scientia pœnæ, quando illa est extraordinaria et exorbitans, ita ut secundum rei naturam ne in confuso quidem possit prævideri; et hujusmodi utique est pœna irregularitatis. Nec obstat dicere, quod volens peccatum debet sustinere pœnam. Nam respondetur cum *Navarro* (3), quod, esto ad pœnam incurrendam

(1) *et hanc tenent Suar. d. 40. s. 5. n. 9., Laym. l. 1. tr. 4. c. 20. n. 6., Croix l. 7. n. 482., Cont. Tourn. de irreg. p. 1. c. 4. concl. 1., Anacl. de cens. d. 3. q. 1. n. 5., Elbel de irreg. n. 161, Holzm. n. 311. cum Cardena et Pichler, item Sotus, Pontius, Mol., Vasquez, Azor, Salas, Reg., Fill. etc. ap. Boss. de usu matr. c. 5. n. 168.* — (2) *et hanc tenent Navarr. man. c. 23. n. 47., Sylv. v. ignorantia q. 8. d. 1., Sanch. de matr. l. 9. d. 32. n. 21., Pal. tr. 2. de pecc. d. 1. p. 17. n. 7. et tr. 29. de cens. d. 6. p 6. n. 3., Ronc. p. 114. q. 2., Tamb. de cens. l. 10. tr. 4. c. 4. §. 5. n. 3., Diana p. 4. tr. 2. r. 85., Boss. l. c. n. 174. cum Coninch., Sayro, Duardo, Felino etc., item Corn., Rodr., Portell. et Leand ap. Salm. de censur. c. 7. p. 3. n 53., qui vocant æque probabilem ac primam; et etiam probabilem censent Suarez l. c. et Renzi p. 366. q. 7.* — (3) *c. 27. n. 174.*

non requiratur consensus in pœnam, tamen requiritur consensus in causam pœnæ; et ut quis consentiat in causam pœnæ, docet *d. Thomas* (1), non sufficere consensum in actum peccaminosum, qui jam est causa pœnæ, sed peccantem debere scire, talem actum esse causam pœnæ.

352. — Quatuor autem modis tollitur irregularitas: 1) Per cessationem causæ, si irregularitas sit ex defectu, v. gr. ætatis, ignorantiæ, paupertatis etc. (2). Notandum autem, quod, cum quis est irregularis ob infamiam, si infamia sit *popularis*, tollitur per emendationem (3); si est infamia *facti*, tollitur per mutationem loci (4): si vero infamia est *juris*, scilicet per sententiam judicis, tunc ad eam tollendam omnino requiritur dispensatio. 2) Per baptismum, si irregularitas sit ex delicto: qui enim homicidium patravit ante baptismum, post illum non manet irregularis (5); 3) per dispensationem, de qua *n. seq.*; 4) per professionem religiosam, de qua infra *n. 354. et 355.*

353. — „*Resp. III.* Irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, hac vel simili forma: „*Dispenso tecum in irregularitate, quam vel quas ob „hanc vel illam causam incurristi.* Et si quidem dispensans intendat tollere omnes idque possit, omnes tollit: „sin minus, eam tantum tollit, quam potest et vult. Etsi „vero hæc dispensatio ad Pontificem spectet, ex jure tamen novo Tridentini, ubi est receptum, potest episcopus dispensare in irregularitatibus provenientibus ex „delicto occulto et non deducto ad forum contentiosum; „nisi tamen sit homicidium directe et in se volitum (6).

Hic *notandum 1.*, quod, si dispensaretur a Papa super aliqua irregularitate sine justa causa, dispensatio erit valida, quamvis non licita: si vero dispensaretur ab inferiore, erit et amplius nulla (7). *Notandum 2.* Si quis plures irregularitates contraxerit ejusdem speciei, puta si

(1) *2. 2. q. 65. art. 8.* — (2) *Suar. d. 41. s. 1. n. 6., Laym. tr. 6. p. 5. c. 4. n. 10., Cont. Tournely de irreg. p. 3. c. ult., Ronc. p. 114. q. 3. r. 1., et Salm. de cens. c. 7. p. 4. n. 55. cum Sayro etc.* — (3) *ex cap. 3. et c. 18. dist. 56.* — (4) *Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c. 6. in fine, et Ronc. p. 114. q. 3.* — (5) *Salm. ib. n. 57. cum Coninch., Sayro etc.* — (6) *Bon. q. 5. p. 1. n. 3. ex Trid. sess. 24. c. 6., Suarez, Sanch., Fill. etc., Laym. c. 9. n. 4.* — (7) *Salm. de cens. c. 7. p. 4. n. 60.*

pluries ministrarit cum censura, sufficit tunc ad obtinendam dispensationem, si dicat, pluries in illas incidisse (1). Imo docent (2), sufficere, si dicat tantum, se irregularem esse ob talem culpam. *Notandum 3.*, quod prælatus, si admittat quemdam ad ordinem vel beneficium, quem scit irregularem, censetur cum eo dispensare (3).

354. — „Præterea irregularitas ex defectu natalium „tolli etiam potest per professionem in religione appro„bata, sed quoad ordines tantum, non quoad prælaturas (4) „*(ex concessione Gregorii XIV., Clementis VIII. et Pau„li V.)*, contra *Villal.*, qui apud *Diana* (5) dicit, tolli quoad „omnia solita gubernari per fratres illius ordinis, ut prio„ratus, præposituras, rectoratus et cætera munia, circa „quæ prælatos saltem posse cum iis dispensare, in ca„pitulo tamen generali vel provinciali, notat *Diana* (6)." *(Notant autem* (7), *quod dispensatio ad dignitates non intelligitur ad episcopatum. Quod autem dicit Solus, scilicet per professionem religiosam tolli omnes irregularitates, id communius negant AA.* (8).

Unde resolves:

„1. Solus Papa, et qui ab eo accepit privilegium, potest „dispensare in irregularitatibus ex defectu.

„2. Confessarius in nullis irregularitatibus potest dis„pensare, nisi habeat speciale privilegium a Papa.

355. — Prælati autem regulares (9) ex privilegio *s. Pii V.* in bulla 23., relato in extensum a *Salm.* (10), et ex alio *Gregorii XIII.* (11), possunt dispensare cum suis subditis

(1) *ita Suarez d. 44. s. 3. n. 28., Pal. d. 6. p. 7. n. 3., et Salm. ib. n. 61. cum Coninch.* — (2) *Sanch. de matr. l. 8. d. 24. n. 7. et Nav, Henr. ac Avila ap. Salm. l. c.* — (3) *Bon. disp. 7. q. 5. p. 1. in fine ac Salm. ib. in fine cum Henr. et Avila.* — (4) *c. 1. de filiis presbyt., Bon. p. 2., Laym. c. 9. n. 6., Suar., Sanch., Less. (ita etiam communiter Sanch. de matr. l. 7. d. 86. n. 4., Suar. d. 41. s. 1. n. 3., Holzmann n. 323. v. per professionem, et Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c 1. v. quod dixi.)* — (5) *p. 4. tr. 2. res. 65.* — (6) *l. c. ex Barb. (et ita etiam Pal. d. 6. p. 7. n. 2. et Holzm. l. c. cum Sayro.)* — (7) *Bon. d. 7. q. 2. p. 3. n. 14. et Cont. Tourn. l. c. cum Sayro.* — (8) *ap. Salm. de cens. c. 7. p. 4. n. 58.* — (9) *ut dicunt Salm. eod. tr. c. 8. p. 6. n. 72. cum Bauny, Cand. et aliis, ac Sporer suppl. p. 149. n. 167. cum Herinx.* — (10) *ib. c. 2. p. 6. n. 72.* — (11) *allato dict. c. 8. p. 6. n. 71.*

in omni irregularitate occulta, in qua possunt episcopi cum suis. Et etiamsi irregularitas proveniat ex bigamia et homicidio adhuc voluntario, modo non sit notorium (1), ex privilegio *Martini V.* relato apud *Rodriquez* et *Sporer l. c. cum Portello.* Qui tamen ait cum eodem *Rodriquez*, id intelligi tantum de dispensatione ad ordines, non ad prælaturas. Quomodo regulares possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario: vide dicenda *dub. seq. in fine n. 396.* Hoc respectu ad subditos. Quod vero ad sæculares, docent (2), posse confessarios regulares dispensare in omnibus irregularitatibus, in quibus possunt dispensare episcopi cum subditis suis, ex privilegio *Sixti IV.* in bulla 9. Minimis concesso, et confirmato a *Julio II.* in sua constitutione, quæ incipit: *Dum ad sacrum ordinem* (3). Ibi confessariis illorum concessa est facultas *ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, et super quacumque irregularitate ordinaria, tam a jure quam ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi et dispensandi, ac vota quæcumque permutandi, sicut potest diœcesanus.* Hujusmodi privilegium *Bauny* testatur jam esse in usu, sed *Lezana* de hoc dubitat; at *Salm.* (4) dicunt, quod usus talis privilegii, cum sit occultus, spectando ad forum pœnitentiæ, nemo testari potest, an sit vel non sit in usu: præterquam quod addunt, privilegia maxime gratiosa non amitti per non usum (5). Et etiamsi Minimi illo nequirent uti ob non usum, dicunt tamen, alios regulares in privilegiis communicantes non interdici ab illis utendis. An vero ex bulla cruciatæ possit confessarius electus dispensare in irregularitatibus ex delicto: vide *Salmanticenses* (6).

(1) *ut ait Pal. d. 6. p. 7. n. 2.* — (2) *Sporer suppl. p. 150. n. 170. cum Suar., Sanchez, Bassæo, Sayro etc., ac Salm. tr. 18. de privil. c. 4. p. 2. §. 12. n. 170. et de cens. c. 7. p. 4. n. 63. cum Pell., Lez., Rodr., Henr. etc.* — (3) *ut testatur Peyrin. ad const. I. Julii II. §. 22. ap. Salm. tr. 18. de privil. c. 4. p. 2. §. 12. n. 171.* — (4) *de privil. c. 4. p. 2. §. 12. n. 171.* (5) *ut ajunt probasse in eod. tr. c. 2. p. 2. §. 2. n. 13.* — (6) *de cens. c. 7. p. 4. n. 66.*

DUBIUM IV.

Quæ sint irregularitates ex delicto.

356. *Irregularitas ex delicto incurritur: I. Ob baptismum iteratum.*
357. *II. Ob violationem censuræ.*
358. *Plura notanda. (An autem, qui ordinatur ligatus censura, incurrat irregularitatem.)*
359. *III. Ob exercitium actus ordinis sacri, quem aliquis clericus non habet.*
360. *IV. Ob malam susceptionem ordinum.*
361. *Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem.*
362. *V. Ob crimina infamia et notoria.*
363. *Requiritur notorietas facti vel juris. Quæ sint crimina et exercitia, quibus annexa est infamia.*
364. *Quomodo tollatur hæc irregularitas.*
365. *VI. Ob homicidium vel mutilationem.*
366. *De irregularitate ob homicidium voluntarium.*
367. *Hanc irregularitatem incurrunt: 1) Qui occidunt vel mutilant.*
368. *Dub. 1. Quid, si homicidam pœniteat ante mortem?*
369. *Dub. 2. Quid, si unus feriat, sed alii occidant?*
370. *2) Incurrunt mandantes vel consulentes homicidium vel mutilationem.*
371. *Dub. 1. Quid in dubio, an homicidium causatum fuerit ex mandato sive consilio?*
372. *Dub. 2. Quid, si homicida jam erat determinatus ad occidendum?*
373. *Dub. 3. Quid, si consulens consilium revocet?*
374. *3) Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem, nempe: 1. Excitantes; 2. præliantes in bello injusto; 3. ministrantes auxilium; 4. accusantes etc.; 5. associantes.*
375. *Dub. 1., an incurrant ratihabentes.*
376. *Dub. 2., an non impedientes.*
377. *De irregularitate ob homicidium vel mutilationem casualem.*
378. *De mutilatione membrorum.*
379. *Dub. 1. Quid veniat nomine membri?*
380. *Dub. 2., an fiat irregularis, qui abscindit testiculos.*
381. *Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare episcopi.*
382. *Plura apud Busembaum, et præsertim, an dans potum infirmo vel eum admovens incurrat irregularitatem.*
383. *Si quis dat operam rei licitæ, non fit irregularis, nisi apponat negligentiam mortaliter culpabilem.*
384. *Hinc excusantur: 1. Magister et pater verberans, si etc.; 2. equitans in equo feroci; 3. alens feram ligatam;*

4. reficientes tectum; 4. clericus in sacris aut monachus medens sine incisione vel adustione.

385. *Quid de clerico beneficiato medente cum incisione?*
386. *Si quis dat operam rei illicitæ, non fit irregularis, si res non est periculosa.*
387. *Quid, si periculosa?*
388. *Quid, si quis occidat ad defensionem sui vel innocentis? Et quid, si adulter occidat maritum aggressorem?* Remissive ad l. 4, 398. v. in ordine.
389. *An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum etc.*
390. *Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium.*
391. *An episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario.*
392. *Et quid, si homicidium fuerit omnino occultum?*
393 *Quid, si homicidium fuerit casuale?*
394. *An reputetur casuale homicidium patratum in rixa.*
395. *Et quid, si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen?*
396. *Quomdo prælati regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium vel mutilationem cum subditis suis; et quomodo cum laicis.*

356. — „Resp. *Prima* est ob iteratum baptismum „serio et scienter; estque irregularis tam baptizans „quam baptizatus; etsi in rebaptizante irregularitas tan„tum sit causa partialis, ne clericus ad altiorem ordinem „possit ascendere, neque incurratur, si rebaptizatio sit „occulta(1),

Per rebaptizationem occultam non solemnem probabilius non incurritur irregularitas(2), ex *cap. Ex litterarum 2. de apostat.*, ubi, cum de rebaptizato sermo fiat, dicitur: *Ad superiores ordines promoveri* (*si publicum est, quod proponitur*) *non valebit, nisi ad religionem transire voluerit; si vero occultum est, promoveri poterit.* Hinc *nota 1.*, quod irregularitas adversus eum, qui scienter rebaptizatur, habetur ex *c. 64. Confirmandum dist. 50.*; adversus autem rebaptizantem habetur tantum ex communi sententia DD., ut testantur *Salm.*(3), et colligitur ex *c. Ex litterarum*, ubi declaratur irregularis acolythus assistens rebaptizationi. Rebaptizans vel rebaptizatus ex

(1) *Covarr., Tolet., Marcus Leo p. 3. s. 318.; vide Bon. d. 7. q. 3. p. 3., Laymann l. 1. t. 5. p. 5. c. 2.* — (2) *ut tenent Salm. de censur. c. 8. p. 5. n. 60. (licet contrarium teneant Bonac. d. 7. q. 3. n. 1. et 7., Pal. d. 6. p. 16. n. 1. ap. Salm. dict. n. 60) cum Sylv., Laym. et Coninch.* — (3) *ib. n. 59.*

metu sine intentione, vel sub conditione (etsi temere et culpabiliter fiat) probabiliter non fiunt irregulares (1). Ignorantia culpabilis tamen hos non excusat (2): secus, si inculpabilis (3). *Nota 2.*, quod est etiam irregularis, qui baptizatur ab hæretico declarato sine ulla necessitate (4): insuper, qui differt baptizari usque ad mortis periculum (5).

357. — „*Secunda* ex violatione censuræ, v. gr. si ea „innodatus actum aliquem ordinis solemniter exerceat, „nisi invincibilis ignorantia excuset (6).

358. — *Notandum hic I.*, quod, qui celebrat innodatus excommunicatione minori, non incurrit irregularitatem (7): imo nec irretitus excommunicatione majori, si exerceat actum ordinum minorum, adhuc solemniter et ex officio (8). Nec si exerceat actum ordinum majorum, sed non solemniter, i. e. diaconatus sine stola, subdiaconatus sine manipulo; cum tales actus sic exerceri possint etiam a cantoribus (9). Nec qui canit solemniter officium, nisi sit hebdomadarius capituli, solemniter dicendo orationem cum *Dominus vobiscum*; quia tale ministerium ex consuetudine a sacerdotibus aut diaconis exercetur. Nec qui concionem habet, quia hoc munus de licentia episcopi potest exerceri etiam a non constituto in sacris, cum sit actus jurisdictionis, non ordinis (10). Nec qui exercet actum non ordinis, sed jurisdictionis, scilicet si episcopus excommunicet, si parochus assistat matrimonio (11).

Notandum II., ad incurrendam hanc irregularitatem requiri, ut censuratus scienter actum ordinis exerceat, quia illa tantum ob contemptum censurarum imposita est. Episcopus vel alius sacerdos censuratus, cogens alium

(1) *ut Pal. l. c. n. 5., Suar. d. 31. s. 6. dub. 5., Cont. Tourn. de irreg. p. 3. c. 2. v. qu 3. et Salm. ib. n. 61. cum Navarro, Corn. et Avila.* — (2) *ex c. Quibus de consecr. dist. 4.* — (3) *Pal. n. 6., Salm. de censur. c. 8. p. 5. n. 62. cum Soto, Sayro etc.* — (4) *ut habetur ex can. Ventum est causa 1. q. 1.* (5) *ex c. Si quis dist. 57.; vide Salm. ib. n. 65.* — (6) *Laym. c. 3.* — (7) *ex c. Si celebrat de cler. excomm. min.* — (8) *ita Bon. q. 3. p. 5. n. 1., Laym. c. 3. n. 4., Nav. c. 27. n. 242. et 244., Anacl. tr. 13. dist. 3. n. 13., et Avila, Fill., Corn. cum Salm. l. c. p. 6. n. 66.* — (9) *Salm. ib. n. 68. et Anacl. l. c.* (10) *Suarez d. 12. s. 2. n. 4. et Salm. ib. n. 69. cum Avila, Sylv., Sayro, Henr. etc.* — (11) *Anacl. n 14. et Diana, Avila, Sylv., Sayr., Henr. etc. cum Salm. dict. n. 69.*

ad celebrandum coram se, fit irregularis (1). Ab hac autem irregularitate tantum Pontifex potest absolvere, vel episcopus, si sit occulta; et prælati regulares cum suis religiosis, etiamsi sit publica (2): imo etiam cum sæcularibus (3), ex privilegiis *Martini V. et Julii II.*

Notandum III. (4), quod, si celebret in ecclesia polluta, non fit irregularis; fit vero, qui celebrat scienter in loco interdicto, quia jam violat censuras per exercitium ordinis (5).

Notandum IV. (6), quod, qui ordinatur ab episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schismatico aut simoniaco, fit irregularis: argumento ex *c. Quod quidam et c. Statuimus causa 1. q. 1.*, item ex *c. Ordinationes q. 9. et c. 1. et 7. de schism.*, ubi dicuntur hujusmodi ordinationes indigere dispensatione. An autem incurrat irregularitatem, qui ordinatur aliqua irretitus censura: vide *l. 6, 799. dub. 3. v. utrum.*

359. — „*Tertia* ob peccatum, quo clericus serio et „scienter actum ordinis sacri, quem non habet, solemni„ter exercet (7).

Ex hoc capite igitur, ut dicit *Busembaum*, fit irregularis clericus ministrans scienter et solemniter in ordine sacro, quem non habet (8): nempe, si non diaconus canat evangelium cum stola etc.; vel si non sacerdos absolvat sacramentaliter, solemniter baptizet etc. An autem laicus exercens actum ordinis, quem non habet, incurrat irregularitatem? Probabilius negatur juxta dicta de baptismo *lib. 6, 116. v. dub. 3.* Qui est ligatus duplici censura et exercet actum ordinis sacri, etsi non incurrat duplicem irregularitatem, incurrit tamen unam duplici æquivalentem; unde in petitione dispensationis id exprimere debet (9). Sacerdos autem simplex excipiendo confessiones non incurrit irregularitatem; quia hic revera exercet actum ordinis, quem jam habet, licet ca-

(1) *ex c. Illud. de cler. excomm. min.* — (2) *ut tenent Bord., Sayr., Corn.. Cand. etc. ap. Salm. de cens. c. 8. p. 6. n. 72.* — (3) *ut Peyr., Fragosa et Antonius a Spiritu sancto ibid.* — (4) *cum Cabass. l. 5. c. 20. n. 13.* — (5) *ex c. Is qui 18. de sent. excomm. in 6.* — (6) *cum Anacl. tr. 13. dist. 3. n. 16. et Nav. ib.* — (7) *Bon. l. c. p. 6., Laym. l. c. c. 3.* — (8) *ut ex c. 1. et 2. de cler. non ord. min.* — (9) *Cont. Tourn. de irreg. p. 3. c. 4. concl. 2. v. quæres 2.*

reat jurisdictione, ut recte ait idem *Cont. Tournely l. c.* Unde peccat, sed non incurrit irregularitatem.

360. — „*Quarta* ob delictum, quo quis male susce„pit ordines, v. gr. in excommunicatione, suspensione, „vel ab episcopo non habente jurisdictionem, vel per sal„tum (licet hunc suspensum tantum esse, quamdiu non „ministrat in ordine per saltum suscepto, satis proba„biliter doceant *Avila*, *Navarrus*, *Bonacina*), vel ante le„gitimam ætatem, vel sine dimissoriis, vel furtive (epi„scopo nesciente nec approbante), et non examinatus (1).

361. — Ex furtiva ordinum susceptione fit irregularis: 1) Qui ordinem recepit sine approbatione episcopi; nam is prohibetur ad alium ordinem ascendere (2); 2) qui sine dispensatione episcopi eodem die recipit plures ordines, quorum unus sacer est (3); 3) qui post matrimonium contractum ante consummationem ordinem sacrum recipit renitente uxore (4). Alias vero furtivas receptiones ordinum, quas enumerat hic *Busembaum*, dicunt (5), potius inducere suspensionem quam irregularitatem; nihilominus pro absolutione hujusmodi suspensionis semper recurrendum ad Papam: vide dicta *n. 318.*

In hac autem irregularitate nequit dispensare episcopus, si crimen est publicum, et ipse ante ordinationem præceperit sub pœna excommunicationis (ut mos est), neminem furtive accedere (6); vide *Salm.* (7), qui insuper dicunt cum *Fragosa etc.*, regulares posse dispensare etiam cum sæcularibus, sicut in aliis irregularitatibus occultis, ita etiam in hac, ex privilegio *Sixti IV.* et *Julii II.* juxta dicta *n. 355. in fine.*

362. — „*Quinta* propter enormia crimina, si sint no„toria et publica, v. gr. quæ a jure habent annexam in„famiam, ut adulterium, raptus, incestus, perjurium in „judicio.

Hæc irregularitas ex infamia (8) potius reducitur ad irregularitatem ex defectu quam ex delicto, cum infa-

(1) *vide Bonac. d. 7. q. 5. p. 4.* — (2) *ex c. 1. de eo qui furt. etc.* — (3) *ex cap. 2. et 3. eod. tit.* — (4) *ut ex extrav. Antiquo de voto.* — (5) *Suarez d. 42. s. 3. n. 5., Pal. d. 6. p. 17. n. 1, Salm. t. 10. c. 8. p. 7. n. 73 cum Coninch. et Corn.* (6) *ex c 1. eodem tit. ut supra.* — (7) *ib. n. 75.* — (8) *ut ait Croix l. 6. n. 512.*

mia non sit aliud quam defectus bonæ famæ. Omnes infames irregulares fiunt (1). Et hoc intelligitur, sive infamia sit ex jure canonico sive ex civili: item, sive infamia sit juris sive facti; quamvis (2) dicant, infamiam facti inducere quidem irregularitatem ad non suscipiendos ordines, sed non ad ministrandum in susceptis; infamiam vero juris ad utrumque.

363. — Ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur, ut crimen, cui annexa est infamia, sit notorium notorietate facti vel juris. *Facti:* per publicam famam. Requiritur tamen (3), ut factum non solum sit publicum, sed etiam notorium, seu ita evidens majori parti vicinæ seu collegii (ubi ad minus sint decem), ut nulla possit tergiversatione celari. Item ait *Viva* (4), requiri etiam, ut crimen sit qualificatum, ut hæresis, parricidium etc., vel continuatum, ut concubinatus. Infamia autem *juris* habetur per confessionem rei in judicio, vel per sententiam judicis, saltem criminis declaratoriam (5). Crimina autem, quibus de jure annexa est infamia, sunt: Homicidium, perjurium factum in judicio, hæresis, simonia, sodomia, crimen læsæ majestatis, adulterium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usurarum, invasio cardinalium vel episcoporum; item raptus mulierum seu ad illum cooperatio, duellum, paratio armorum contra parentes etc. (6); item exercitium histrionis cum turpibus repræsentationibus, ita ut non fiat sine peccato mortali: non autem macellatoris, carnificis, lictoris et similis generis, cum hæc officia bene exerceri possint sine peccato (7). Præterea hic notandum, posse etiam incurri irregularitatem ob infamiam adhuc alienam: prout incurrunt filii eorum, qui damnati sunt ob delictum læsæ majestatis; item filii nati ex matre meretrice; item filii hæreticorum (licet hoc neget *Viva* (8), sicut negat etiam de

(1) *ex c. Infames causa 6. q. 1.* — (2) *Bon. cum Azor ab Salm. de censur. c. 8. p. 8. n. 76.* — (3) *prout dicunt Viva quæst. 9. a. 3. n. 6. cum Castro, Hurt. ac Laym., Garc. et Pignat. ap. Croix l. 7. n. 513. contra Suarez, Filt. etc.* — (4) *ibid.* — (5) *ita Sanch. dec. l. 2. c. 26. n. 1., Pal. p. 20. n. 3. et Salm. ib. n. 82. cum Coninch., Bonac, Avila, Corn. etc.* — (6) *vide Salm. ib. n. 78.* — (7) *ut Pal. l. c. n. 6. et Salm. ib. n. 84. cum Corn. contra alios.* — (8) *art. 4. n. 6.*

filiis illegitimorum cum *Suarez et Palao* contra alios); et etiam nepotes per viam masculinam ab iis descendentes; modo tamen sit notorium, parentes fuisse hæreticos et in hæresi decessisse (1). Ut autem omnes hi irregularitatem incurrant, opus est, ut nati sint post delictum (2).

364. — Hæc infamia atque irregularitas, si sit facti, tollitur vel per baptismum vel per notoriam facti emendationem sine dispensatione (3). Et colligitur ex *c. Si duo 15. q. 6.*, modo emendatio, universim loquendo (4), saltem per triennium perseveret. Si vero sit juris, non tollitur nisi per dispensationem; quamvis *Bonacina* teneat, hanc etiam tolli per baptismum, et *Salm.* (5) non improbabile putant.

Episcopus non potest dispensare, ut infamis infamia facti ad sacros ordines ascendat: potest tamen, ut in susceptis ministret, si crimina sint minora adulterio, et reus egerit pœnitentiam. Si vero infamia sit per sententiam judicis, potest ab illo irregularitas tolli per aliam sententiam, qua reo fama restituatur (6). Irregularitas ob crimen parentum (7) vel ob officium infame tollitur per ingressum in religionem. Testantur autem *ib. Bordonus* et *Antonius a Spiritu sancto*, regulares ex privilegiis *Pii IV.* et *Pii V.* posse dispensare cum suis subditis in hac irregularitate, sive contracta ante ingressum in religionem sive post: item sive infamia fuerit juris sive facti, nulla excepta.

365. — „*Sexta* oritur ex injusta mutilatione vel homi„cidio, etiam indirecte tantum voluntario; extenditurque „ad omnes, qui ad alterutrum, sive in bello injusto sive „extra illud, injuste concurrunt, consulendo, mandando. „Mutilatio autem hic intelligitur, quando a corpore se„paratur membrum aliquod principale, i. e. pars corpo„ris, quæ officium per se distinctum habet, v. gr. pes,

(1) *ut Sanch. l. 2. c. 28. n. 7. et Suar. d. 43. s. 3, n. 1.* — (2) *ut Sanch. l. 2. c. 27. n. 14., Less. l. 2. c. 34. n. 121., Pal. p. 19. §. 2. n. 2. et Salm. de cens. c. 8. p. 8. n. 83. cum Bon. et Henriq* — 3) *ut tenent Suar. d. 48. s. 2. n 6., Pal. l. c. n. 14. et Salm. ib. n. 85. cum Henriq., Bon., Corn. etc.* — (4) *ut ait Viva art. 4. n. 6. et Croix n. 517. cum communi.* — (5) *l. c. n. 86.* — (6) *Salm. ib. n. 87. et Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c. 6. concl. 5.* — (7) *ut Salm. ib. cum Corn.*

„manus, oculus, auris etc. (1)." (*Et hoc verum est, etiamsi quis mutilet seipsum, ut qui seipsum castraret* (2). *Sicut etiam fieret irregularis, qui seipsum culpabiliter deformaret, aut digitum vel partem digiti sibi abscinderet* (3). *Dicitur: seipsum; quia secus esset, ut mox dicemus n. 379., si alter abscinderet tibi digitum.*)

366. — Hæc igitur irregularitas oritur tam ab homicidio voluntario (nimirum cum homicidium sit vel directe volitum in se, vel indirecte in causa, inseparabiliter tamen et proxime cum illo conjuncta, prout est in lethali vulneratione, in porrectione veneni etc.), quam ab homicidio casuali indirecte volito, nempe in causa, præviso effectu (non ita autem proxime cum causa conjuncto), et neglecta debita diligentia ad illum impediendum. Hinc aliqua adnotabimus 1) de homicidio *voluntario*, 2) de homicidio *casuali*, advertendo, quod illud, quod dicitur de irregularitate ob homicidium, dicitur etiam de irregularitate ob mutilationem voluntariam sive casualem.

367. — Quoad *homicidium voluntarium* pertinet, 1) incurrunt irregularitatem omnes, qui propria actione hominem occidunt (4).

368. — Sed hic *dubitatur 1.*, an, si homicidam pœniteat facti ante mortem, incurrat irregularitatem. Negant *Salm.* (5), quia, ut ajunt, tunc occisori mors illa non est voluntaria in seipsa, sed tantum in causa, quæ, cum jam retractata fuerit, ipse non influit amplius moraliter in mortem. Sed verius affirmant *Suarez* (6) et *Viva* (7): nam in hoc differt causa moralis a physica: Qui posuit causam tantum moralem, sufficit, ut eam moraliter auferat, ne effectus ei imputetur; hinc mandans homicidium, revocando mandatum ante ejus executionem, bene excusatur ab irregularitate, quia jam desinit moraliter influere. Qui vero posuit causam physicam mortis, nempe vulnus aut venenum, non excusatur, si pœniteat illum, quia causa

(1) *M. Leo in praxi p. 3. s. 347. ex Covarr., Nav. de cens. n. 206; vide Bonac. p. 8. (ita habetur ex clement. unic. de homic.* — (2) *c. Si quis absciderit dist. 55., Sayrus, Corn. cum Salm. de cens. c. 8. p. 2. n. 18.* — (3) *ut ex c. Qui partem dist. 55.* — (4) *ut patet ex c. Si quis 1. de homic. et ex c. 7. Trid. sess. 14.* — (5) *l. c. p. 1. n. 4. in fine.* — (6) *d. 44. s. 3. n. 7.* — (7) *de irreg. q. 9. a. 2. n. 4.*

necessario pergit influere in mortem. Imo recte docet *Suarez* (1), nec etiam mandantem excusari ab irregularitate, si revocatio mandati casu non perveniat ad mandatarium. Valde probabiliter tamen (2) excusabitur ab excommunicatione mandans percuti clericum, si ante executionem pœniteat ipsum mandati sive consilii, licet revocatio mandatario non innotuerit; quia cessat contumacia requisita ad censuram incurrendam. Certum autem est, quod, si quis lethaliter quantumcumque vulneret, si mors non sequitur, irregularitatem non incurrit; quia nulla assignatur in jure propter conatum occisionis, sed tantum propter homicidium aut mutilationem (3).

369. — *Dubitatur 2.*, an incurrat irregularitatem, si quis primus lethaliter aliquem percusserit, sed alii postmodum eum peremerint. Affirmant *Fagnanus* (4), item *Covarrurias et Ugol.* (5); et inferunt ex dicto *c. Significasti*, ubi Pontifex dixit, primum vulnerantem non esse irregularem, si constet, vulnus ab ipso inflictum non fuisse lethale; secus ergo, si lethale fuerit. Negant vero *Laym.* (6), *Bon. l. c.* cum *Avila* et *Coninchio*, item *Molina*, et *Henr.* (7). Ego autem censeo cum *Escobar* (8), revera in prædicto *c. Significasti* nihil definitum fuisse de hoc casu; ibi enim fuit quidem decisum in casu ibi allato, nempe cum quidam primum ab uno percussus fuisset, deinde ab aliis, et sic decesserit, respondit Pontifex, quod, si constiterit, primum non percussisse lethaliter, eum non esse irregularem. Secus si dubium fuisset, an ex illius percussione vel aliorum vulneratus periisset. Nostrum autem casum, nempe quod primus vulnus lethale inflixerit, sed percussus ab aliis extinctus fuerit, puto, a Pontifice fuisse præteritum; saltem non constat, fuisse decisum. Hoc tamen intelligendum, si constet, primum vulnus non causasse mortem nec accelerasse, sed eam intulisse secundum vulnus, nempe si caput fuisset confractum aut

(1) *d. 44. s. 3. n. 13. in fine.* — (2) *ut diximus n. 40., et tenent iidem Salm. de cens. c. 1. p. 12. n. 153. cum Suar., Sayro, Avila, Corn. etc., ac consentit ipse Vira l. c.* — (3) *ita Suar. d. 44. s 2. n. 2. et Salm. tr. cit. c. 8. p. 1. n. 4. cum Avila et Sayro ac aliis passim.* — (4) *in c. Significasti 18. de homic.* (5) *ap. Bon. d. 7. q. 4. p. 8. n. 32.* — (6) *l. 3. s. 5. tr. 3. p. 3. c. 10. in fine.* — (7) *ap. Escob. l. 53. n. 311.* — (8) *n. 312.*

cor transverberatum; nam alias in dubio primus non effugit irregularitatem.

370. — 2) Incurrunt irregularitatem omnes homicidium mandantes vel consulentes (1). Hoc tamen non currit, si mandans vel consulens non influxerit in homicidium, nimirum (2) si constet, homicidium ex alia causa accidisse; vel si ipsemet hoc asserat sitque fide dignus; nam alias, ut bene advertit *Sanchez* non est credendus.

371. — Sed *dubitatur 1.*, an mandans vel consulens censendus sit irregularis in dubio, an mandatum vel consilium fuerit vel non efficax causa homicidii.

Prima sententia communior (3) affirmat, tum quia possidet mandatum sive consilium, usquedum probetur oppositum; unde, sicut in foro externo hi damnarentur jam ut irregulares, ita censendum in interno, quod externo conformari debet, semper ac externum non utitur falsa præsumptione: tum quia ratio textus in *c. Ad audientiam*, nempe quod in dubio homicidii tutior pars eligenda est, ut, si forte postmodum certe innotescat homicida, evitetur indecentia et scandalum, comprehendit tam homicidam quam mandantem aut consulentem.

Secunda sententia vero (4) negat, quia, ut ajunt, irregularitas non incurritur, nisi expressa sit in jure; jura autem loquuntur de iis, qui certe sunt causa homicidii mandando vel consulendo, vel qui dubie homicidium committunt; non autem de iis, qui tantum dubie ad illud concurrunt. Unde, sicut non incurreret irregularitatem mandans sive consulens homicidium, nisi hoc in textibus supra allatis esset expressum, ita alii canones, qui damnant percutientes etiam in dubio, an ex eorum percussione mors secuta fuerit, non extenduntur ad mandantes et consulentes in dubio concursus. Ad primam autem rationem responderi posset id, quod dicitur circa obligationem restitutionis; vide dicta *l. 4, 562.* ex *d. Thoma* et aliis. Se-

(1) *ut habetur ex c. Si quis viduam d. 50., c. Significasti 18. de homic., et c. Sicut 6. §. Qui vero eod. tit.* — (2) *ut dicunt Sanch. dec. l. 1. c. 10. n. 44. et Viva q. 9. a. 2. n. 6.* (3) *quam tenet Sanch. l. 1. c. 10. n. 42. circa fin. cum Salas, Pal. d. 6. p. 3. n. 8. cum Nav. et Salm. de cens. c. 7. p. 3. n. 45. cum Coninch., Sayro, Avila et Corn.* — (4) *quam tenent ut probabilem Diana p. 11. tr. 6. r. 42., Sporer. n. 129. et Tamb. l. 10. de cens. tr. 4. c. 5. n. 11.*

cundæ vero rationi respondetur, quod in pœnis, et præsertim in irregularitatibus (1), non fit ob identitatem rationis extensio de casu ad casum. Unde non videtur hæc secunda sententia dicenda improbabilis.

372. — *Dubitatur 2.*, an incurrat irregularitatem, qui movet homicidam jam determinatum ad occisionem, ut citius eam exequatur. Negat *Hurtadus* cum aliis (2), quia hic non influeret simpliciter in homicidium. Sed communiter et recte affirmant (3), quia revera iste jam directe est causa illius homicidii eo tunc patrati.

373. — *Dubitatur 3.*, an consiliator homicidii excusetur ab irregularitate, si ante executionem consilium revocet. Negant *Navarrus* (4) et *Bonacina* (5) cum *Azor* et aliis, quia consilium adhuc revocatum semper influit: affirmant vero *Suarez* (6) cum communi, ut asserit, *Sylvester* (7), *Fill.* (8), item *P. Nav.*, *Avila*, *Sayr.*, *Salas et Ugol.* (9); quia, ut consulens excusetur, sufficit, ut, sicut consulendo moraliter influxum posuit, ita consilium revocando influxum moraliter auferat; modo (intelligitur) revocatio perveniat ad homicidam; tunc enim homicidium potius imputatur malitiæ executoris, quam consilio suadentis. Sed juxta dicta *l. 4, 559.* dicimus, quod, si consilium fuerit dumtaxat falsum vel datum auctoritativo modo, revocans illud non fit irregularis: secus, si consulens insinuavit motivum vel modum occidendi; tunc enim probabilius incurrit irregularitatem, quia motivum aut modus semper influere pergunt. Hoc tamen non obstante secundam sententiam non puto improbabilem (10).

374. — 3) Incurrunt irregularitatem omnes, qui voluntarie cooperantur ad homicidium, vel ut illud celerius, audacius aut securius fiat, ut communiter docent (11). Hinc fiunt irregulares: 1. Omnes, qui ad homicidium se

(1) *juxta dicta n. 346.* — (2) *ap. Vivam q. 9. a. 2. n. 7.* — (3) *Bon. d. 7. q. 4. p. 8. n. 28., Pal. p. 15. §. 2. n. 6. et Salm. de censur. c. 8. p. 1. n. 13. cum Avila et Corn.* — (4) *c. 27. n 353.* — (5) *d. 6. p. 8. n. 20.* — (6) *d. 44. s. 3. n. 13.* — (7) *v. homicidium n. 13.* — (8) *tr. 20. n. 34.* — (9) *ap. Bon. l. c.* — (10) *vide d. n. 559.* — (11) *Pal. d. 6. p. 15. §. 2. n. 6., Bonac. d. 7. q. 4. p. 8. n. 28., Tamb. de cens. c. 15. §. 7. n. 26. cum Sayro, Præp. et Ugol. et Salm. de cens. c. 8 p. 1. n. 13. cum Cornejo et Avila, ex c. Sicut. §. Qui vero, et §. Clericos de homic.*

excitant, quamvis unus solus occidat; 2. omnes, qui præliantur in bello injusto, si aliquis in eo occidatur, etiamsi hoc non intendant; tunc enim saltem incurrunt irregularitatem homicidii casualis; 3. omnes, qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium aut bellum injustum patrandum; 4. omnes, qui injuste accusant aut testificantur aut judicant, ut homo occidatur; 5. omnes, qui associantur occisorem, animum augendo; ita communiter (1). Quapropter dicit *Tamburinus* (2), quod, si in rixa te ostendas amico rixanti, jam eris irregularis, si ille occidat: quia tua præsentia jam animum auges: additque cum *Præposito*, non posse approbare opinionem *Avilæ*, *Henriquez* et aliorum dicentium, excusari ab irregularitate patrem associantem filium rixantem, ne filius periclitetur, si filius alterum occidat. Subdit *Viva* (3) *cum Avila*, fieri etiam irregularem, qui suadet amico, ut inimicum occidat, vel se exponat probabili periculo mortis, si postea ipse amicus occidatur (4).

375. — *Dubitatur 1.*, an incurrat irregularitatem, qui ratihabet homicidium suo nomine patratum. Affirmant *Navarrus* (5) atque *Molina*, *Sylv. etc.* (6), quia, ut ajunt, ratihabentes æquiparantur mandantibus; ideo in *c. Cum quis de sent. excomm. in 6.* ratihabentes percussionem clerici suo nomine factam jam incurrunt excommunicationem. Sed verius et communiter negant (7). Ratio, quia nullibi habetur in jure, ratihabentibus impositam esse irregularitatem. Ratihabitio autem æquiparatur mandato quoad culpam, non autem quoad pœnam, nisi in jure sit expressum: prout expressum est de ratihabentibus clerici percussionem respectu ad excommunicationem, non autem irregularitatem incurrendam.

376. — *Dubitatur 2.*, an incurrat irregularitatem, qui valens homicidium impedire, culpabiliter non impedit. Si is tantum ex charitate tenetur impedire, certum est apud

(1) *Viva q. 9. art. 2. n. 3., Tamb. l. c. et Salm. ib. n. 14. cum Bonac., Avila, Giball. et Corn.* — (2) *l. c. n. 28. cum Sayro, Præpos. et Ugol.* — (3) *q. 9. art. 2. n. 8.* — (4) *vide n. 387. ibi infra.* — (5) *c. 27. n. 233.* — (6) *ap. Salm. de cens. c. 8. p. 1. n. 11.* — (7) *Suar. d. 44. s. 3. n. 24., Bonac. d. 7. q. 4. p. 8. n. 42., Salm. ib. n. 12. cum Corn., Diana, Giball., Vill. et Leand., ac Escob. l. 53. n. 288. et 289. cum Coninch., Avila, Cov., Sayro et Henr.*

omnes, non incurrere, esto ex odio non impediat; ita communiter(1). *Dubium* fit, an incurrat, qui tenetur impedire ex justitia ratione pacti vel officii, nempe si sit medicus stipendio conductus, advocatus, qui tenetur reum tueri, custos viarum, pater, tutor, dominus aut maritus, qui tenetur uxori alimenta præstare.

Prima sententia negat incurrere(2). Ratio, quia aliter judicandus est, qui positive influit in homicidium, quam qui homicidium non impedit.

Secunda sententia vero affirmat(3). Ratio, quia omittens defendere, cum possit, quem ex justitia defendere tenetur, censetur verus homicida, cum ipse, si non physice, moraliter tamen influit in homicidium. Hæc sententia est quidem communior et probabilis; sed non minus probabilis mihi videtur prima; cum enim irregularitas debeat esse in jure expressa, recte dicit *Roncaglia*, ex sanctis canonibus non satis constare, hujusmodi non impedientes, moralem tantum causam præbentes, incurrere irregularitatem, sed solos occidentes, mandantes, consulentes omnesque positive in homicidium influentes. Iidem autem *Cont. Tournely et Escobar ll. cc.* excusant ab irregularitate, qui omittunt impedire, non jam studiose, ut homo occidatur, sed tantum ex timore vel negligentia; idque recte inferunt ex *c. Quæsitum de pœnit. et rem.*, ubi parentes, ex quorum culpa filii in cunis perierint, censentur irregulares, si studiose neglexerint suffocationem impedire, non tamen, si ex ipsorum incuria filii mortui fuerint.

377. — Hæc quoad homicidium voluntarium. Quod vero ad *homicidium casuale* spectat, incurritur irregularitas etiam ab eo, qui periculum mortis prævidet ex aliqua

(1) *Suar. d. 45. s. 4. n. 3., Bon. d. 8. q. 4. p. 8. n. 37., et Salm. l. c. p. 3. n. 39. cum Avila, Sayro, Fill., Giball., Henriquez, Corn. etc.* — (2) *et hanc tenent Ronc. c. 3. q. 3. p. 116. v. non pauci, Hurtado d. 2. diff. 9. n. 34., Turrian. d. 63. dub. 3., Diana p. 4. tr. 2. r. 7. cum Vasquez et Tamb., item Præpos., Leand. et Giball. ap. Salm ib. n. 41., et probabilem videri ajunt Pal. d. 6. p. 15. §. 7. n. 2. et Escob. l. 53. n. 315.* — (3) *et hanc tenent Nav. c. 27. n. 231., Suar. d. 46. s. 4. n. 5., Pal. l. c. n. 2., Bonac. l. c., Tol. l. 1. c. 83. n. 4., Cont. Tourn. de irreg. p. 3. c. 1. art. 1. concl. 2., Escob. l. c. cum Man. et Henr., ac Salm. de cens. c. 8. p. 3. n. 42. cum Avila, Sayro et Cornejo.*

sua actione et negligit culpabiliter illud præcavere (1), ut patet ex *clem. Si furiosus de homic.* Dicitur: *culpabiliter*: nam ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa lata, quæ peccatum mortale supponit, ut communiter docent (2).

378. — „1. Non fit irregularis, qui in rixa præscindit „alteri digitum, pollicem, unguem, dentes, barbam, ca„pillos, labia, nasum, auriculam (i. e. cartilaginem, quæ „tantum deservit ad ornatum et tutelam auris); quia non „sunt proprie membra, v. gr. digitus est pars tantum et „officium membri (3).

379. — Incurritur igitur irregularitas etiam ob mutilationem membri (4).

Sed *dubitatur 1.*, quid veniat nomine *membri.*

Prima sententia (5) dicit, intelligi non solum oculum, manum etc., sed etiam nasum, digitos et auriculam; quia per horum abscissionem jam aufertur, ut ajunt, corporis integritas.

Sed *communissime ac probabilius* (6) dicunt, nomine *membri* intelligi tantum partes illas corporis, quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum etc. Hinc probabilius dicunt (7), non incurrere irregularitatem, qui amputaret auriculam, quia ea ablata non tollitur omne officium audiendi: nec qui dentes evelleret, quia non sunt membra, sed instrumenta maxillarum ad cibos manden-

(1) *ita Pal. d. 6. p. 15. §. 5. art. 3. et Salm. ib. n. 29. cum Avila, Cov. et Henr. ac aliis passim.* — (2) *Bon. d. 7. q. 4. p. 7. in fine, Pal. d. 6. p. 15. §. 4. in fine, Suar. d. 45. s. 5. n. 8., Cont. Tourn. l. c. r. 2., Conc. t. 10. p. 490. n. 7., Salm. l. c. n. 30. cum Avila, Sayro et Corn., ac Viva q. 9. art. 2. n. 10. cum Cajet., Armilla etc.* — (3) *Avila et alii 8 cum Diana p. 4. t. 4. r. 26.; item Marc. Leo l. c. ex glossa c. ult. de hom. in 6., et l. Quæritur 10., l. Non sunt 14. §. Partus ff. de statu hom.* — (4) *ut habetur in c. Significasti de homic. et in clem. Si furiosus eod. tit.* — (5) *quam tenent Suar. d. 44. s. 2. n. 7. et 8., ac Sotus, Caj., Arrag etc. ap. Salm. de censur. c. 8. p. 2. n. 21.* — (6) *Bon. q. 4. p. 8. n. 3., Pal. d. 6. p. 15. §. 1. n. 4., Conc. c. 10. p. 489. n. 4., Habert c. 7. q. 566., Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c. 8. art. 1. v. ex quibus, Cabass. l. 5. c. 20. n. 9. cum Navarro ac Avila, et Salm. ib. n. 22. cum Val., Cov., Sayro, Diana, Hurt., Gobat etc.* — (7) *Pal. et Cont. Tourn. ll. cc., et Salm. ib. n. 24. cum Avila, Cov., Sayro, Corn. etc.*

dos(1); et tanto minus, qui capillos aut barbam abscinderet; item nec, qui aufert alteri digitum, quiscunque sit(2). Nec obstat textus in *c. 6. Qui partem dist. 55.*, ubi declaratus fuit irregularis, qui sibi ipsi digitum vel partem digiti abscidit; nam respondetur(3), illi non fuisse irregularitatem impositam ob solam mutilationem, sed ob pravam voluntatem, *quæ sibi ausa fuit* (ut ibi dicitur) *ferrum injicere.*

380. — *Dubitatur 2.*, an sit irregularis, qui abscindit testiculos alterius. Negant *Bonac.*, *Hurt.*, *Avila et Corn.*(4); quia, ut dicunt, illi non sunt membrum, sed pars membri. Sed probabilius affirmant(5), quia testiculi jam propriam operationem habent, nempe efformandi semen aptum ad generandum (intellige id tamen, si abscissio injuste fit). Secus vero, si unus tantum testiculus auferatur, quia unus non habet officium ab altero diversum, cum uterque ad eamdem operationem concurrat. Fieret vero irregularis, ut recte dicunt(6), qui mulieri unam mamillam abscinderet, quia unaquæque mamilla proprium officium habet. Idem docent(7) de abscissione dimidiæ manus; sed contradicit *Cont. Tournely*(8), quia in *c. 2. de cler. ægrot.*, qui duos digitos cum medietate palmæ amisit, non dicitur mutilatus, sed debilitatus: communiter autem dicunt(9), non esse irregularem, qui alterius membrum debilitaret, adhuc taliter, ut redderet eum ineptum ad officium suum; imo etiamsi mortuum relinqueret(10). Sed huic valde probabiliter contradicunt *Suarez*(11), *Cabass. l. c.*, *Concina*(12) *et Salm.*(13) *cum Cornejo etc.*, quia tale membrum, licet se-

(1) *ut Bon. n. 2., Pal. n. 4., et Salm. dict. n. 24. cum Sayro, Diana et Giball.* — (2) *ut Bonacina, Pal., Cont. Tourn., et Salm. ll. cc. cum Val., Avila, Cov., Sayro, Hurt., Corn. et aliis communissime.* — (3) *cum Cont. Tourn. et Habert.* — (4) *ap. Salm. de cens. c. 8. p. 2. n. 23.* — (5) *Ronc. c. 3. q. 3., Pal. d. 6. p. 15. §. 1. n. 4. et Salm. l. c., et Diana p. 9. tr. 7. r. 11., quamvis alias oppositum dixerit.* — (6) *Pal. d. n. 4., Cont. Tourn., Habert, Conc. et Salm. c. n. 23. in fine cum Sayro et Bonac.* — (7) *Suar. et alii ap. Vivam.* — (8) *l. c. v. resp. partes.* (9) *Nav. c. 27. n. 223., Cabass. l. 5. c. 20. n. 9. cum Suar., Coninch. et Avila, Salm. ib. n. 25. cum Soto, Bon., Cov., Sayro et Avila, ac Croix l. 7. n. 487. cum Suarez et Sylvio contra Caj. etc., et probabile putat Ronc. l. c.* — (10) *ut dicunt Pal. §. 1. n. 5. et Navarr., Covarr. etc. ap. Salm. l. c. n. 26.* — (11) *d. 44. s. 2. n. 11.* — (12) *p. 490. n. 5.* — (13) *ib. n. 27.*

cundum apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum et continuatum cum aliis membris. Unde probabiliter e converso inferunt *Salm.* (1), non esse irregularem, qui tale membrum omnino exsiccatum abscinderet, quia talis non esset mutilatio formalis.

381. — In hac autem irregularitate propter mutilationem bene possunt dispensare episcopi, si sit occulta: ex facultate Tridentini in *c. 6. Liceat sess. 24.*, ubi tantum excipitur irregularitas ob homicidium voluntarium, ut communiter docent (2).

382. — „2. Nec fit irregularis, qui excæcavit hominem „solo visu privando, non autem oculum extrahendo: nec „qui debilitat tantum membrum, et non abscindit, quia „non est mutilatio (3).

„3. Quando plures non ex consilio, sed in rixa unum „percutiunt, et unus lethale vulnus infligit, ex quo moritur, si constet, quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregularem docent *Sayrus* et alii 5 cum *Diana* (4) contra *Avilam*, *Suarez etc.*

„4. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. gr. cibum vel „potum, vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud circa eum operatur, ex quo mors vel „ejus acceleratio præter intentionem sequatur, non fit „irregularis, nisi intervenerit lata culpa. *Avila*, *Filliuc.* et „alii 4 cum *Diana* (5), ubi ex *Bonacina etc.* notat, sacerdotibus et religiosis circa moribundos licere eadem, quæ „laicis (6)." *(Sic etiam non fit irregularis sacerdos jubens fieri abscissionem membri præscriptam a medico, modo ipse non exequatur* (7). *Imo multum probabiliter Concina* (8) *eximit ab irregularitate, qui adjuvaret chirurgum congrue mutilantem ægrotum. An vero fiat irregularis, qui facit ista, ut infirmus citius moriatur? Affirmant Covarr., Nav. etc.: sed negant Pell. et Coninchius, ac*

(1) *dict. n. 27.* — (2) *Suar. d. 44. s. 2. n. 4., Pal. l. c. n. 3., Bon. p. ult. n. 11. et Salm. de censur. c. 8. p. 2. n. 28. cum Fill., Avila, Corn., Diana, Gobat, Villal. etc.* — (3) *Diana p. 4. t. 4. r. 26. ex Megala etc.* — (4) *p. 2. t. 15. r. 18.* — (5) *p. 5. t. 3. r. 17.* — (6) *(ita etiam Cont. Tournely p. 3. c. 1. art. 2. concl. 1., Conc. p. 490. n. 7., Elbel de irreg. n. 171. cum Fill. et Avila, ac Salm. ib. p. 3. n. 33. cum Corn. et Pelliz.)* — (7) *Cabass. l. 5. c. 19. n. 22.* — (8) *p. 501. n. 20.*

merito probabile putant Salm. l. c., quia, licet adsit peccatum grave, deficit tamen actio externa graviter injusta. Hinc mihi videtur utendum distinctione, qua usi sumus in obligatione restitutionis, juxta dicta l. 4, 551.; spectandum enim, an apponatur vel non diligentia sufficiens ad mortem infirmi præcavendam. Certe autem fit irregularis, qui temere remedium præberet, ex quo mors notabiliter acceleraretur (1): *semper tamen ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa lata cum peccato mortali* (2).

„5. Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur „in rixa, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium (3). „Limitat autem *Præpositus*, nisi sua præsentia animaverit ad occidendum (4).

„6. In bello injusto, si vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione sit cooperatus (5),

„7. Irregularitas fit, qui procurat abortum fœtus animati anima rationali; secus, si animatus non sit (6).

„8. Qui dans operam rei licitæ (imo, secundum multos, etiam illicitæ) sufficientem diligentiam adhibuit, ne „ex ea homicidium sequeretur, et tamen secutum est, non „fit irregularis ob defectum voluntarii; secus tamen, si „dictam diligentiam omisit omissione mortali (7). Alii tamen dicunt, quod dans operam rei illicitæ, ex quavis „culpa, etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem (8).

383. — Distinguendum igitur: Si quis dat operam rei licitæ et debitam adhibet diligentiam, ne homicidium sequatur, non incurrit irregularitatem, si mors accidat; ita communiter (9) cum *d. Thoma* (10), ubi: *Secundum canones imponitur pœna his, qui casualiter occidunt, dantes operam rei illicitæ vel non adhibentes diligentiam*

(1) *Salm. de cens. c. 8. p. 3. n. 33. in fine.* — (2) *ut Salm., Cont. Tourn., Conc. et alii communiter citati n. 348. et 377.* (3) *Avila, Henr. etc. cum Diana p. 4. t. 2. r. 17.* — (4) *vide n. 374.* — (5) *Bon. q. 4. p. 9. n. 3.* — (6) *c. Majores 32. q. 2., Bon. l. c. p. 8. n. 27., Coninch. etc.* — (7) *Bonac. q. 4. p. 7., Less. l. 2. c. 9. dub. 15. etc.* — (8) *Panorm., Cov., Marc. Leo p. 3. f. 354.* — (9) *Pal. d. 6. p. 14. §. 4. n. 7., Bon. d. 7. q. 4. p. 7. n 8., Conc. t. 10. p. 490. n. 7., Cont. Tourn. de irreg. p. 3. c. 1. art. 2. concl. 1., Salm. l. c. n. 30. et alii passim.* — (10) *2. 2. q. 64. art. 8. ad 3.*

debitam (1). Secus vero, si omitteret sufficientem diligentiam (2) : quia, cum quis negligenter se habet in præcavendo homicidio, quod timet, indirecte jam vult illud in causa. Dicitur : *sufficientem diligentiam ;* quia non requiritur diligentia summa, sed satis est illa, qua vir prudens uteretur juxta rei qualitatem, ut recte dicunt (3). Et contra ad irregularitatem incurrendam non sufficit quævis negligentia, sed requiritur illa, quæ ad peccatum mortale pertingit, ut communiter docent (4); ad incurrendam enim quamcumque irregularitatem ex delicto omnino requiritur culpa gravis (5).

384. — Hinc non fit irregularis : 1) Magister, qui discipulum moderate verberat (et idem de patre respectu filii), si casu ex percussione mors discipuli sequatur (6); secus, si graviter excederet (7); 2) qui equitando in equo feroci puerum occiderit (8); 3) qui feram sive canem ferocem alit et custodit in occulto, si casu fera ruptis vinculis hominem occidat; secus, si teneret in via, ubi fera aliis nocere posset; vel si illa ex ejus incuria esset soluta (9); 4) qui reficiendo tectum tegulas et lapides mittit, præmonens transeuntes, ut se caveant; secus, si non moneat (10); 5) medicus, si casu infirmus ex pharmaco præstito decedat sine gravi medici negligentia (11). Et hoc adhuc, si sit clericus aut monachus, modo *primo* sit peritus; nam alias non effugeret irregularitatem, si temere vel contra præceptum medici præberet remedium,

(1) *et patet ex c. Hi qui, c. Sæpe, et c. Si duo fratres dist. 50., item ex c. Joannes, c. Dilectus et c. ult. de homic.* (2) *colligitur ex c. Presbyterum et c. Ad audientiam de homic.* — (3) *Salm. de cens. c. 8. p. 3. n. 30. cum Cajet. et Corn.* — (4) *Suar. d. 45. s. 5. n. 8., Bon. l. c. in fine, Pal. §. 4., Conc. l. c., Cabass. l. 5. c. 20. n. 10., Cont. Tourn. l. c. r. 2., Sylvius 2. 2. q. 64. art. 8. concl. 3. cum Soto et Bann., Salm. dict. n. 30. in fine cum Sayro, Corn. et Avila, ac Diana p. 2. tr. 2. r. 21. cum Coninch., Fill. et communi.* — (5) *ut probat Cabass. l. c. ex c. Quæsitum de pœnit. et c. fin. de hom. in 6. ; vide dicta n. 348. et 377.* — (6) *ut Conc. d. n. 7. et Salm. ib. n. 31.* — (7) *ut patet ex c. Presbyter de homic. et c. ult. eod. tit. in 6.* — (8) *Conc. ib., et Bon. n. 23. cum Mol., Sayr. et Ugol. ex c. Dilectus 13. de homic.* — (9) *Salm. c. n. 31. cum Covarr. et Corn.* — (10) *Salm. l. c. in fine.* — (11) *ut ex c. Ad aures de ætate et qualit. ordinandorum.*

ex quo mors aut ejus notabilis acceleratio eveniret (1): secus, si bona fide daret aliquid infirmo ad ejus remedium vel levamen (2). Modo *secundo* clericus medeatur sine incisione vel adustione: alioquin, cum id expresse vetetur clericis in sacris et monachis sub pœna irregularitatis in *c. Sententiam ne clerici vel monachi*, jam fiunt irregulares, si ex tali incisione vel adustione mors sequatur; secus, si eveniret aliunde, nempe ex vi ipsius morbi vel ex alia causa (3). Si tamen alius peritus absit, bene poterit tunc clericus aut monachus sine peccato et consequenter sine periculo irregularitatis incisionem aut adustionem adhibere, ut communiter docent (4).

385. — An autem clericus beneficiatus medendo cum incisione præter necessitatem, si æger ex illa moriatur, fiat irregularis? Affirmant *Navarr.*, *Panorm. etc. ap. Cont. Tournely*; quia, ut ajunt, id, quod prohibetur ordinatis in sacris, interdicitur etiam beneficiatis. Sed verius id negant *Bonacina* (5) *cum Mol.*, et idem *Cont. Tournely* (6) *cum Ponta et Giballino*; tum quia regula præfata supponitur ab adversariis, sed nullo jure satis probatur, tum quia in præfato textu *c. Sententiam* tantum de constitutis in sacris fit mentio; pœnæ autem non sunt extendendæ de casu ad casum in jure non expressum. Et quamquam de negotiatione et ludo sub nomine *clericorum* non tantum constitutos in sacris venire, sed etiam beneficiatos diximus *l. 4, 831. et 895.*; tamen, cum in hoc casu prohibitio facta sit speciatim subdiaconis, diaconis et sacerdotibus, non comprehenduntur minores his, quicumque illi sint.

386. — Si quis vero dat operam rei illicitæ, et ex ea mors alterius sequatur, communis est sententia, quod, si opera illa non est illicita, quia periculosa, sed ex alia causa, peccat quidem, sed non incurrit irregularitatem, modo sufficientem diligentiam adhibuerit ad mortem vi-

(1) *ut recte dicunt Salm. ib. n. 33. in fine, Cont. Tourn. p. 2. c 8. art. 4. v. dub. 2. clericus, et Bon. d. 7. q. 4. p. 5. n. 4. cum Mol., Sayro, Henriq. et communi.* — (2) *ut Bon. p. 7. n. 12. et Salm. de cens. c. 8. p. 3. n. 33. cum Corn. et Pellizz.; vide dicta n. 382. v. 4. qui infirmo.* — (3) *ut dicunt Pal. d. 6. p. 15. §. 4. n. 8. in fine, et Salm. ib. n. 32. cum Avila, Corn. et Henr.* — (4) *Pal., Cont. Tourn. cum Mol. et Salm. ll. cc. cum Avila, Henr. et Corn.* — (5) *p. 5. n. 4.* — (6) *l. c. v. an prædicta.*

tandam; puta si quis cæderet arborem in solo alieno, et mere fortuito hominem occideret; vel si induceret alium ad furandum sine periculo, et casu ille occidatur, ac similia. Ratio, quia tale homicidium tunc non esset illi voluntarium, neque directe, cum non sit intentum, neque indirecte in sua causa, cum talis actio non sit per se periculosa; jura enim irregularitatem statuentia ex homicidio intendunt punire vere delinquentes homicidii culpa; illa autem actio, licet sit mala, non tamen est mala malitia homicidii; nam ut bene docet *d. Thomas* (1), ignorantia invincibilis circumstantiæ peccati excusat quidem a speciali ejus malitia, etiamsi opus ipsum peccatum sit; ita communissime(2) contra *Paludanum*, *Gabr.* et alios paucos (3), qui citant pro se *d. Thomam* (4), sed non bene; nam licet s. Doctor ibi dicat, dantem operam rei illicitæ non evadere homicidii reatum, tamen id aperte intelligit de re illicita ob periculum homicidii (5). Nec obstat, quod in *c. Clerico jacente et c. Eos vero dist. 50.* declarantur irregulares casu occidentes vel mutilantes, et tantum in jure excipiuntur, qui dant operam rei licitæ, ut habetur in *c. Joannes*, *c. Dilectus et c. ult. de homicidio:* ergo, qui dat operam rei illicitæ, ex qua mors sequitur, jam fit irregularis. Nam respondetur, quod canones hi semper intendunt loqui de homicidio directe vel indirecte volito, ut colligitur ex *clem. unica de homic.*, ubi ideo excusatur exercens opus licitum, quia homicidium non est ei voluntarium; unde semper ac homicidium est alicui omnino involuntarium, non imponitur ei irregularitas, quamvis operam rei illicitæ ipse navet.

387. — *Dubium* majus est, an incurrat irregularitatem, qui dat operam rei illicitæ quomodocumque periculosæ, si ex ea mors sequatur. Adest duplex probabilis sententia.

(1) *l. 2. q. 76. art. 3.* — (2) *Suar. d. 45. s. 6. n. 9., Sotus de just. l. 5. q. 1. art. 3., Navarr. c. 27. n. 221., Pal. d. 6. p. 15. §. 4. n. 5., Conc. p. 491. n. 8., Cont. Tourn. de irreg. p. 3. c. 1. a. 2. concl. 2. v. prob. 3., Escob. l. 53. n. 300. cum Covarr., Valt. et Henriquez, ac Salm. de cens. c. 8. p. 3. n. 34. cum Cornejo, Avila et Sayro.* — (3) *ap. Suarez l. c. n. 1.* — (4) *in 2. 2. q. 64. art. 8.* — (5) *ut patet in resp. ad 1. et 2. ib.*

Prima sententia affirmat(1). Et probant ex *c. Tua nos 19. de homicidio*, ubi quidam monachus, incidens apostema cujusdam mulieris, licet fuisset peritus, et mulier ex sua incuria postea decessisset, tamen fuit declaratus delinquens, dixitque Pontifex: *Post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare.* Quæ verba(2) secundum communem intelligentiam significant, necessariam fuisse dispensationem. Ex hoc igitur textu generalis fit regula, quod ex actione injuste periculosa, quoties sequitur homicidium, etsi casuale, inducatur irregularitas.

Secunda sententia vero probabilior(3) dicit, quod, si opus sit ita periculosum, ut ex eo frequenter mors sequatur: ut esset admovere ignem bombardæ, ubi est frequentia hominum, aut pugnare in bello, aut inducere alterum, ut temere se exponat periculo mortis, prout probabilius sentit *Bonacina*(4) cum *Suarez* etc., ac *Vira* cum *Avila*(5) contra aliquos: tunc incurritur irregularitas, quamvis omnis adhibeatur diligentia, ne mors sequatur; quia, ut bene ait *Cont. Tournely*, cum opus sit de se proxime periculosum, nulla diligentia potest non periculosum fieri. Secus, si opus raro sit mortis inductivum, et debita diligentia apponatur, ne mors eveniat; quia tunc, ut diximus, homicidium non est voluntarium, neque in se neque in causa; cum enim opus non sit proxime periculosum, posita diligentia satis excusatur a malitia homicidii.

Ad textum autem oppositum in *d. c. Tua nos* respondent(6), ibi monachum minime fuisse declaratum irregularem. Sed hæc responsio mihi non satisfacit; nam verba

(1) *quam tenent Suarez d. 45. s. 6. n. 9., Nav. c. 27. n. 237., Tolet. l. 1. c. 77. n. 7. et 8., Conc. p. 491. n. 8., item Sayr., Avila, Mol. et Ugol. ap. Bon. d. 7. q. 4. p. 7. n. 9., et Sotus, Corduba, Castro, Fernand. etc. ap. Diana p. 4. tr. 2. r. 20.* (2) *ut ajunt Faynanus in d. c. et Suarez l. c.* — (3) *quam tenent Pal. d. 6. p. 15. §. 4. n. 5., Cont. Tourn. l. c. v. dixi, Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 4, qui tutam vocat, Sporer n. 139., Tamb. de homic. c. 15. §. 2. n. 12., Elbel de irreg. n 189. cum Sayro et Gutt., Bonac. l. c. cum Salon, Salm. de cens. c. 8. p. 3. n. 38. cum Henr. etc., ac Diana l. c. cum Coninch., Hurtado, Præpos, Sa et Tanner.* — (4) *n. 17.* — (5) *vide n. 574.* — (6) *Sotus de just. l. 5. q. 1. art. 9. et Less. l. 2. c. 9. n. 105.*

textus supra allata verius significant, jam irregularitatem incurrisse, ac facilius cum eo dispensandum; et sic explicat auctor argumenti, dicens ibi: *Sed cum eo misericorditer dispensari potest;* et ita etiam communiter alii, ut testatur *Suarez*. Melius respondetur(1), casum illum esse particularem in jure (prout etiam est casus de mandante verberationem, si mandatarius casu postea occidat(2). Præterquam quod dicimus cum *Salm.*, quod talis monachus jam aliunde esset irregularis, quia exercuerat chirurgiam cum incisione, ut idem *Innocentius III.* declaraverat(3), tum propter indecentiam, tum quia talis ars est de se maxime periculosa mortis; unde potius constitutio illa fuit declaratoria, quam novum jus constituens. Neque obstat alius textus in *c. Continebatur 8. de homic.*, ubi damnatus fuit ut irregularis quidam diaconus, qui ferendo latentem falcem et cum altero ludendo fuit causa, ut hic eum amplexans a falce feriretur et mortem subiret. Nam respondetur(4), quod hoc ita statutum fuit, quia diaconus ille negligenter se habuit in falcem sic ferendo; unde dicunt *Suarez* et *Bonacina*, quod, si talis minime advertisset periculum, in conscientia non teneretur se gerere ut irregularem. Ex hac autem secunda sententia inferunt(5), non esse irregularem clericum, si ipso torneamenta vel ferarum venationem exercente mors alicujus contingeret; quia tales actiones non non sunt per se inductivæ homicidii; alias nec etiam laicis essent licitæ: excipe nisi in his vel similibus gravem negligentiam ille commiserit pertingentem ad mortale, juxta dicta *n. 383. in fine.*

388. — „9. Qui alterum mutilat vel occidit ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem: quia hic nulla „est culpa: ergo nec pœna(6)."

Qui alium occidit ob defensionem sui cum moderamine inculpatæ tutelæ, certum est, quod excusatur ab irregu-

(1) *cum Pal., Bon. et Salm.* — (2) *ex c. ult. de homic. in 6.* (3) *in cap. Sententiam ne cleric. vel monach.* — (4) *cum glossa ib. v. Romani et Suar. d. 45. s 5. n. 3. in fine ac Bon. n. 22.* — (5) *Pal. n. 7., Laym. n. 3., Ethel n. 212. et Salm. de cens. c. 8 p. 3. n. 38. cum aliis.* — (6) *Marc. Leo p. 3. f. 349.*

laritate, ut patet ex *c. Significasti 18. §. fin. de hom.*, et ex *clem. Si furiosus eod. tit.*, ubi dicitur: *Et idem* (i. e. non incurrere irregularitatem) *de illo censemus, qui, si mortem aliter vitare non valeat, suum occidit vel mutilat invasorem.* Nec obstat Tridentinum (1), ubi dicit, etiam ei, qui occidisset *casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet..., jure quodammodo dispensatio debeatur*; nam explicant communiter hunc textum DD., intelligi, quando ille moderamen non servasset; ita (2) ex declaratione S. C. 1. Octobris 1688. Procul autem dubio irregularitatem incurrit, qui cum culpa gravi moderamen excedit (3). Hoc tamen casu homicidium reputatur casuale, et ideo episcopus, si crimen est occultum, bene potest in tali irregularitate dispensare, ut mox infra *n. 395.* Excusatur etiam ab irregularitate, qui occidit injustum invasorem alterius innocentis, ut *Suarez* (4), *Ronc. ib. cum Barbosa*, item *Lessius*, *Coninch.*, *P. Navarrus*, *Bonacina*, *Fill. et Covarruvias ap. Cabass.* (5), qui eis adhæret, contra alios; quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur nisi cum peccato mortali (6). Valde autem probabiliter censent (7), quod, si quis alterum provocet verbis aut facto, prævidens, se facillime aggrediendum, fit irregularis, si postmodum ob sui defensionem aggressorem occidit, quia tunc dat operam rei illicitæ proxime periculosæ; secus vero, si non prævidet. Quid autem dicendum, si quis accedendo ad uxorem alterius maritum aggressorem necet? Vide dicta *l. 4, 398. v. in ordine*, ubi diximus, adulterum non excusari ab irregularitate, si præviderit proximum periculum invasionis, quia tunc adulterium est proxime periculosum homicidii: secus, si caute accesserit, ita ut putaverit, periculum esse remotum. Quid, si vir, cognito adulterio, occiderit uxorem, an adulter fiat irregularis? Eodem modo distinximus: vide *l. c. in fine.*

389. — *Quæritur*, an occidens alterum ob defensionem

(1) *sess. 14. c. 7.* — (2) *Ronc. de irreg. c. 3. q. 4., Salm. de cens. c 8. p. 4. n. 58. cum Avila, Pal. et Barb. ex communi, ac Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c 8. a. 2. in initio cum Navarro, Sayro, Comit. etc.* — (3) *ut patet ex clem. cit., ex c. De his 6. dist. 50.; vide Ronc. l. c. p. 116.* — (4) *d. 46. s. 3. n. 2. et 3.* — (5) *l. 5. c. 19. n. 24.* — (6) *ut eruitur ex c Ex litteris primo loco de homic.* — (7) *Ronc. l. c. cum Suar. et Salm. ib. n. 50. cum aliis.*

libertatis, honoris, pudicitiæ vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatæ tutelæ, fiat irregularis.

Prima sententia affirmat(1): et probant ex *c. Suscepimus de homic.*, ubi fuit declaratus irregularis quidam religiosus, qui pro conservandis bonis duos latrones occidit. Probant etiam ratione, quia, licet in tali homicidio non adsit peccatum, adest tamen defectus lenitatis, ob quem semper incurritur irregularitas, præterquam in casibus jure expressis; in jure autem tantum excusatur ab irregularitate, qui ob conservationem vitæ invasorem occidit, ut habetur in *clem. Si furiosus de homic.* ut supra.

Secunda sententia vero communior et probabilior negat(2). Et *probatur 1.* ex *c. Quia te dist. 50.*, ubi, cum quidam episcopus captus a Saracenis aliquos occiderit, ut suam libertatem defenderet, *Urbanus II.* ita ei respondit: *Sed quoniam non tua sponte id fecisse cognosceris, canonice nullo modo judicaris.* Item ex *c. Interfecisti*, ubi excusatur ab irregularitate, qui *et se et sua* defendens alium occidit: illa autem conjunctio *et* vim habet disjunctionis, id est, si se vel sua defenderet; alias qui se et non sua defenderet, irregularis fieret; item frustra Pontifex addidisset illud *sua*, si tantum ob sui defensionem vitaretur irregularitas. Præterea id fortius probatur ex *c. Dicto 6. de sent. excomm.*, ubi, cum quidam dominus temporalis violenter invasisset bona cujusdam decani, hic supposuit interdicto totam terram illius. Hinc cum dubium factum fuerit, an bene egisset, respondit Pontifex: *Cum omnes leges omniaque jura vim vi repellere cunctisque se defensare permittant, licuit utique ipsi decano (si prædictus ballivus eum bonis suis mundanis injuriose expoliare præsumpserit) contra illius violentiam se defendere. Et quoniam adversus ejus ni-*

(1) *et hanc tenent Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 3, Cont. Tourn. l. c. dub. 5., et Sporer de 5. præc. c. 2 n. 177. cum Nav., Sylv., Arm., Henr., Avila etc.* — (2) *et hanc tenent Suarez d. 46. s. 2. art. 4., qui vocat communem, Less. l. 2. c. 9. n. 73., Pal d. 6. p. 15. §. 8. n. 7., Fill. tr. 20. c. 1. q. 6. n. 146., Bon. d. 7. q. 4. p. 6. n. 10, Coninch. d. 18. p. 9. n. 88., Holzm de pœn. eccl. n 337, Elbel n. 195., Ronc. c. 3. q. 4. cum Barb., et Salm. de cens. c. 8. p. 4. n. 56. cum Sayro, Villal., Diana et Corn.*

miam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat, potuit se etiam spiritualiter, gladio utendo ecclesiastico, defensare. Luculenter igitur hic Pontifex declarat, licite potuisse decanum illum vi temporali sive armis tueri bona sua contra violentiam ballivi, dicendo, unicuique permissum esse, *vim vi repellere. Probatur 2.* ratione, quia talis irregularitas non incurritur neque ex delicto neque ex defectu lenitatis; non ex delicto, cum non adsit culpa, ut ipsi adversarii concedunt: neque ex lenitatis defectu, nam ut dicetur infra *n. 464. in fine*, irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur nisi ob occisionem aut mutilationem, quæ fit vel a ministris publicis, vel a militibus in bello justo offensivo, vel a clericis medentibus cum adustione aut incisione, juxta dicta *n. 385.* E converso communis est sententia DD. (1), ut vidimus *n. 345.*, quod nulla incurritur irregularitas nisi in jure sit expressa; ergo, cum in jure irregularitas, ex defectu lenitatis incurratur tantum in prædictis tribus casibus, non est facienda extensio ad casum, de quo loquimur; tanto magis, quia in præfatis casibus homicidium sponte committitur, licet sine culpa, sed in nostro casu homicidium non provenit ex spontanea voluntate, sed ex necessitate defendendi sua jura; ideo talis occisio, ut recte ait *Suarez*, magis habet rationem defensionis quam occisionis. Respondetur autem ad textum oppositum in *d. c. Suscepimus*, monachum excessive in defensione, cum ipse una cum socio ligaverit fures, quando potuisset eos dimittere vacuos sine periculo rerum et personarum. Præterea notat ibi glossa, quod monachus interfecit fures nulla stante necessitate; potuisset enim fugere, prius quam illi solverentur a vinculis; nam res vel jam reservatæ erant, vel secum deferre poterat; ergo defensio illa non fuit moderata.

390. — Ultimo hic videndum, quomodo tollatur hujusmodi irregularitas propter homicidium contracta. Tollitur 1) per baptismum, ut colligitur ex *c. Si quis dist. 50.* (2); 2) per dispensationem Pontificis, qui potest equidem in omni irregularitate dispensare, etiam ex homicidio voluntario, et contrariam opinionem id negantem *perini-*

(1) *ex c. Is, qui de sent. excomm. in 6.* — (2) *vide Salm. de cens. c. 8. p. 1. n. 15. et alios passim.*

quam et temerariam vocat *Barbosa* (1). Nec obstat textus in *c. Miror ead. dist. 50.*, ubi videtur asseri, nec etiam Papam dispensare *posse* in irregularitate contracta ob homicidium; etenim communiter dicunt DD. (2), illud *non posse* intelligi pro *non debere*, ut patet ex eodem textu.

391. — Episcopi autem, si homicidium fuit voluntarium, nullo modo possunt dispensare in irregularitate, etiamsi illud fuerit occultum, ut habetur in *c. Liceat 6. sess. 24.* Tridentini, ubi episcopi possunt dispensare in omni irregularitate, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. Excipitur solus casus, quo vergeret periculum animæ aut alia gravissima causa urgeret, et non pateret aditus ad Papam, ut docent communiter (3).

392. — Dicunt autem (4), quod, si homicidium sit adeo occultum, ut nullo modo possit probari in judicio, bene possint episcopi dispensare super irregularitate propter illud contracta. Sed hæc opinio mihi nulla valida ratione probatur, unde merito eam rejiciunt *Salm.* (5), *Renzi* (6), *et Ronc.* (7). Ratio, quia episcopi nullam habent facultatem super irregularitatibus, nisi eam, quæ ipsis conceditur a Tridentino in *c. Liceat 6. sess. 24.*, cum inferior nihil possit in lege superioris (8). A concilio autem conceditur ibi quidem episcopis potestas dispensandi super omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, sed expresse excipitur illa, *quæ oritur ex homicidio voluntario.* Nec valet dicere, concilium loqui de homicidio illo, quod, licet sit occultum, tamen in judicio probari possit. Nam *primo* respondetur, quod id gratis supponitur; *secundo* respondetur, idem concilium alibi (9) expresse oppositum declarasse, dicendo: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit.*

(1) *alleg. 39. n. 63.* — (2) *vide Salm. l. c. in fine.* — (3) *Sylv. v. dispensatio n. 11. et Salm. ib. n. 16. in fine cum Machado, Avila, Corn., Diana, Henr. etc.* — (4) *Cov., Abbas, Castro, Texeda, Bannez, Donatus, Miranda etc. ap. Cont., Sporer in supp. p. 149. n. 166., et probabile putat Diana p. 12. in fine libri n. 6. p. 97. art. 2. cum Ang., Vivaldo etc., et Viva de cens. q. 8. art. 2. n. 7. cum aliis.* — (5) *dict. n. 16.* — (6) *de cens. t. 2. q. 10.* — (7) *c. 3. q. 1.* — (8) *ex c. Inferior dist. 21. et clement. Ne Romani de elect.* — (9) *in sess. 14. c. 7.*

393. — Si vero homicidium fuerit casuale, valde probabile est, posse episcopos dispensare in irregularitate ex eo contracta, quando crimen fuerit occultum, cum concilium in *d. c. Liceat* neget episcopis facultatem dispensandi tantum, si homicidium fuerit voluntarium, ad distinctionem casualis; ita communiter(1). Hinc infertur, quod bene possit episcopus dispensare 1) cum eo, qui mandavit famulo, ut tantum percutiat, sed ille casu occiderit(2); 2) cum eo, qui leviter percutere intendens, ex negligentia casu interficiat(3); 3) cum eo, qui percutiendo prægnantem casu efficit, ut eveniat abortus(4); 4) cum clerico, qui exercendo chirurgiam ex imperitia vel negligentia aliquem perimit(5). Præterea communissime docent(6), quod possunt dispensare episcopi in irregularitate ex homicidio casuali, etiam notorio, ad suscipiendos ordines minores et beneficia simplicia; quia id jam poterant episcopi de jure antiquo(7), Tridentinum autem tantum reservavit irregularitatem ex homicidio voluntario, non vero casuali publico. An vero possit episcopus dispensare in homicidio casuali ad recipiendum canonicatum: vide dicenda in simili casu *n. 429.*

394. — Sed dubitatur, an reputetur casuale homicidium in repentina rixa patratum.

Prima sententia affirmat(8). Ratio, quia homicidium voluntarium proprie est illud, quod per industriam et per insidias committitur, ut habetur in Tridentino *c. 7. sess. 14.*, ubi: *Cum etiam, qui per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari evelli debeat.*

Secunda sententia vero probabilior negat(9). Ratio,

(1) *Pal. d. 6. p. 15. §. 7. n. 7., Bon. q. 4. p. ult. n. 5., Cont. Tourn. p. 3. c. 1. a. 3. concl. 3., Roncagl. c. 3. q. 3. in fine, Diana p. 9. tr. 7. r. 21. et Salm. de censur. c. 8. p. 3. n. 43. cum Less., Sayro, Corn. etc.* — (2) *ut Cont. Tourn. l. c. et Bon. n. 8. cum Suar., Mol., Fill. etc.* — (3) *Bon. n. 7.* — (4) *Cont. Tourn. l. c.* — (5) *Diana p. 9. t. 7. r. 22, Less. et Avila.* — (6) *Nav. c. 27. n. 240., Laym. l 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 3. cum Sylv., Sayro et Henr., Barb. alleg. 39. n. 62. cum Miranda, Campanilo, Homob. etc., ac Diana p. 9. tr. 7. r. 22. cum Less., Avila et aliis.* — (7) *ut docent Abbas, Hostiens., Joannes Andrea et alii ap. Laym. l. c. et Barbosa n. 59.* — (8) *et hanc tenent Diana l. c. et Salm. de cens. c. 8. p. 1. n. 6. cum Machado, Philib., Henr., Rodr. etc.* — (9) *et hanc tenent Suar. d. 44. s. 1. n. 3., Nav. c. 27. n. 240., Holzm. de*

quia Tridentinum *l. c.* post verba supra relata: *Cum etiam per industriam etc.*, statim subdit: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit.., nullo tempore promoveri possit: si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo fuisse commissum narretur.., jure quodammodo dispensatio debeatur.* Qui autem in rixa occidit, jam sua voluntate et ex proposito occidit, licet inopinata ira percitus sit, cum jam perpetret homicidium, quod intendit. Nec obstant priora illa verba: *per industriam et per insidias;* nam glossa in *c. 1. de homicidio* illud *per industriam* explicat, i. e. *non casu;* atque idem concilium declarat intelligi, quando aliquis *sua voluntate* et *ex proposito* occidit, ad differentiam occisionis casu factæ, de qua loquitur in secunda parte.

395. — Valde tamen probabile est, quod, si quis incurrat irregularitatem ob homicidium occultum pro defensione propria, possit ab episcopo dispensari, quando excesserit moderamen inculpatæ tutelæ; quia, cum tale homicidium non fiat ex voluntate absoluta occidendi, non potest dici absolute voluntarium, ut loquitur Tridentinum; ita communissime (1).

396. — Prælati autem regulares possunt dispensare cum suis subditis ab irregularitate proveniente ex homicidio occulto casuali, ut docent *Salm.* (2), ex privilegio *s. Pii V.*, relato in extensum ab iisdem *Salm.* (3): imo etiamsi crimen fuerit publicum (4); et etiamsi fuerit voluntarium, defendunt *Salm.* (5) ex concessione *Martini V.*, *Pauli III.* et *Sixti IV.*, ubi concessum fuit prælatis regularibus dispensare in prima die lunæ quadragesimæ in irregularitatibus, *quavis occasione et causa contractæ sint.* Sed hac concessione non

pæn. eccl. n. 335., Conc. p. 488. n. 2., Sporer t. 2. p. 148. n. 251. et 252., Tamb. c. 15. § 6. n. 5. et Diana se revocans p. 10. tr. 11. r. 19. cum Hurt. etc.

(1) *Nav. c. 27. n. 239., ubi asserit, ita sensisse s. pœnitentiariam, Suar. d. 46. s. 1. n. 13., Laym. l. 3. s. 5. tr. 3. p. 3. c. 13. n. 2., Pal. d. 6. p. 15. § 8. n. 10., Cont. Tournely p. 3. c. 1. a. 3. concl. 3. v. hinc, Diana p. 10. tr. 11. r. 19., Croix l. 7. n. 476. cum communi, Bon. q. 4. p. ult. n. 9. cum Sayro, Val., Mol, Corn., Henr. et Avila.* — (2) *de cens. c. 8 p. 3. n. 43.* — (3) *tr. 6. de pœnit. c. 13. p. 3. n. 33.* — (4) *ut dicunt Diana, Vill., Sayrus etc. ap. Salm. de cens. cit. n. 43. in fine.* (5) *l. c. p. 1. n. 17. et c. 7. p. 4. n. 59. cum Peyrino, Portello, Bannez etc.*

obstante censeo, non posse prælatos regulares dispensare, quando homicidium est publicum aut voluntarium, quia in generali concessione non computantur ea, quæ verisimiliter superior non esset concessurus, ut tradunt communiter (1): et patet ex *cap. In generali regula 81. de reg. jur. in 6.* Præterquam quod *Benedictus XIII.*, ut vidimus *n. 101.*, expresse declaravit, quod *solus generalis ordinis possit dispensare* (in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario), *dummodo non fuerit appensatum et intra claustra extiterit consummatum.* Unde, etiamsi concessio illa omnibus prælatis regularibus facta esset vera, videtur a *Benedicto* omnino revocata vel limitata pro solo generali. Quoad sæculares vero possunt confessarii regulares eos dispensare in omni irregularitate, in qua possunt episcopi cum subditis suis, ex privilegio *Sixti IV.* et *Julii II.*, ut notavimus *n. 335.* Hinc bene possunt dispensare cum laicis in irregularitate contracta ob mutilationem vel ob homicidium casuale occultum, prout possunt episcopi cum suis, ut vidimus *n. 381.* et *393.*

DUBIUM V.

Quæ irregularitates ex defectu?

397. Prima ex defectu animæ. *Hinc sunt irregulares: 1) Amentes, dæmoniaci, epileptici.*
398. *Distinctius agitur de amentibus.*
399. *De epilepticis et dæmoniacis.*
400. *Quis possit dispensare in hac irregularitate; et an episcopi possint dispensare in aliqua irregularitate ex defectu. An saltem in dubio. An prælati regulares.*
401. *2) Sunt irregulares illitterati.*
402. *3) Neophyti.*
403. Secunda ex defectu corporis; *vel quia defectus impedit exercitium ordinis, vel quia affert deformitatem.*
404. *Et primo ob* impedimentum exercitii *est irregularis: 1) Cæcus.*
405. *2) Surdus.*
406. *3) Mutus.*
407. *4) Claudus.*
408. *5) Qui caret manu aut digitis omnibus, aut pollice aut indice.*

(1) *Suar. d. 21. s. 3. n. 3., Bon. q. 3. p. 1. n. 12., et Salm. ib. c. 2. p. 4. n. 41. cum Ugol., Cand. ac aliis passim.*

409. *6) Laborans febri, paralysi etc., item abstemius etc.*
410. *Secundo* ob deformitatem *est irregularis: 1) Ille, cui deest membrum, nempe nasus aut oculus. Quid, si desint auriculæ?*
411. *2) Leprosus.*
412. *3) Monstruosus, nempe gibbosus, pigmæus, æthiops.*
413. *Not. 1. Quid, si defectus superveniat ordinibus? Not. 2. Quid, si antecesserit?*
414. *Quis possit in hac irregularitate dispensare. An Papa cum cæco. An prælati regulares.*
415. *Quid, si defectus corporis advenerit ex propria culpa? Et an in eo possit dispensare episcopus.*
416. *Quid de eunucho?*
417. *Quid, si quis causam dederit abscissioni virilium?*
418. *Quid, si quis amputet sibi testiculos ob vocem servandam?*
419. *Et quid, si quis tantum attentet se occidere etc?*
420. Tertia ex defectu natalium.
421. Illegitimi legitimantur: *1) Per matrimonium subsequens.*
422. *An sufficiat, quod matrimonium fieri potuisset tempore nativitatis.*
423. *Not. 1. Quid, si matrimonium fiat, postquam filius est ordinatus? Not. 2. Quid, si matrimonium non consummetur?*
424. *Not. 3. Quid, si matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte?*
425. *Not. 4. Quid, si filii nascantur ex matrimonio clandestino ob omissas denuntiationes?*
426. *2) Legitimantur filii per professionem religiosam.*
427. *3) Per dispensationem pontificiam.*
428. *Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad ordines minores et ad beneficium simplex.*
429. *Dub. 1., an ad recipiendum canonicatum.*
430. *Dub. 2., an cum illegitimo occulto.*
431. *Dub. 3, an saltem ad ministrandum in sacris ordinibus jam susceptis.*
432. *Dub. 4, an filii expositi sint irregulares.*
433. *Principes sæculares possunt legitimare tantum ad sæcularia. Quid in dubio, an quis sit legitimus?*
434. Quarta ex defectu ætatis.
435. Quinta ex defectu sacramenti, *i. e.* ob bigamiam.
436. *Triplex est bigamia, vera, interpretativa et similitudinaria. 1) Quænam sit vera?*
437. *Quæ 2) interpretativa? Hæc contingit quatuor modis. Primus modus, cum quis ducit viduam.*
438. *Secundus modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio.*

439. *Dub. 1. Quid, si credat virginem?*
440. *Dub. 2. Quid, si invalide contrahat?*
441. *Tertius modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram.*
442. *Dub. 1. Quid, si adulterium fuerit occultum?*
443. *Dub. 2. Quid, si cognoscit ignorans adulterium?*
444. *Quartus modus, cum quis contrahit duo matrimonia, unum validum, aliud nullum.*
445. *Dub. 1. Quid, si utrumque fuerit nullum?*
446. *Dub. 2. Quid, si cum bona fide?*
447. *Dub. 3. Quid, si ficte ineatur secundum matrimonium?*
448. *3) Quidnam sit bigamia similitudinaria.*
449. *An hanc irregularitatem incurrant etiam clerici in sacris.*
450. *Quomodo tollatur irregularitas ex bigamia. An Papa possit in ea dispensare.*
451. *An episcopi.*
452. *An saltem quoad ordines minores et ad beneficia simplicia. An in bigamia similitudinaria.*
453. *An prælati regulares possint dispensare cum suis subditis in omni bigamia.*
454. Sexta ex defectu famæ.
455. Septima ex defectu libertatis. *Hinc sunt irregulares: 1) Servi;*
456. *2) conjugati; 3) curiales; 4) milites et administratores publici, atque exercentes sæva aut turpia.*
457. Octava ex defectu lenitatis.
458. *An sit irregularis, qui occidit in defensionem honoris.* (Vide etiam dicta *n. 389.*)
459. *Fiunt irregulares ex hoc defectu: 1) Qui occidunt in bello; sed quando?*
460 *An, qui hortantur in bello ad occidendum.*
461—462. *2) Qui in judicio concurrunt ad mortem vel mutilationem. Modo ipsi 1. cooperentur; 2. active.*
463. *3. Efficaciter. An peccent clerici assistentes supplicio.*
464. *4. Proxime. An peccet confessarius vel alius consultus a judice, respondens, aliquem in particulari esse plectendum.*
465. *Qui possunt excusari? An omnes, qui non concurrunt ut ministri ad causæ probationem vel executionem.*
466. *5. Per actionem ex natura sua ad id ordinatam.*
467. *Quomodo vetitum sit clericis et monachis se intromittere in causam sanguinis.*
468. *Fiunt autem irregulares: 1) Judices; 2) testes voluntarii; 3) accusatores etc. Quid, si accuset clericus? Et quid, si causa sit propria vel aliena?*
469. *An in hac irregularitate possit dispensare episcopus, si fuerit occulta. An prælati regulares.*

470. *Annotantur ultimo facultates, quas habet s. pœnitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis etc.*

397. — „Resp. Prima oritur ex defectu ani„mæ, ex quo irregulares sunt: 1) *Amentes*, *phrene„tici*, *arreptitii et epileptici;* qui tamen, si ordinati sunt, „et intra annum eo morbo non laborant, præsumuntur „liberati et permittuntur ad ordinum exercitium. Si vero „laborent raro, et quidem sine clamore et spuma, per„mittuntur celebrare cum coadjutore, qui deficientibus „ipsis suppleat sacrificium (1).

398. — Loquendo de *amentibus* distinguendum: Si tali defectu laborans jam ordinatus est, tunc omnino, cessante defectu per diuturnum tempus, ex judicio episcopi (vel prælati, si est regularis) poterit in ordine suscepto ministrare (2). Si vero non est ordinatus, nunquam poterit ordines suscipere, si amentia ortum habuerit ex causa permanente et habituali, fundata, ut ait *Suarez*, in læsione organorum vel humorum, quia ita laborantes facile relabuntur in eumdem morbum, ut habetur in *c. Maritum 2. dist. 33.*, ubi dicitur: *Non ordinandum.., qui in furiam aliquando versus insanivit.* Unde sufficit semel insanisse, quia talis raro præsumitur perfecte sanus. Secus tamen, si amentia provenerit ex accidente, puta ex vi febris, vulneris, iræ aut alterius passionis transeuntis, et postea vere cesset (3).

399. — Idem, quod dictum est de amentibus, dicitur de *epilepticis* sive *lunaticis* et *dæmoniacis;* nam si morbus antecedat ordinationem, sunt hi perpetuo irregulares (4). Et patet ex tota distinctione 33. et præsertim ex *c. Communiter*, ubi dicitur: *Communiter definimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a dæmonibus*

(1) *Marc. Leo p. 372. ex c. Illud 7. q. 1., glossa ib.* — (2) *ita Nav. c. 27. n. 203., Suar. d. 51. s. 1. n. 4. et 5. cum Sylv., Gratian. et s. Anton., Bon. d. 7. q. 1. p. 1. n. 1., Pal. d. 6. p. 10. n. 4., Croix l. 7. n. 494., Cont. Tourn. p. 2. c. 2. n. 4. et Salm. de cens. c. 9. p. 7. n. 79. cum Avila, Pelliz. etc.* — (3) *ita Suar. l. c. n. 5., Nav. c. 27. n. 203., Ronc. c. ult. q. 7., Croix l. c. et Bon. p. 2. n. 23. cum Mol., Fill., Ugol., Avila etc. communiter.* — (4) *ita Suarez d. 51. s. 1. n. 6., Bon. d. 7. q. 2. p. 2. n. 22., Croix l. 7. n. 495., Ronc. c. ult. q. 7. et alii passim.*

eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel audeat ministrare, vel se ingerat; exceptis qui corporis incommoditatibus dediti, sine hujusmodi passionibus, in terra probantur elisi: i. e. (ut explicat ibi glossa) *qui raro cadunt.* Dicunt autem *Cabassutius* (1) *et Cont. Tournely* (2), quod, si quis ante pubertatem hoc morbo affectus fuerit, et postea perfecte liberetur, non censetur irregularis, quia, ut ait Hypocrates, epilepsia sæpe in pubertate perfecte curatur. Secus, si morbus accidat post pubertatem, et præsertim post 25 annum. Asserit tamen *Croix* (3), praxim in suis partibus habere, quod, qui per biennium liberi fuerint ab hac infirmitate, accedente declaratione episcopi, ordinantur; imo sine declaratione, si quis per septem annos liberatus probetur. Si vero tali morbo laborans jam ordinatus sit, licet non omnino sit liber, si tamen raro (i. e. semel in mense) cadat nec spumet, poterit privatim celebrare, adjuncto sacerdote jejuno, qui missam perficiat adveniente morbo: ita communiter (4). Et patet ex *c. Communiter*, ubi: *Qui* (i. e. epileptici) *et ipsi* (i. e. obsessi) *tamdiu erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur ab incursu dæmonis liberati.* Illud autem *anni spatio*, dicit *Suarez* (5), non esse in usu, sed relinqui prudentis arbitrio. Notat autem *Mazzotta* (6) *cum Sayro, Ugol.* et aliis, quod, si quis dæmoniacum se simulaverit, hic etiam sit irregularis ad ordines suscipiendos (7). Dicit tamen (8), quod episcopus potest promovere dæmoniacum ad ordines minores, quia in *c. Clerici 4. dist. 33.* fit sermo tantum de ordine sacro; sed probabilius hoc negant alii communissime (9).

400. — In hac autem irregularitate propter defectum animæ durante defectu nec etiam Papa dispensare potest, quia illo laborantes sunt de jure divino inhabiles tam ad suscipiendum quam ad exercendum ordinem. Cessante vero defectu, si cesset ante ordinationem, non possunt in eo dispensare episcopi, quia nulla episcopis con-

(1) *theor. jur. l. 5. c. 19. n. 8.* — (2) *l. c. n. 3.* — (3) *d. n. 495.* — (4) *Suar. d. n. 6., Croix l. c. cum Nav. et Laym., ac Bon. n. 22 cum s. Antonino, Sayro, Ugol. etc.* — (5) *n. 5.* (6) *t 4. p. 446.* — (7) *ex conc. Constant. VI. can. 6.* — (8) *cum eod. Sayro et Fill.* — (9) *vide infra n. 452.*

ceditur dispensatio in irregularitatibus ex defectu provenientibus, nisi in duobus casibus, ut notat *Cabassutius* (1), scilicet: 1) ut possint dispensare natalia illegitimorum ad solos ordines minores et ad simplex beneficium (2). Et 2) idem posse cum bigamo ex consuetudine docent *s. Thomas*, *Sylv.*, *Azor*, *rota Romana* et alii (3) contra *Cont. Tournely* (4) *cum Pont. etc.* Sed vide *n. 452*. Cæterum (5) dicunt, posse episcopos dispensare in omnibus irregularitatibus dubiis, argumento *ex cap. Nuper 29.*, ubi dicitur permissum, quidquid non est reservatum; cum autem reservatio sit odiosa, non censetur facta, ubi impedimentum sive irregularitas non est certa. Ad tollendam igitur irregularitatem certo contractam ex defectu animæ requiritur dispensatio Pontificis (6). Prælati tamen regulares bene possunt dispensare cum suis subditis tali defectu laborantibus, ut ad ordines sacros promoveantur, etiamsi quis passus fuerit permanentem amentiam, si ex judicio medicorum vere cessaverit illius periculum; quia regularibus ex privilegio concessum est dispensare cum suis in omnibus irregularitatibus, exceptis aliquibus, ut diximus *n. 355.*, inter quas non est hæc (7).

401. — „2) *Illiterati*, qui non habent doctrinam necessariam pro ordinibus." *(An autem omnino illiterati sint irregulares tam ad ordines suscipiendos quam ad exercendos: vide dicta l. 6, 791. v. qu. 2. Quid vero de regularibus? Vide ibid. v. qu. 3.)*

402. — „3) *Neophyti* seu recenter conversi, usque dum „judicio episcopi sufficienter instructi sint." *(Putat autem Toletus* (8), *post decennium neophytum non esse amplius irregularem; imo antea, si episcopus judicet, illum bene moribus profecisse.)*

„403. — „Secunda ex defectu corporis: 1) *Si „propter eum ineptus est ad exercitium ordinis:* ut si „sit cæcus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat

(1) *l. 5. c. 19. n. 3.* — (2) *ex c. 1. de filiis presb. in 6.* — (3) *ap. Cabass. l. c.* — (4) *de irreg. p. 3. c. ult.* — (5) *Fag. in c. Veniens de filiis presb. n. 7. et 8. et Cont. Tourn. cum Gib. et aliis.* — (6) *ut docent Bon. p. 2 n. 23., Pal. d. 6. p. 10. n. 5., Salm. de cens. c. 9. p. 7. n. 8., et Suarez d. 51. s. 1. n. 5. contra Majol. et Tab. ap. Bonac.* — (7) *Salm. dict. n. 80., juxta ab iisdem dicta c. 7. p. 4. n. 59.* — (8) *ap. Vivam de cens. q. 9. a. 4. n. 14.*

„ire ad altare: item, si careat manu, pollice, indice, oculo „(non tamen si ungula pollicis vel indicis, vel oculo dextero „tantum; si vero sinistro seu canonico, aut ejus vi vi- „siva careat, indiget dispensatione; quod tamen negant „*Valentia*, *Henr.*, *Sayrus*, si quidem dextero possit absque „deformitate legere canonem). 2) *Si ordinem nequit exer- „cere sine horrore*, offensione aut scandalo aliorum: ut „si careat auribus, naso, si notabiliter sit gibbosus, lepro- „sus, paralyticus; si membra habeat superflua cum magna „deformitate. In dubio vero, an deformitas sit sufficiens, „episcopi est judicare, saltem in clericis: nam in regu- „laribus id spectare ad eorum prælatum contra *Barbo- „sam* etc. docent *Suarez* et alii 5 cum *Diana* (1), licet „concedant, episcopum posse rejicere arbitrium prælati: „hunc autem, si gaudeat auctoritate quasi episcopali, posse „in illa irregularitate dispensare, nisi deformitas sit tanta, „ut scandalum generet (2).

Unde resolves:

„1. Non videtur irregularis: 1) Qui habet sex digitos „vel aliquos conjunctos, si non sit magna deformitas, et „ordinem exercere possit, 2) qui habet in oculo macu- „lam visum non auferentem nec notabiliter deforman- „tem; 3) qui caret ungula pollicis, si possit hostiam „elevare et frangere; 4) qui per vim aut infirmitatem „factus est eunuchus.

„2. Irregularis est hermaphroditus, quia est monstruo- „sus, gigas, pigmæus, æthiops; non tamen inter suos, „sed alienos, ubi disparitas ludibrio est."

404. — Opus est singula latius discutere. Ex duplici capite incurritur irregularitas ex vitio corporis, vel quia impedit congruum exercitium ordinis, vel quia affert notabilem indecentiam aut horrorem; ita communiter DD. cum *d. Thoma* (3). Hinc primo ob impedimentum exercitii irregularis est: *I. Cæcus*, qui omnino visu caret (4). Sed *notandum 1.*, quod, si quis jam sit sacerdos, et constet, non posse errare, poterit a Pontifice obtinere dispensationem (5). *Notandum 2.* Si alicui deest visus oculi dexteri, non est irregularis, ut communiter

(1) *p. 4. t. 2. r. 63.* — (2) *ib. ex Rodr. et aliis 4; vide Bon., Laymann, Marc. Leo p. 3. f. 370.* — (3) *suppl. q. 39. n. 6.* — (4) *ex c. ult. dist. 55.* — (5) *vide dicta l. 6, 390.*

omnes; secus, si sinistri, ut communissime docent (1). Excipitur, nisi oculus dexter esset aptus ad canonem legendum sine magna deformitate, cui facillime occurri potest per accommodationem missalis, illud in medium afferendo (2). Idque vocat *Suarez l. c.* practice probabile, etiam ut quis possit ad sacerdotium promoveri. *Notandum 3.* Si quis non sit omnino cæcus, sed ita cæcutiens, ut non possit legere in missali, hic etiam est irregularis ad ordines suscipiendos. Utrum autem ad eos exercendos: vide *l. 6, 390. Notandum 4.* Non est irregularis, qui est debilis visu, ita ut indigeat perspicillis, vel qui ex obliquo intuetur (vulgo vocatur *guercio*); ita communiter (3).

405. — *II. Surdus*, qui ex utraque aure penitus non audit, ut communissime (4), ex canone 77. apostolorum, ubi id definitum habetur; quia talis sacerdos, cum non possit audire vocem ministri, nequit sine indecentia celebrare. Hanc indecentiam negant *Henriq., Præp. et Gobat* (5), quia, ut ajunt, satis est, ut sacerdos percipiat ex aliis signis, ministrum respondisse; sed communissime, ut diximus, DD. his contradicunt. Concedunt vero (6), quod, si surditas superveniat sacerdotio suscepto, non interdicatur sacerdoti celebratio; facilius enim toleratur defectus superveniens in promoto quam in promovendo, prout de cæcutiente dictum est *l. 6, 390.* Communiter autem docent DD. contra *Comitolum* (7), surdastrum sive difficulter audientem minime esse irregularem (8).

(1) *Bus. cum aliis supra, et Suar. d. 51. s. 2. n. 15., Laym. l. 1. tr. 6. p. 5. c. 7. n. 2., Ronc. q. 6. r. 2., Croix l. 7. n. 500., Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c. 3. concl. 3., et Salm. de cens. c. 9. p. 6. n. 68. cum Nav., Fill. etc.* — (2) *ut dicunt Laym. l. c., Tamb. de irreg. c. 8. §. 1. n. 2., Diana p. 3. tr. 6. r. 22. et Croix l. 7. n. 500. cum Nav., Mol., Sa, Arila, Dicast. etc.* (3) *Holzm. de pæn. eccl. n. 364., Cont. Tourn. l. c., Mazz. t. 4. p. 456., et Tamb. §. 1. n. 3. cum Sayro, Fill., Menochio et aliis.* — (4) *Bon. q. 2. p. 2. n. 7., Cont. Tourn. ib., Ronc. q. 6. r. 2., Croix l. 7. n. 502., Elbel n. 218., Mazz. p. 456. et Tamb. c. 8. §. 1. n. 5. cum Suarez et Turr., et Pal. d. 6. p. 11. n. 3. cum Laym. et Sayro.* — (5) *ap. Croix l. c.* — (6) *Bon. l. c., Tamb. n. 6., Conc. p. 496. n. 5., Pal. d. n. 3. cum Nav., et Laym. ac Salm. c. 9. de cens. n. 67. cum Coninch. et Pelliz.* — (7) *ap. Croix n. 502.* — (8) *ita Cont. Tourn. l. c, Holzm. n. 363., Tambur. l. c. et Croix ib. cum Suar., Bon., Sayro, Reg., Fill., Diana, Graff. etc.*

406. — *III. Mutus*, qui non possit loqui aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronuntiare, quin aliquid omittat (1), vel nisi cum magna difficultate (2). Et idem dicit *Holzmann l. c.* de eo, qui loquelam penitus præcipitem habet. Blæsi vero sive balbutientes aut carentes dentibus non sunt irregulares, etiamsi cum aliqua difficultate verba proferant (3), nisi afferant causam risus aut contemptus (4).

407 — *IV. Claudus*, qui sine baculo nequit ire ad altare (5). Hoc tamen intelligitur, ut explicat glossa (6), i. e.: *Si sine baculo non possit sustentari in altari* (7). Cæterum claudus, qui non indiget baculo, minime est irregularis (8). Sicut nec etiam, qui habet crura distorta (9), quia talis defectus veste talari facile tegi potest; secus, si in hoc magna adesset deformitas. Si quis vero est instructus pede ligneo, quia habet pedem mutilum vel aridum, hic est irregularis (10), eo quod celebrare cum pede ligneo magnam habet indecentiam. Dicit tamen *Tamb.* (11), quod, si talis defectus sit modicus, et aliquo modo indecentia reparari valeat, permitti posset celebratio. Et in dubio standum judicio episcopi.

408. — *V. Qui caret manu aut digitis omnibus aut pollice* (12). Idem dicunt (13) de eo, qui caret indice vel parte pollicis aut indicis, vel qui habet eos ita debiles, ut nequeat hostiam elevare aut frangere. Secus, si quis careat ungue pollicis vel indicis, ut dicitur in *dicto c. ult.* Si quis autem jam fuerit ordinatus, et habet pollicem

(1) *ut Cont. Tourn. l. c., Holzm. n. 363., Viva q 9. art. 4. n. 15.* — (2) *ut addunt Salm. c. n. 67.* — (3) *ut ait Croix l. 6. p. 2. n. 2222.* — (4) *Nav. c. 27. n. 222. et Tambur. §. 1. n. 10. cum Coninch., Sayro, Fill., Præp etc.* — (5) *ut habetur in c. Nullus episcopus 57. de consecr. dist. 1.* — (6) *ib. v. cum baculo.* — (7) *et idem dicunt Bon q. 2. p. 2. n. 15. et Pal. d. 6. p. 11. n. 3.* — (8) *ut dicitur in c. Si quis 19. dist. 55.* (9) *ut Cont Tournely de irreg. p. 2. c. 3. concl. 3., Salm. de cens. c. 9. p. 6 n. 68 et Croix n. 504. cum Pal., Laym. et et Henr.* — (10) *ita Laymann c. 7. n. 4, Nav c. 27. n. 199., Cont Tourn. l. c., Tamb. § 1. n. 17., Bon. n. 13. cum Mol., Sayro, Ugol., Fill., Reg. etc.* — 11) *l. c. cum Sylv., Rosel., Majol. et Giball.* — (12) *ut habetur in c. ult. de corpore vitiato.* — (13) *cum Bus. ut supra, Renzi t. 2. p. 671. q. 3., Tamb. §. 1 n. 12., Fill. c. 6 n. 132., Bon. p. 2. n. 15. cum Suar., Mol., Sayro, Avila, Reg. et aliis.*

impeditum, in casu necessitatis probabiliter posset eucharistiam ministrare posterioribus digitis, ut diximus *l. 6, 244.* Si quis caret tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis (1). Si vero caret uno tantum digito minori, non est irregularis (2); et idem sentit *Cont. Tournely* cum alio auctore, si caret duobus. Nec pariter est irregularis, qui habet sex digitos (3): modo sextus digitus usum aliorum non impediat. Sextus autem ille digitus bene potest abscindi sine periculo irregularitatis, si possit fieri sine periculo vitæ (4). Notat autem *Cont. Tournely l. c.*, quod, si quis careat indice, poterit obtinere dispensationem.

409. — *VI. Laborans febri continua*, non autem quartana aut levi; *aut qui patitur gravem dolorem capitis* (5). Hoc tamen intelligendum de eo, qui non posset celebrare ob talem morbum sine proximo periculo deficiendi vel notabiliter errandi (6); nam optimam in hoc tradit regulam *Laymann* (7), quemcumque morbum non inducere irregularitatem, nisi vel exercitium ordinis impediat, vel notabile scandalum sive indecentiam afferat. Item irregularis est, *qui laborat paralysi*, ut cum *Busembaum*, *Palaus* (8) et *Concina* (9), qui bene ait, id intelligi tantum de eo, qui manus ita tremulas habet, ut sit periculum effundendi calicem. Item qui tantum patitur tussim, ut sit periculum in suscipienda eucharistia (10): item abstemius, qui vinum nequit sumere nisi cum periculo evomendi (11); hic enim esset irregularis de jure divino; nec enim Papa dispensare potest, ut sacrum celebretur in una sola specie, ut diximus *l. 6, 196.*

410. — *Secundo* incurritur irregularitas ex defectu corporis, *quando corporis vitium magnam affert deformitatem sive horrorem* (12). Hinc ratione deformitatis sunt

(1) *Anacl. tr. 13. dist. 3. n. 18., et Cont. Tourn. p. 39. cum Sayro et Ugolino.* — (2) *ut Holzm. n. 364. et Cont. Tourn. p. 39. cum Caj., Nav. et Pont.* — (3) *Holzmann l. c., Cont. Tourn. l. c., Fill. n. 175. et Bon. n. 11. cum Ugol., Henr., Sayro, Reg. etc.* — (4) *Bon. l. c. cum eisdem.* — (5) *Bon. d. 7. q. 2. p. 1. n. 17.* — (6) *ut innuit idem Bonac. n. 18.* — (7) *c. 7. n. 6. cum Soto, Tol., Avila et aliis.* — (8) *n. 3.* — (9) *p. 496. n. 4.* — (10) *Bon. p. 1. n. 21. cum Ugol., Majolo etc. communiter.* — (11) *Cont. Tourn. l. c. etc., Conc. l. c.* — (12) *ut habetur ex c. Presbyterum de cler. ægr. et alias de corp. vit.*

irregulares: *I. Ii, quibus deest aliquod membrum*, nempe qui carent naso (1), vel habent nimis deformem, nempe valde distortum aut valde demissum aut promissum (2): item si alicui est erutus oculus, sive dexter sive sinister (3). Probabiliter vero dicunt (4), hunc non esse irregularem, si deformitas illa reparari possit per oculum vitreum. Sic pariter etiam est irregularis, qui caret auriculis, nisi talis defectus capillis aut aliter tegatur (5).

411. — *II. Leprosi*, ut habetur in *c. Tua nos de clericis ægrot.*, ubi interdicitur leproso celebrare *pro scandalo et abominatione populi;* unde, si abesset scandalum, ut in loco privato, bene hic posset celebrare (6). Sic pariter sunt irregulares, qui habent labia corrosa vel abscissa ad instar leporis (7). Idem dicunt (8) de eo, qui laborat morbo gallico, qui foris appareat: aut qui habet faciem ex alio morbo valde maculatam (9).

412. — *III. Monstruosi*, nempe qui gibbam habent valde enormem, nimirum (10) si gibbositas vel sit conjuncta cum nimia deformitate vel debilitate, prout si nequeat recto capite stare: item pigmæi sive nani, nempe ita breves statura, ut ad risum moveant, præsertim si habeant caput valde ingens (11); vel (12) illi, qui ita statura parvi sunt, ut brachia extendere non possint, quatenus necesse est ad altaris ministerium. Item æthiopes, qui apud nos risum afferrent (13): quamvis hoc negent *Majolus et Gavantus* (14).

(1) *ut in c. penult. de corp. vit.* — (2) *ut Tamb. c. 8. §. 1. n. 19., Bon. p. 1. n. 2. et Viva q. 9. art. 4. n. 15.* — (3) *ut in c. ult. dist. 55.* — (4) *Sylv. ap. Croix l. 7. n. 500. in fine, Cont. Tourn. ib. cum Pontas, Roncaglia q. 6. r. 2. cum Tamb. et aliis.* — (5) *ut dicunt cum Bus. Salm. de cens. c. 9. p. 6. n. 68., Tamb. §. 1. n. 8., Renzi t. 2. p. 670. q. 2, Diana p. 4. tr. 2. r. 75., Pal. d. 6. p. 11. n. 3. cum Laym. et Bon., ac Cont. Tourn. cum Coninch., Avila et Pontas.* — (6) *ita Pal. de euch. p. 13. n. 5., Salm. eod. tit. c. 7. p. 4. n. 56. in fine, Bon. de irreg. d. 7. q. 2. p. 1. n 20. cum Mol., Ugolino et Majolo.* — (7) *Tamb. §. 2. n. 11.. Cont. Tourn., Viva qu. 9. art. 4. n. 15.* — (8) *Cont. Tourn. p. 2. c. 3. v. quod ad morbos, et Holzm. n. 363.* — (9) *ut Laym. c. 7. n. 1.* — (10) *ut docent Anaclet. tr. 13. dist. 3. n. 32., Renzi p. 671. q. 4., et et Bon. p. 1. n. 9. cum Avila, Mol., Ugol., Reg. et aliis.* — (11) *ut Tamb. §. 1. n. 2., Cont. Tourn. l. supra cit., et Renzi p. 672. q. 5. cum Sayro, Majolo, Henr. et aliis.* — (12) *ut ait Laym. in indice v. irregularis.* — (13) *ut Cont. Tourn. l. c. et Ugol. de irreg. c. 50. n. 4.* — (14) *ap. Tamb. §. 1. n. 24.*

Color autem subfuscus sive rubens non nocet altari (1). Item hermaphroditi, etiamsi in eis prævaleat sexus virilis (2). Dicunt tamen (3), quod hic defectus tunc pariat irregularitatem, quando est notus, non vero, quando est occultus.

413. — Super his *notandum 1.*, quod, si aliquis ex præfatis defectibus corporis superveniat ordinibus jam susceptis, sacerdos non impeditur ab actibus illius ordinis, quos potest exercere sine incongruitate et indecentia, ita ut sacerdos cæcus aut claudus bene possit excipere confessiones, canere evangelium etc., ex *c. 7. de clericis ægrot.*, ubi: *Ipsum autem fungi cæteris sacerdotalibus officiis minime prohibemus. Notandum 2.:* Quodsi vero talis defectus ante ordines adveniat, absolute inducit irregularitatem, non solum ad illum ordinem, cujus exercitium impedit, sed ad omnes alios, ut communiter docent (4). Ratio, quia, cum omnes ordines sacerdotium respiciant, exclusus a sacerdotio censetur etiam ab omnibus ordinibus repulsus.

414. — In hac autem irregularitate proveniente ex defectu solus Papa potest dispensare, v. gr. ut cæcus ordinetur: feruntque *Fill.*, *Henr. et Majolus* (5), quemdam Papam dispensasse cum cæco, ut adhibito adjutore perito celebraret. (Cæterum S. C. (6) censuit, bene posse dispensari cum cæco, etiam ex utroque oculo, qui jam sit sacerdos, ut celebret cum assistentia alterius sacerdotis. Secus vero, si laicus, pro quo dicit non esse consulendum Pontificem pro dispensatione ad primam tonsuram, nec etiam ad recipiendum beneficium simplex). Censet pariter *Tamburini*, posse Papam dispensare ad sacerdotium cum eo, qui caret manibus, ut possit saltem ex-

(1) *ut idem Ugol., Fill. c. 6. n. 171. et Tamb. n. 22. cum Majolo.* — (2) *ut Suar. d. 51. s. 2. n. 2., Laym. c. 7. n. 1., Nav. c. 27. n. 203., Bon. p. 1. n. 15.* — (3) *Tol. l. 1. c. 63. n. 6. et Escob. l. 53. n. 209. cum Corn. contra Conc. p. 497. n. 5.* — (4) *Nav. c. 27. n. 200., Bon. p. 1. n. 58., Escob. l. 53. n. 216., Pal. p. 10. n. 4., Salm. de cens. c. 9. p. 6. n. 72. in fine cum Corn., Pell., ac Cabassut. l. 5. c. 19. n. 15. cum Ang., Ugolino et Avila contra Palud. et alios.* — (5) *ap. Tamb. c. 8. §. 3. n. 2.* — (6) *ut refert P. Zacharias adnot. ad Croix l. 7. n. 500.*

cipere confessiones, conciones habere etc. Sed verius hoc negat *Avila* (1), quia potestas supra corpus mysticum fundatur in potestate supra corpus reale Christi; unde, qui ineptus est ad primam, incapax est secundæ. Prælati autem regulares bene etiam possunt dispensare in hujusmodi irregularitate, non autem episcopi, ut diximus *n. 400.*, qui tantum in dubio, an defectus corporis notabiliter impediat exercitium ordinis, vel an magnam afferat indecentiam, possunt declarare sive judicare, ut communiter docent (2). An autem prælati regulares possint de hoc judicare respectu ad suos subditos? Negant *Barbosa* (3) *et Diana* (4) *cum Rodr., Henr. et Campanile:* sed valde probabiliter affirmant (5). Ratio, quia prælati regulares respectu ad suos habent jurisdictionem episcopalem, ad quam tale judicium magis pertinet, quam ad characterem. Recte vero ait *Suarez*, posse episcopum ordinantem admittere vel rejicere talem ordinandum.

415. — Quæ autem dicta sunt, spectant ad eos, qui laborant aliquo corporis defectu *sine* propria culpa; si vero defectus advenit ex eorum culpa, puta si quis membrum vel ejus partem sibi amputaret ex prava intentione, ipsi fiunt irregulares, etiamsi defectus non impediat exercitium ordinis nec deformitatem afferat, quia irregularitas hæc imposita est in pœnam sævitiei in semetipsum; unde in *c. Qui partem 6. dist. 55.*, ut diximus *n. 365. in fine*, declaratur irregularis, *qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscindit.* Ad hanc tamen irregularitatem incurrendam requiritur culpa gravis, ut bene ait *Tambur.* (6); alias tanta pœna non haberet debitam cum culpa proportionem. Alii præterea requirunt, ut tale crimen sit notorium (7): sed verius hoc negant (8), quia talis irregularitas non innititur notorietati culpæ, sed crimini sævi-

(1) *de cens. p. 7. d. 3. d. 3.* — (2) *Suar. d. 51. s. 2. n. 16. cum Nav. et Sylv., Laym. c. 7. n. 7., Diana p. 4. tr. 2. r. 73. cum Miranda et aliis ex c. 2. de corp. vit.* — (3) *alleg. 42. n. ult.* — (4) *p. 2. tr. 6. r. 61.* — (5) *Bus. ut supra n. 402., Suar. l. c., Laym. n. 6., Salm. de cens. c. 9. p. 6. n. 68. in fine cum Avila et Pell., et probabile putat Diana l. c. r. 73. cum Peyr., Miranda et Avila.* — (6) *c. 8. §. 2. n. 3.* — (7) *ut Suarez d. 51. s. 1. n. 8., Bon. q. 2. p. 2. et alii ap. Tambur. n. 8.* — (8) *Pal. d. 6. p. 12. n. 2., Salm. l. c. n. 71. cum Garc., et Tamb. l. c. cum Sayro et Mol.*

tiei, quam quis in seipsum exercet. Recte tamen ait *Tamburini*(1), quod episcopus ex *c. Liceat 6.* Tridentini *sess. 24.* poterit cum illo dispensare, si crimen sit occultum, adhuc si defectus membri sit patens; nam concilium universe concedit episcopis facultatem dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus.

416. — Quid dicendum de eunucho? Respondetur: Qui est eunuchus propter abscissionem virilium aut testiculorum, factam a medicis causa morbi vel ante usum rationis, vel propter injuriam alterius, hic non est irregularis, ut communiter cum *Busembaum* dicunt *Salm.* (2) *et Tamb.* (3); idemque patet ex *cap. Si quis a medicis 7. et cap. S. ac 9. dist. 55.* Ridiculus autem (4) est error illorum, qui putant, opus esse, ut testiculos desiccatos secum gestet is, qui vult ordinari aut celebrare. E converso, qui ex ira aut zelo indiscreto servandæ castitatis abscindit sibi virilia aut testiculos, certe fit irregularis, ut habetur in *c. Si quis 4. dist. 55.*, ubi dicitur: *Si quis abscindit semetipsum, i. e. si amputavit sibi virilia, non fiat clericus.* Et in *c. Hi, qui 5. eod. dist.* Ibi: *Hi, qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum pervenire non possunt.* Item in *c. Si quis 7. ib.* dicitur: *nullum debere promoveri de his, qui hanc rem affectant audentque semetipsos abscindere.* Et idem communiter docent DD. de eo, qui propter eadem motiva permittit ab alio amputari, ut dicunt *Tamb.*(5) *et Salm.*(6), utique infertur ex *c. Si quis 9. dist. 55.*

417. — Quid vero, si quis causam dederit tali abscissioni, sed absque suo consensu, prout cum aliquis accedendo ad conjugatam dat causam, ut a marito virilia sibi abscindantur? *Suarez*(7) et *Bonacina*(8) censent, hunc esse irregularem. Sed valde probabiliter negant (9). Ratio, quia, ut sæpe dictum est, irregularitas, ut incurratur, debet esse expressa in jure; nullibi autem habetur, quod ille, qui abscissioni causam dedit et sine suo consensu

(1) *n. 9.* — (2) *de cens. c. 9. n. 70. in fine.* — (3) §. *2. n. 11.* (4) *ait Navarrus c. 27. n. 200.* — (5) *n. 13.* — (6) *ib. n. 69.* (7) *d. 51. s. 2. n. 8.* — (8) *q. 2. p. 2. n. 33.* — (9) *Tolet. l. 1. c. 82., Tamb. §. 2. n. 25., Coninch. d. 18. d. 13. n. 108., Gibalt. c. 3. q. 1., Hurtadus diff. 14. n. 52. et Pal. t. p. 12. n. 3. cum Garcia etc.*

abscissus est, fiat irregularis: verba enim illa textus in *c. 5.* ut supra: *rem hanc affectant*, idem significant, ut cuique patet, ac appetere sive exquirere; qui autem adulterium vult, etiamsi abscissionem præviderit, eam non appetit nec exquirit.

418. — Præterea dicit *Palaus* (1), et probabile putant *Tamb.* (2) *et Pelliz. ap. Salm.* (3), qui huic sententiæ videntur adhærere, contra *Suarez*, *Mol. et Sayrum*(4), quod, si quis amputet sibi testiculos vel amputari sibi faciat ob vocem conservandam, non fit irregularis, cum id non faciat ex indignatione aut zelo indiscreto castitatis, ut requiritur ad hanc irregularitatem incurrendam (5). Tanto magis, quod textus præfati tantum loquantur de amputante sibi virilia, non autem testiculos.

419. — Idem recte ait *Tamburini* (6), quod, si quis attentet se occidere aut mutilare, non est irregularis; illud enim *affectant* in dicto *can. Hi qui 5.* intelligitur de consensu effectu secuto attentationis, ut patet ex contextu. Dicit tamen idem *Tambur.*(7) cum *Cornejo*, quod, si quis attentaret publice se occidere, contraheret irregularitatem ob infamiam.

420. — „Tertia ex defectu natalium: ex quo „irregulares sunt omnes illegitimi, eo quod ratione ori„ginis reputentur viles (8)." *(Et hoc, etiamsi sint occulti, ut communiter docent* (9).

421. — „Tales autem communi jure *legitimantur:*

„*I. Per subsequens matrimonium* inter eorum parentes, „modo hi tempore conceptionis potuerint valide contrahere." *(Unde si adulter mortua conjuge ducat mulierem, ex qua filium habuit, iste manebit illegitimus* (10).

422. — Valde autem probabiliter dicunt (11), sufficere

(1) *d. p. 12. n. 14.* — (2) §. *2. n. 16.* — (3) *de cens. c. 9. p. 6. n. 70.* — (4) *ap. Diana p. 10. tr. 13. r. 11.* — (5) *in d. c. Qui partem 6. et c. Si quis 9. dist. 55.* — (6) *d. §. 2. n. 18. et 19.* — (7) *n. 20.* — (8) *(ita ex c. 1. et fin. de fil. presbyt.)* (9) *Bon. d. 7. q. 2. p. 3., Pal. d. 6. p. 9. n. 2., et Salm. ib. p. 4. n. 43. cum Avila, Sayro, Pelliz. et Cornejo.* — (10) *ex c. Tanta, qui filii sint legit.* — (11) *Sanchez de matr. l. 8. d. 7. n. 19. Pont. eod. tit. c. 3. n. 2., Anaclet. tr. 13. dist. 3. n. 33., Bonac. p. 3. n. 5. et Salm. ib. n. 47. cum Sayro, Pell., Diana, et Corn. contra Suar. d. 50. s. 1. n. 3., Cont. Tourn. de irreg. p. 3. c. 1. concl. 2. not. 2.*

ad legitimandam prolem et eam reddendam immunem a defectu natalium, quod matrimonium fieri poterat tempore nativitatis, ut colligitur ex *d. c. Tanta*, *qui filii sint legit.*, ubi dicitur, quod proles sit illegitima, *si vir vivente uxore sua aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit.* Susceptio enim prolis verius non fit per conceptionem, sed per nativitatem: saltem ibi Pontifex certe loquitur de filio jam nato, dum ait, illum *ab hæreditate repellendum:* ergo, cum oppositum saltem sit dubium dubietate juris, non censetur in eo casu imposita irregularitas, quæ, ut sæpe repetitum est, non incurritur, nisi in jure sit expressa. Et novissime *Benedictus XIV.* hanc sententiam amplissima dissertatione in forma epistolæ (1) responsivæ ad archiepiscopum s. Dominici in insula Hispaniola illustravit, et sic de hoc casu §. 3. suum sensum aperuit: *In qua controversia satis ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus adversentur, si a nobis judicium interponendum foret, non aliter id a nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum.* In §. 4. procedit ad aliud dubium, quod ita resolvit: *Sed cum certum est, matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius conceptus et in lucem editus fuit, filium hunc legitimum censeremus, cum judex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse.* His positis sic ego pro prima sententia argumentor. Igitur, si in dubio judex in bonum prolis judicare debet, ubi talis casus nulla tribunalium sententia decisus reperitur, cum simus in dubio ob textuum et doctorum discrepantiam, potius proles judicanda est legitima quam illegitima, si quidem etiam in hoc casu certum est, eam in matrimonii constantia editam fuisse, et incertum, an debeat attendi tempus conceptionis an vero ortus.

423. — Præterea hic *notandum 1.* (2), quod, si filius naturalis ante parentum matrimonium esset ordinibus sacris initiatus, illo secuto licite potest in eis ministrare et ad alios ascendere sine dispensatione: quia, licet peccaverit ordines suscipiendo, tamen nullam noxam ob hoc

(1) *in bullario suo t. 1. in ordine 213.* — (2) *cum Salm. de cens. c. 9. p. 4. n. 49.*

crimen contraxit irregularitatis: antiqua autem irregularitas jam ablata est per subsequens matrimonium.

Notandum 2., quod talis legitimatio fit per subsequens matrimonium etiam non consummatum, puta si in articulo mortis contrahitur, quia ex dicto *c. Tanta* virtus legitimandi tribuitur cuicumque valido matrimonio.

424. — *Notandum 3.*, quod filii nati ex matrimonio irrito ob aliquod impedimentum occultum, tamen putato valido, saltem ex uno sponsorum, censentur legitimi; ita communiter (1); et patet ex *c. Cum inter 2. qui filii sint legitimi*, ubi: *Cum parentes eorum publice et sine contradictione ecclesiæ inter se contraxisse noscantur.., sancimus, ut filii eorum habeantur legitimi.* Et idem confirmatur in *c. Ex tenore eod. tit.* Secus vero, si ambo parentes tempore matrimonii fuerint in mala fide, ut habetur in *c. Cum inhibitio 3.* §. *Si quis de cland desp.* Ibi: *Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum præter omne interdictum etiam in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserint* Et sic pariter docet *Suarez* (2), illegitimos esse filios natos ante matrimonium invalide contractum, licet ambo parentes putaverint validum, quia pro his nullus habetur textus eos ut legitimos approbans.

425. — *Notandum 4.*, quod filii nati ex matrimonio clandestino, i. e. sine denuntiationibus ac sine licentia episcopi inito, etsi coram parocho et testibus, reputantur illegitimi, etiamsi parentes in bona fide propter ignorantiam contraxerint: ex eodem §. *Si quis* ut supra in dict. *c. 3.*, ubi dicitur: *Si quis vero hujusmodi clandestina vel interdicta* (scilicet absque proclamationibus, ut prius in textu explicatur) *conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur.* Id tamen limitat *Suarez* (3) pro foro conscientiæ, si parentes adhibuerint debitam diligentiam; sed merito *Bossius* (4) hanc limitationem non admittit, quia legitimatio filiorum ex matrimonio nullo est beneficium indultum a lege, sed lex de-

(1) *Suarez d. 50. s. 1. n. 6., Bon. q. 2. p. 3. n. 5., Conc. p. 497. n. 6. et Cont. Tourn. l. c. n. 3. in med. cum Pontas.* (2) *l. c. n. 11.* — (3) *d. 50. s. 1. n. 1.* — (4) *de contr. matr c. 8. n. 52.*

negat illud filiis parentum, qui contra interdictum ecclesiæ contraxerunt, ut dicitur in præfato textu et confirmatur in *c. Cum inter* mox supra relato verbis illis: *publice et sine contradictione ecclesiæ.*

426. — „*II. Legitimantur filii per professionem religiosam*, quamvis ad dignitates etiam in religione, v. gr. „abbatiam, prioratum etc., promoveri non possint sine „dispensatione (1)." *(Ita ex bulla Gregorii XIII. ac Salmant.* (2). *Quamvis aliunde prælati regulares ex aliis privilegiis bene possunt dispensare in irregularitate cum suis subditis illegitimis* (3).

427. — „*III. Per dispensationem pontificiam.*"

Papa non solum potest illegitimis dispensationem concedere, sed etiam ipsam legitimationem, quæ irregularitatem aufert quoad omnes effectus. Ita communiter (4).

428. — Episcopus vero potest cum illegitimo dispensare tantum ad ordines minores et ad beneficium simplex (5): ac etiam ad canonicatus in collegiatis, vel ad portiones non integras in cathedralibus, vel ad alia beneficia, quibus non est annexus ordo sacer; non vero ad beneficium curatum (6): hoc certum est apud omnes.

429. — Sed *dubitatur 1.*, an episcopus possit dispensare ad recipiendum canonicatum in cathedralibus. Affirmant *Pontas* (7) *et Cont. Tourn.* (8), *Gibert., Oltrado etc.*: quia, ut ajunt, omnis canonicatus per se est beneficium simplex; et licet Tridentinum (9) pro canonicatibus in cathedralibus requirat ordinem sacrum, tamen non requirit hic et nunc, cum clericus possit canonicatum recipere in minoribus, et deinde obtinere dispensationem irregularitatis infra annum, quem concedit concilium ad sacrum ordinem suscipiendum. Probabilius vero negant (10). Ratio, quia, esto canonicatus sit per se beneficium sim-

(1) *vide supra d. 3.* — (2) *de cens. c. 9. p. 4. n 55.* — (3) *ut probant Salm. ib. n. 56. 57. et 58.; vide etiam dicta n. 355.* (4) *Sanch. de matr. l. 8. d. 1. n. 28., Pal. p. 9. n. 6. et Salm. ib. n. 50. cum Azor, Sayro et Cornejo.* — (5) *ex c. 1. et 2. de fil. presbyt. in 6.* — (6) *ut habetur in c. Is, qui de fil. presbyt. in 6.* — (7) *v. dispensare irreg. causa 28.* — (8) *l. c. n. 5. in fine.* — (9) *sess. 24. c. 12.* — (10) *Pal. d. 6. p. 9. n. 8., Less. l. 2. c. 34. n. 66., Barb. alleg. 45. n. 24., Conc. t. 10. p. 497. n. 7., et Salm. de censur. c. 9. p. 4. n. 51. et 52. cum Corn., Henr., Avila et Philib.*

plex, attamen ex præscripto concilii est annexus ordini sacro: unde per se statim sacrum ordinem requirit; quod autem infra annum possit provisus illum suscipere, est beneficium a Tridentino indultum, sed hoc naturam rei minime immutat.

430. — *Dubitatur 2.*, an episcopus possit dispensare in hac irregularitate cum illegitimo occulto. Affirmant *Diana*(1) et *Avila*, *Barbosa*, *Pelliz.*, *Reg.*, *Peyrinus etc. ap. Salm.*(2), qui probabile vocant; quia, ut ajunt, Tridentinum concessit episcopis dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto (præter homicidium) provenientibus, non distinguendo, an delictum fuerit proprium aut alienum. Sed verius negant(3). Ratio, quia hæc irregularitas proprie non est ex delicto, sed ex defectu; et verius illud *ex delicto* intelligitur de delicto proprio, non alieno.

431. — *Dubitatur 3.*, an episcopus possit dispensare cum illegitimo occulto quoad ministrandum in ordinibus majoribus susceptis.

Prima sententia(4) affirmat absolute, si initiatus bona fide ordinem susceperit, quia is jam acquisivit jus ad ministrandum: imo etiamsi mala fide, adhuc probabile putant, posse episcopum cum eo dispensare, argumento in *c. Nisi cum pridem et renuntiat.*, ubi dicitur posse dispensari cum eo, qui culpabiliter suscepit ordinem cum irregularitate occulta.

Secunda sententia verior universe negat(5). Et probatur ex *c. 1. de filiis presbyt. in 6.*, ubi absolute dicitur, quod episcopi nequeunt dispensare in irregularitate ex defectu natalium nisi tantum ad ordines minores; unde, cum illegitimus sit incapax ad ordinem majorem exercendum, non potest ad eum jus ullum acquirere. Illud autem, quod dicitur in textu citato, nempe quod etiam cum eo, qui culpabiliter processerit, poterit dispensari, cer-

(1) *p. 1. tr. 15. r. 21.* — (2) *dict. n. 52.* — (3) *Laym. l. 2. tr. 5. p. 3. n. 2, Suarez d. 50. s. 5. n. 5., Bon. q. 2. p. 3. in fine, Cont. Tourn. l. c. n. 2., Diana se revocans p. 4. tr. 2. r. 64., Pal. p. 9. n. 10. cum Hurt. et Salm. ib. n. 53. cum Coninch., Cornejo et Philib.* — (4) *quam tenent Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. n. 2., Pal. p. 9. n. 10. et Diana p. 4. tr. 2. r. 64.* (5) *eamque tenent Suarez d. 5. s. 5. n. 4., Fill. tr. 19. c. 5. n. 155. et Salm. de cens. c. 9. p. 4. n. 54. cum Cornejo.*

tum est, sed ibi non dicitur ab episcopo; ergo intelligendum ab habente potestatem, scilicet Pontifice.

432. — *Dubitatur 4.*, an *filii expositi*, quorum parentes ignorantur, censendi sint illegitimi et irregulares.

Prima sententia affirmat (1), quia pro his vehementes adsunt conjecturæ, esse illegitimos, cum legitimi non soleant exponi.

Secunda sententia vero probabilior negat (2). Ratio, quia ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur, ut quis sit certus de sua illegitimitate; sed expositi sunt dubie illegitimi, cum multoties parentes etiam conjugati propter inopiam filios exponant. Huic sententiæ magnum pondus tribuit declaratio *Gregorii XIV.*, expedita anno 1591, quam AA. præfati referunt, ubi Pontifex declaravit in gratiam confraternitatis pro expositis, eos non reputari illegitimos, nisi tales probentur. *Giballinus* (3), licet sit pro hac sententia, dicit tamen, hanc declarationem parum probare, quia fuit facta in gratiam confraternitatis: sed mihi videtur nimis probare; nam illa potius fuit edita in gratiam expositorum quam confraternitatis. Saltem dicendum, quod hujusmodi irregularitas in exposito non sit sufficienter expressa in jure.

433. — „Principes vero sæculares non possunt legiti„mare, nisi tantum in ordine ad officia sæcularia et hæ„reditates. Porro, cum dubium est, an quis sit legitimus, „non censeri irregularem, contra *Vasquez* et alios 5 vult „*Diana* (4) *ex Avila*, eo quod quilibet præsumatur legiti„mus, donec contrarium probetur: neque teneri hac in „re credere ipsimet matri, etiam in fine vitæ, nisi ra„tionibus convincat, vel pater etiam asserat (5)."

434. — „Quarta est ex defectu ætatis, de quo „vide in sacramento ordinis (6).

435. — „Quinta ex defectu sacramenti, sive „significationis matrimonii, ratione bigamiæ, eo quod bi-

(1) *et hanc tenent Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c. 1. concl. 1. v. qu. 3., Fill. tr. 19. n. 141. et Bon. q. 2. p. 3. n. 10. cum Avila, Ugol., Reg., Reb., Garc. etc.* — (2) *et hanc tenent Pal. p. 9. n. 2., Pont. de matr. l. 2. c. 6. n. 4. et Salm. ib. n. 44. cum Coninch., Giball., Diana et Pelliz., ac probabilem censet Suar. d. 50. s. 4. n. 5.* — (3) *ap. Cont. Tourn. l. c.* (4) *p. 4. t. 2. r. 59.* — (5) *ib. ex communi; (vide dicta l. 4, 654.)* — (6) *(vide dicta l. 6, 783. et 799.)*

„gamus non perfecte repræsentet unionem Christi cum „ecclesia, quippe qui carnem suam divisit in plures uxo„res. Non sufficiunt autem ad hanc bigamiam sponsalia „cum pluribus etiam secuta copula: nec fornicatio vel „adulterium vel matrimonium ratum cum pluribus: sed „matrimonium verum vel præsumptum cum duabus et „consummatum (1). Dixi: *vel præsumptum;* quia, licet „quandoque secundum matrimonium sit nullum, juris ta„men fictione et interpretatione præsumitur bigamia, licet „improprie dicta.

Unde sequitur, irregulares fieri sequentibus casibus:

„1. Qui vivente vel mortua prima uxore cognita secun„dam cognoscit, etsi matrimonium sit invalidum.

„2. Qui viduam non virginem ducit et cognoscit.

„3. Qui ducit uxorem prius ab alio corruptam, etiam „per fornicationem, et cognoscit; non tamen, si ipse eam „ante corrupit, quia tunc non est divisio carnis in plures.

„4. Qui propriam uxorem cognoscit, postquam ab alio „per adulterium cognita fuerit, quia ipsa jam divisit car„nem in plures. Nec refert, etsi per vim vitiata fuerit, „vel vir corruptam aut viduam esse ignoraverit; quia hæc „irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu signi„ficationis sacramenti.

„5. Qui post solemne votum castitatis de facto matri„monium contrahit et consummat, etiam cum virgine: „quia interpretatione juris censetur duo matrimonia con„traxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale „cum muliere. Nec refert, quod invalide contrahat; quia, „quantum est in ipso, effectus a parte rei ponitur."

436. — Quinta igitur irregularitas oritur *ex defectu sacramenti*, nempe *ex bigamia*, ut patet ex toto titulo *de bigamis*. Idque illatum est ex illo Apostoli 1. *Tim. 3, 2.: Oportet episcopum unius uxoris esse virum.* Dicitur: *ex defectu sacramenti;* quia is, qui duas duxit uxores, non potest apte significare unionem Christi cum ecclesia unica ejus sponsa. Bigamia autem triplex est: *vera*, *interpretativa* et *similitudinaria*. Et *1) vera* est, quando quis cum duabus successive verum contraxit matrimonium (2).

(1) *(ut habetur ex cap. Debitum 5. de bigam. 7.)* — (2) *ut ex c. Præcipimus 10. dist. 34. et c. Debitum de bigam.*

Debet tamen utrumque matrimonium esse consummatum (et consummatum juxta dicta *de matrim. n. 1075.*, utque probat *Sanchez*(1) cum aliis ex *c. Debitum de bigamis*, ubi expresse petitur ad bigamiam conjugium commixtione corporum consummatum); quia alias conjux non dicitur cum pluribus carnem suam dividere nisi per copulam consummatam, cum de duabus una fiat caro; ita communiter (2).

437. — *2) Bigamia interpretativa* contrahitur ab eo, qui juris interpretatione sive fictione quadam censetur duas habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. Hæc bigamia quadrupliciter contingit, ut docet *d. Thomas* (3). *Primus modus*, quando quis ducit viduam jam cognitam, etiamsi ducat invalide (4). Dicitur: *cognitam*; nam secus esset, si primus vir eam non cognoverit (5).

438. — *Secundus modus*, quando quis ducit mulierem corruptam ab alio: ita communiter (6). Et patet ex *c. ult. dist. 51.*, ubi declarantur irregulares *mariti corruptarum*; et ex *c. Curandum dist. 34.*, ubi *Hilarius Papa* dixit: *Ne ad sacros ordines quisquam, qui uxorem non virginem duxit, aspiret.* Secus, si quis duceret mulierem a se prius corruptam (7).

439. — Sed hic *dubitatur 1.*, an fiat irregularis, qui ducit corruptam, credens bona fide virginem. Negant *Sa*, *Ledesma* et alii (8), quia hæc irregularitas contrahitur ex proprio facto: ergo ad eam requiritur actio advertenter et voluntarie exercita. Affirmant tamen communiter et verius (9). Ratio, quia irregularitas hæc non est ex delicto, sed ex defectu significationis; unde bona fides non

(1) *l. 7. d. 93. n. 6.* — (2) *Sanch. de matr. l. 7. d 83. n. 4, Bon. d. 7. q. 2. p. 5. n. 2., Pal. d. 6. p. 8. n. 2., Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 25. et alii passim.* — (3) *suppl. q. 66. art. 1.* — (4) *ut patet ex c. A nobis ult de bigam.* — (5) *ex c. Debitum eod. tit.* — (6) *cum d. Thoma l. c., Sanch. l. 7. d. 54. n. 7., Pal. p. 8. n. 4., Salm. de cens. c. 9. p 3. n 29. et aliis.* (7) *ut communiter d. Thomas l. c. art. 3. ad 2. et Salm. ib. n. 32. cum Sanch., Palao, Toleto etc.* — (8 *ap. Sanch. de matr. l. 7. d. 84. n. 15.* — (9) *d. Thomas suppl. qu. 66. art. 3. ad 3., Sanchez n. 8., Suarez d. 45. s. 3. n. 15., Laym. c. 6. n. 3., Cont. Tourn. p. 2. c. 7., Conc. t. 10. p. 498. n. 11., Barbosa alleg. 49. n. 9., Pal. p. 8. n 6. cum Nav., Abb., Avila et Garcia ac Salm. ib. n. 30. cum Soto, Sayro, Henriq. et Cornejo.*

impedit, ut caro viri non dividatur cum corrupta, licet virgo credatur.

440. — *Dubitatur 2.*, an sit irregularis, qui cum corrupta invalide contrahit ob aliquod impedimentum dirimens.

Prima sententia, quam sequimur, affirmat(1). Et probant ex *cap. A nobis ult. de bigamis*, ubi dicitur irregularis quidam diaconus, qui viduam ducit, etiamsi nullum fuerit conjugium cum corrupta initum.

Secunda sententia vero negat, et hanc tenent *Sanch.*(2), *Palaus*(3), *Nav.*(4) *et Salm*(5) *cum Valentia*, *Corn.*, *Henr.*, *Diana et Pelliz.*; ibi testatur *Farinaccius*, ita a S. C. decisum. Ratio, ut ajunt, quia in præfato textu mentio fit de duobus conjugiis contractis: uno spirituali, nempe sacræ ordinationis, qua diaconus desponsatur cum ecclesia: altero carnali, licet invalido; et ideo diaconus ille declaratur irregularis, non quia cum vidua contraxit, sed propter bigamiam similitudinariam, ut explicabitur *n. 448.* Sed respondetur, quod in textu citato non appellatur ille irregularis, quia duo matrimonia contraxit, revera enim non fuit maritus viduæ, cum invalidum fuerit conjugium; sed quia *cum eo* (ait Pontifex) *tamquam cum marito viduæ dispensare non licet*, *non propter sacramenti defectum*, *sed propter affectum intentionis cum opere secuto.* Ergo non consideravit Papa (in quantum ad rationem irregularitatis) conjugium spirituale in sacra ordinatione ab eo contractum; nam hæc irregularitas inducitur, etiamsi quis constitutus in sacris virginem ducat, prout ostendemus *d. n. 448.*: sed eum declaravit irregularem *tamquam maritum viduæ*, *propter affectum intentionis*; ergo non obstat, quod matrimonium sit nullum.

441. — *Tertius modus* incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est, quando quis cognoscit uxorem, postquam illa adulterium commiserit, ex *c. Si cujus 11. et c. Si laici 12. dist. 34.*(6). Ratio, quia vir

(1) *et hanc tenent Suar. d. 49. s. 3. n. 3. cum Rich. et communi, ut asserit, item Cont Tourn. l. c. et Covarr. ac Corn. ap. Salm. c. 9. n. 31.* — (2) *de matrim. l. 7. d. 84. n. 11.* — (3) *p. 8. n. 4.* — (4) *c. 27. n. 195.* — (5) *l. c. n. 31.* — (6) *et ita communiter Sanch. l. 7. d. 84. n. 15., Suar. d. 49. s. 3. n. 16., Pal. p. 8. n. 6., Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 33. et Barbosa alleg. 49. n. 8. et alii omnes.*

cognoscens uxorem ab alio cognitam censetur, ac si corruptam duxisset.

442. — Sed *dubitatur 1.*, an talis vir fiat irregularis, si adulterium fuerit occultum. Negant *Herincx* et alii (1), quia, ut ajunt in *dict. can. Si cujus* dicitur: *Si evidenter fuerit comprobatum*, (uxorem) *adulterium commisisse.* Affirmant vero *Cont. Tournely l. c.*, *Elbel l. c.* cum communi, ut asserit, et *Bonacina*(2) *cum Suarez*, *Ugol. et Fill.* Idque tenent, etiamsi mulier fuerit vi oppressa. Ratio, quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, sed ex defectu significationis: et licet ista adultera non sit vera adultera, tamen vere carnem suam cum alio divisit, si seminationem habuit, ut requiritur. Verum *Elbel l. c.* primam sententiam probabilem vocat, quia verba supra relata: *si evidenter fuerit comprobatum adulterium*, satis videntur excludere adulterium occultum; sed hoc non obstante prima sententia mihi magis arridet.

443. *Dubitatur 2.*, an fiat irregularis, qui ignorans adulterium uxoris illam cognoscit. Negant glossa (3) ac *Reb.*, *Lopez*, *Sa*, *Ledesma etc.* (4): quia, ut ajunt, cognoscens uxorem, quam ignorat ab alio cognitam, non cognoscit modo rationali, unde non dicitur cognoscere adulteram. Sed communiter et verius affirmant (5). Ratio, quia, ut diximus, hæc irregularitas ratione bigamiæ non est ex delicto, sed ex sacramenti defectu, qui culpam non requirit.

444. — *Quartus modus* incurrendi irregularitatem ob bigamiam interpretativam est, quando quis duo contrahit et consummat matrimonia, unum validum, alterum invalidum. Pro hac irregularitate non habetur textus expressus, sed communiter DD. eam deducunt ex *c. Nuper de bigamis*, ubi sermo fit de clerico, qui ante sacrum ordinem matrimonium contraxit, deinde jam ordinatus aliud inivit, ibique dicitur tamquam bigamus reputandus, non propter sacramenti defectum, cum secundum matrimonium

(1) *ap. Elbel de irreg. n. 260.* — (2) *q. 2. p. 5. n. 5.* — (3) *in c. 2. de bigam. v. in bigamis.* — (4) *ap. Sanch. d. 84. n. 15.* — (5) *Pal. p. 8. n. 6., Bon. p. 5. n. 5., Busemb. supra, et Sanch. l. c. cum Nav., Soto, Toleto, Bellarm., Palud., Covarr. et innumeris aliis.*

irritum fuerit, sed ob intentionis affectum ad duo matrimonia cum copula secuta (1).

445. — Sed *dubitatur 1.*, an fiat irregularis, qui duo matrimonia contraxit, ambo invalida. Negant *Diana* (2), item *Avila*, *Coninch. et Henr. apud Salm.* (3), qui probabile vocant. Ratio, quia, ut ajunt, hic casus non est expressus in jure. Sed probabilius affirmant (4). Et probatur ex *c. A nobis de bigamis*, citato *n. 440.*, ubi (ut vidimus) ille diaconus, qui viduam duxit, *tamquam maritus viduæ* fuit declaratus irregularis, *non propter sacramenti defectum*, *sed propter affectum intentionis.* Ergo solus affectus irregularitatem inducit.

446. — *Dubitatur 2.*, an, si quis contraxit duo matrimonia nulla in bona fide, incurrat irregularitatem. Negat *Sanchez* (5) *cum Archidiacono*, *Astensi et Bellamera*, quia is potius censetur irregularis ex delicto quam ex defectu, cum in *c. Nuper de bigamis* ille, qui antea uxorem duxerat et postea constitutus in sacris aliud conjugium contraxerat, dictus fuit irregularis, non propter defectum sacramenti, sed ob affectum intentionis; ergo ob crimen affectus punitus fuit: quando igitur non adest crimen, non incurritur irregularitas. Sed communius et probabilius affirmant (6). Ratio, quia in præfato textu non consideratur crimen affectus, sed affectus ad secundum matrimonium. Idque expresse confirmatur ex *c. A nobis de bigamis*, ut vidimus *n. 440.*

447. — *Dubitatur 3*, an incurrat irregularitatem, qui ficte contrahit secundum matrimonium tantum ad copulam extorquendam. Negant *Palaus* (7), *Diana* (8), item *Avila* et *Hurt.* (9), quia tunc deficit affectus maritalis, qui requiri-

(1) *ita d. Thom. suppl. q. 66. art. 2., Toletv l. 1. c. 26. n. 4., Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 26. cum Corn. et Led., ac Sanch. d. 84. n. 3. circa medium cum Soto, s. Antonino, Palud., Bellarmino, Valentia.* — (2) *p. 4. tr. 2. r. 38.* — (3) *ib. n. 28.* — (4) *s. Thom. suppl. q. 66. art. 2., Suarez d. 49. s. 2. n. 11., Bon. p. 5. n. 2., Pal. p. 8. n. 10., Cont. Tourn. l. c. v. qu. 3., Conc. p. 498. n. 11., Salm. dict. n. 28. cum Suar., Corn. et Sayro, ac Sanch. l. 7. d. 84. n. 3 cum s. Antonio, Palud., Soto, Toleto, Bellarm., Sa, Valent., Led., Lop. et aliis communissime.* — (5) *d. disp. 84. n. 6.* — (6) *Sylv. v. bigamia q. 7., Angel. eod verb. n. 9., item Joannes Andrea, Ancharanus, Abbas, Henriq. etc. ap. Sanch. l. c. infine.* — (7) *p. 8. n. 7.* — (8) *p. 4. tr. 2. r. 38.* — (9) *ap. Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 27.*

tur in dicto *c. Nuper* verbis to *Propter affectum intentionis*. Sed probabilius affirmant (1). Ratio, quia ad irregularitatem non requiritur affectus ille ad duo matrimonia vere contrahenda, sed sufficit affectus ad duo matrimonia exterius ineunda *).

Idem videtur procedere respectu viri, qui contraxit cum violata, credens illam virginem, de quo dictum est *n. 439.* Et idem respectu viri ignoranter reddentis debitum adulteræ, quæ sit occulta, vel quæ violenter fuerit oppressa juxta dicta *n. 442. et 443.*

448. — 3) Demum *bigamia similitudinaria* est illa, quæ contrahitur ex attentatione matrimonii, quamvis invalidi, cum corrupta, vel virgine post votum solemne emissum in religione approbata vel post susceptionem sacri ordinis. Hujusmodi enim nubentes similes sunt contrahentibus duplex matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum ab eo recedentes attentant matrimonium contrahere; ita communiter DD. (2) ex *c. Quotquot 23. et c. Monacho 32. c. 27. q. 1.* Dummodo tale matrimonium sit consummatum, ut adhuc communiter DD. docent, utque habetur ex dicto *c. Monacho*, ubi: *Si postea uxori fuerit sociatus.*

449. — Minime autem sunt audiendi (3) dicentes, hanc irregularitatem incurri tantum a monachis professis. Nam communissime docent AA., eam incurri etiam a clericis constitutis in sacris (4). Idque clare probatur ex *c. 1. Qui*

(1) *Suarez d. 49. s. 2. n. 10., Tourn. p. 61. q. 3. et Salm. l. c. cum Corn.* — (2) *Suarez d. 49. s. 3. n. 2. et 6., Anacl. tr. 13. dist. 3. n. 42., Sanch. l. 7. d. 85. n. 5., Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 36. et alii passim.* — (3) *Hurt. et Tanner ap. Salm. l. c., item Abbas, Hostiensis et Archid. ap. Suar. d. 49. s. 5. n. 4., qui improbabiliter id probabile putat.* — (4) *ita idem Suar. n. 8., Salm. dict. n. 36. in fine, Anacl. d. n. 42., Nav. c. 27. n. 195., Tol. l. 1. c. 26. n. 7., et Sanch. d. 85. n. 5. cum Sa, Valent., Graff., Led., Gabr., Philiarch. et aliis pluribus.*

*) Nota hic retractationem 99. *s. Alphonsi: Quæritur, an incurrat irregularitatem ratione bigamiæ, qui contrahit duo matrimonia nulla, vel qui ficte secundum matrimonium init ad copulam extorquendam. Hic (l. 7, 446. et 447.) dicimus affirmandum, quidquid in priori libro dictum fuerit.*

Editor.

clerici vel monachi etc., ubi dicitur, posse episcopus post peractam pœnitentiam dispensare cum diacono, qui uxorem duxerit, ad ordinem ministrandum; ergo diaconus ille jam habetur ut irregularis. Item in *c. 2. eod. tit.* dicitur, quod episcopus non permittat subdiacono, qui matrimonium contraxit, ministrare. Quamvis igitur, ait *Sanchez*, talis clericus non esset irregularis ex defectu ob bigamiam similitudinariam, saltem tamen incurrit irregularitatem ob delictum. Recte autem rejicit *Sanchez* (1) opinionem illorum, qui dicunt, fieri irregularem, qui matrimonium contrahit post simplex votum castitatis, cum hoc in nullo jure sit expressum. Sic pariter ex eadem ratione nec est irregularis laicus, qui ducit monialem professam, quia jura loquuntur tantum de contrahente post proprium votum (2).

450. — *Quæres* hic, quomodo tollatur hæc irregularitas. *Dico 1.*, quod hæc irregularitas non tollitur per baptismum, ut docent communiter (3); et videtur expressum in *c. Si quis viduam 15. dist. 34. Dico 2.*, quod Papa bene possit in illa dispensare; et licet in canonibus de bigamis dicatur: *Cum bigamis non licet dispensare*, tamen hoc intelligendum: sine gravi causa, ut docent *Sanchez* (4), *Conc.* (5), *Salm.* (6) *cum Sayro et Corn.*, item *Cont. Tournely* (7) cum communi, qui ita fert dispensasse *Lucium III* ex glossa in *c. Lector 18. dist. 34.* Nec obstat dicere, hanc irregularitatem institutam fuisse a *d. Paulo*, juxta dicta *n. 436.* Nam respondetur, quod constitutiones apostolorum præcise ut tales non transcendant jus humanum, in quo utique Papa omnem potestatem habet.

451. — Episcopus autem, si bigamia fuerit vera aut interpretativa, minime potest in ea dispensare, neque ad ordines sacros suscipiendos, neque ad ministrandum in susceptis, neque ad beneficia ipsis annexa recipienda: ut communiter docent (8), et patet ex *c. Super eo de biga-*

(1) *n. 11. et 17.* — (2) *Sanch. n. 12. et Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 36. cum Sayro, Cornejo et Henr.* — (3) *s. Thom. d. q. 66. q. 4., Suar. d. 49. s. 5. n. 10., Sanch. l. 7. d. 83. n. 9., et Salm. ib. n. 37. cum Corn., Pelliz. etc.* — (4) *l. 7. d. 86. n. 6.* — (5) *p. 499. n. 14.* — (6) *l. c. n. 38.* — (7) *p. 2. c. 7. v. quæritur 1.* — (8) *d. Thom. suppl. q. 66. a. 5. et Salm. ib n. 39. cum aliis passim.*

mis. Nec obstat textus in citato *c. Lector*, ubi dicitur *Martinus Papa* declarasse, quod episcopus possit dispensare cum bigamo, ut fiat subdiaconus. Nam respondent (1), errasse *Gratianum* asserendo, prædictum canonem esse *Martini Papæ*, cum plures AA. probent, fuisse *Martini Bracharensis* collectoris multorum canonum ex diversis conciliis particularibus. Sed dato, quod fuisset *Martini Papæ*, tamen, cum in toto titulo de bigamis prohibeantur episcopi a dispensando in bigamia, videtur certum, prædicto canoni fuisse derogatum. Præterquam quod dicunt *Salm.* (2), quod tempore *Martini Papæ* subdiaconatus non adhuc erat ordo sacer.

452. — Sed rogatur, an possit episcopus dispensare cum bigamo quoad ordines minores et beneficia simplicia suscipienda. Affirmant *d. Thom.* (3), *Nav.* (4), *Sanch.* (5), *Conc.* (6), item *Palud.*, *Azor*, *Avila*, *Comitolus* et alii (7), et probabile putat *Suarez* (8). Ratio, quia per susceptionem minorum ordinum initiati non mancipantur irrevocabiliter cultui divino, et ideo episcopis concedi ajunt hujusmodi dispensationem. Sed verius negant (9) ex declaratione S. C. Et probatur ex Tridentino (10), ubi vetatur assumere bigamos ad ministeria ordinum minorum; et ex *c. un. de bigamis in 6.*, ubi bigami expoliantur omni privilegio clericali; sed clarius probatur ex declaratione *Sixti V.* (11), qua declaravit Pontifex suspensum quemdam episcopum, eo quod contulit bigamo beneficium simplex, et ordinatum incidisse dixit in pœnas male promoti. Adversarii contra minime probant, unde episcopi talem facultatem habeant. In bigamia autem similitudinaria bene possunt episcopi dispensare, etiam ad ordines sacros suscipiendos et ministrandos (12); idque probatur ex *c. 4. de cle-*

(1) *Suar. d. 46. s. 6. n. 5. et Cont. Tourn. l. c. v. qu. 2.* — (2) *dict. n. 39.* — (3) *in 4. d. 27. q. 3. art. 3.* — (4) *c. 27. n. 197.* (5) *l. 7. d. 86. n. 11.* — (6) *p. 599. n. 14.* — (7) *ap. Pal. d. 6. p. 8. n. 17.* — (8) *d. 49. s. 6. n. 5.* — (9) *Suar. l. c., Cont. Tourn. l. c. v. dico 2., Laym. c. 6. circa fin., Barb. alleg. 48. n. 25. Bon. d. 7. p. 5. n. 15. et Pal. n. 18. cum Garcia.* — (10) *sess. 23. c. 17.* — (11) *ap. Fagnan. l. 1. in c. Super eo de bigam. in fine.* — (12) *ut docent Tolet. l. 1. c. 26. concl. 6., Salm. de cens. c. 9. p. 3. n. 41., Suar. n. 18., Sanch. n. 20., Cont. Tourn. l. c. v. dico 3., et Pal. n. 19. cum Garcia et aliis pluribus.*

ric. conj. et c. 1. Qui clerici vel vov. Et hoc currit(1), etiamsi crimen fuerit publicum, cum hæc irregularitas proveniat ex defectu, non ex delicto. Recte vero excipit *Cont. Tourn.* cum communi, si talis clericus duxerit viduam vel corruptam, aut si ante ordinationem fuerit cum aliqua muliere conjugatus.

453. — Prælati autem regulares ex privilegio *Sixti IV.* possunt dispensare cum suis subditis in omni bigamia: præter privilegium *Pauli III.*(2), in quo conceditur ipsis facultas dispensandi cum suis subditis in omni irregularitate, bigamia non excepta(3).

454. — „Sexta oritur ex infamia, sive *juris* „(quæ vel ex delicto proprio vel parentum, vel vili con„ditione personæ nascitur), sive *facti*, modo crimen pu„blicum sit: ex occulto enim non oritur, si homicidium „et censuræ violationem excipias, ut docent *Navarrus*, *Coninch.*, *Laymann* contra *Sylv.* et *Suarez*, qui ex occulto „etiam oriri putant, modo infamiam ipso jure connexam „habeat. Porro infamia ob crimen notorium vel per sen„tentiam judicis contracta non tollitur nisi per dispen„sationem principis, cujus auctoritate contracta fuit. In„famia facti, etiam orta ex enormi crimine et digna de„positione, tollitur per publicam et constantem vitæ emen„dationem(4)." *(Irregularitas enim ob infamiam ex defectu et ex delicto in idem coincidunt).*

455. — „Septima oritur ex defectu libertatis. Unde irregulares sunt: 1) Omnes servi proprie dicti, „et secundum *Laymann*(5) etiam originarii, donec con„sequantur plenam libertatem.

Servus, qui sciente et non contradicente domino ordinatur, etiam ad primam tonsuram, eo ipso liber manet(6). Poterit tamen dominus eum manumittere cum conditione, ut serviat in iis, quæ statui clericali non repugnant(7). Si vero servus ordinetur ignorante domino, remanet servus, nisi constituatur in sacris, et nisi in-

(1) *ut notant Salm. dict. n. 41. in fine cum Corn. et Henr.* (2) *relatum a Salm. eod. tr. c. 7. p. 4. n. 59.* — (3) *ita Pal. p. 8. n. 21. et Salm. de censur. c. 9. p. 3. n. 42. cum Pelliz., Henr., Machado, Leand. etc.* — (4) *(vide dicta n. 362. v. hæc.)* — (5) *l. 2. t. 1. c. 8.* — (6) *c. Si servus, et c. Nulli dist. 54.* — (7) *ex c. Nullus de servis non ordinandis.*

super domino reddatur duplum ab episcopo vel ab aliis cooperantibus vel ab ipso servo; qui, quando impotens est satisfaciendi, remanet servus, si est diaconus; si vero sit sacerdos, debet domino inservire in omnibus, quæ statum non dedecent, et missas pro domino offerre: nisi dominus per annum sciens, illum esse ordinatum, dissimulet eumque non revocet (1).

456. — „2) Sunt irregulares conjugati, nisi uxores con„sentiant et castitatem voveant (2). 3) Curiales, i. e. „curiæ sæculari obligati, facto juramento vel stipendio, „ut judices, advocati etc., quamdiu talia officia habent (3)." (*Excipiuntur tamen ex tacita concessione Pontificis vel ex consuetudine consiliarii regis constituti pro casibus civilibus* (4). „Excipe tamen, nisi habeant specialem dis„pensationem Papæ pro illis officiis, uti quidam clerici „in aulis principum in causis civilibus, non tamen cri„minalibus occupati; vel nisi consuetudo sciente Papa „id permittat. 4) Milites, saltem quamdiu juramento te„nentur; item thesaurarii et depositarii publici, et qui rem„publicam administrant (5). Item apparitores et similes, „qui sæva aut turpia exercuerunt, vel in causa sangui„nis ministrarunt (6).

457. — „Octava ex defectu lenitatis, scilicet „ex licita mutilatione vel homicidio in bello justo vel „judicio. Quod ideo statuit ecclesia, quia sacerdos gerit „personam Christi, qui utpote lenissimus neminem un„quam læsit. Ad hanc autem requiritur, ut occisio aut „mutilatio de facto sequatur. Unde non sufficit voluntas „nec vulneratio gravis (7).

Unde resolves:

458. — „1. Non fit irregularis, qui mutilat vel occidit in „defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis etc., „vel etiam proximi, quia in jure non statuitur irregula„ritas nisi ob homicidium in bello justo vel judicio (8)."

(1) *ita Salm. l. c. p. 5. n. 60. et 61. ex canonibus ibi allatis.* — (2) *(de hoc vide dicta de sacram. ord. l. 6, 812.)* — (3) *ut habetur in c. 1. 2. et 3. dist. 51. et c. unic de oblig. ad ratioc.* — (4) *ut docent Laym., Pal., Suar., Corn. cum Salm. de cens. c. 9. p. 5. n. 64.* — (5) *(vide dicta l. 4, 838.)* (6) *Marc. Leo p. 3. f. 369.* — (7) *Bonac. d. 7. q. 4., Tanner d. 6. q. 10. d. 11.* — (8) *Tanner l. c. (vide dicta n. 389.)*

459. — „2. Irregularis fit in bello, qui mutilat vel occidit propria manu, non autem clericus exhortans ad „fortiter pugnandum in bello justo (secus tamen, si „ad occidendum hunc vel illum in particulari): idem est „de duce exercitus, tubicine etc. (1)." *(Clericus. si est in sacris vel beneficiatus, et militat in bello, fit irregularis, si aliquando sclopum adhibuerit in aliquo conflictu, etiamsi juramentum præstaret, nullum læsisse (2).*

In bello igitur justo defensivo utique non fit irregularis, qui occidit (3). In bello autem justo offensivo, qui occidit, est irregularis; non vero, si alii occidant (4). In bello vero injusto, si unus moriatur, omnes sunt irregulares, ut certum est apud omnes cum *d. Thomas* (5). Hic notandum, clericum (modo fuerit in sacris aut beneficiatus, et etiam in conflictu bombas emiserit) esse irregularem, si militat, etiamsi juret, se ne unum quidem læsisse, ut legere est apud *Lambertinum* (6).

460. — Qui hortatur ad occidendum in genere, etiamsi bellum sit offensivum, modo justum, non est irregularis: ita communiter (7) ex dicto *c. Petitio tua*, ubi declaratur irregularis tantum is, qui occidit. Quid, si quis in bello justo hortetur ad occidendum in particulari? *Busembaum* ut supra et *Bonacina* hunc non eximunt ab irregularitate: sed probabiliter contradicunt *Salm.* (8), quia tam in præfato textu quam in aliis sermo fit tantum de occidente sive de mutilante, non de exhortante.

461. — „3. In judicio justo irregulares fiunt, qui ad „mortem vel mutilationem cooperantur active et efficaciter et proxime, per actionem ex natura sua ad id ordinatam (9). Dicitur I.: *Cooperantur*, ut judex ferens „sententiam, notarius eam scribens, ministri exequentes,

(1) *Bonac. p. 4.* — (2) *vide card. Lamb. notif. 101. n. 19. infra.* — (3) *ita Salm. de cens. c. 9. p. 2. n. 20., Holzmann n. 388. et alii communiter; id patet ex c. 2. de immunit. eccl. et clem. un. de homic.* — (4) *Holzm. l. c. et Benedictus XIV. notif. 101. n. 15. ex c. Petitio tua, c. Dilectus, c. Significasti et c. Joannes de homic.* — (5) *2. 2. quæst. 64. art. 8.* (6) *notif. 101. n. 19.* — (7) *cum Busemb., Bonac. d. 7. q. 4. p. 4. n. 7., Cont. Tourn. de irreg. p. 2. c. 8. art. 4. v. qu. 2, Conc. p. 501. n. 18. et Salm. c. 9. n. 19. ac alii passim.* — (8) *dict. n. 19. in fine.* — (9) *(ita ex clem. un. Si furiosus de hom. et c. clericis cap. Sententiam ne clerici vel monachi, item cap. Ex litteris de excess. prælat. etc.)*

„testes etc." *(Transcribens vero sententiam non incurrit* (1). *Imo Natalis ab Alexandro et Cabassutius* (2) *idem tenent etiam de scribente).*

462. — „Dicitur II.: *Active*, i. e. ex parte occidentium; „quia non fit irregularis, qui se tantum habet passive „et ex parte ejus, qui occiditur, ut confessarius hortans „ad fatendum veritatem, vel ad acquiescendum sententiæ justæ, quam non potest differre nisi appellatione „injusta (3)."

463. — „Dicitur III.: *Efficaciter*, quia adjuvans, v. gr. „ferens ligna, ut comburatur ante jam suffocatus, non „fit irregularis; nec assistens supplicio, si sua præsentia in illud non influat." *(Ita* (4) *communissime contra Sayrum. Nec obstat textus in c. Sententiam ne clerici vel monachi, ubi vetatur clericis interesse hujusmodi suppliciis, quia hic canon vel est abrogatus, vel tantum venialiter obligat* (5); *ac Cont. Tournely* (6) *testatur, esse communem sententiam cum Avila et Cabassutio, id non excedere venialem culpam; imo ibi Navarrus et Avila censent, minime in hoc peccare clericos in minoribus.)*

464. — „Dicitur IV.: *Proxime*, quia qui remote tantum cooperantur, non fiunt irregulares, ut qui gladios „faciunt aut vendunt, item legislator leges capitales condens (7)" *(aut suadens regi legem ferre* (8)*;* „concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores (9); „confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, „si respondeat, judicem sine acceptione personarum fungi „debere suo munere; quia hi omnes sunt tantum causa „remota." *(Hoc etiam est commune apud omnes* (10). „Essent autem proxima, ideoque irregulares, si quid faverent aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus „sequeretur, aut etiam acceleraretur, v. gr. si quis effica-

(1) *ut communiter Bonac. d. 7. q. 4. p. 1. n. 5. cum Suar., Fill., Ugol., Reg. etc.* — (2) *ap. Cont Tourn. l. c. art. 3. v. dico 3.* — (3) *Corn. et Diana p. 4. t. 2. r. 99. (ita etiam Holzm. n. 387., Cont. Tourn. l. c. v. dico 7.)* — (4) *Suarez d. 47. s. 4. n. 10., Pal. p. 23. §. 4. n. 2., Bon. p. 1. n. 18. et Salm. de cens. c. 9. p. 1. n. 2. cum Avila, Diana et Giball.* — (5) *ut docent Bonac. p. 1. n. 16., Salm. l. c. in fine.* — (6) *l. c. dico 5. v. quale.* — (7) *(ex c. Delatori causa 5. q. 6.)* — (8) *Salm. ib. n. 7.* — (9) *(ut Salm. l. c. cum communi.)* — (10) *vide Salm. dict. n. 7.*

„citer urgeret reum, ut scalam ascenderet, vel ad hoc „illum juvaret, vel si judici in particulari responderet, „hunc esse plectendum." (*Sentiunt itaque*(1), *fieri irregularem confessarium, sive alius, qui consultus a judice in particulari de reo aliquo respondet ei, esse occidendum. Sed probabilius id negant*(2). *Ratio, quia irregularitas hæc ex defectu lenitatis inflicta est tantum concurrentibus ad occisionem aut mutilationem, ut ministris necessariis, non vero aliis, et præsertim juste occurrentibus. Addunt probabiliter*(3), *nec fieri irregularem confessarium, si moneat carnificem, ut suo munere jam fungatur*).

465. — „Possunt tamen subinde etiam proxime coo„perantes excusari ab irregularitate, v. gr.: 1) Si fiat ex „indeliberatione, aut cum semiplena tantum advertentia, „v. gr. si dicat confessarius: *Properemus*, aut instiget „jumentum, quo reus vehitur; 2) si cooperatio sit valde „exigua, ut si jubeat reum adhuc unum gradum ascen„dere; quia minimum reputatur pro nihilo; *Avila et Hen„riquez*(4); item *Suarez*, *Regin.*, *Laym. etc.* (contra *Vas„quez*, *Turr.*, *Hurt.*, *Bann. etc.*), qui censent, ex homici„dio neminem fieri irregularem, nisi concurrat ut publi„cus minister justitiæ, sive ad causæ probationem sive „executionem, vel ut privatus injuste et cum peccato: „quam sententiam probabilem censet *Diana*(5)." (*Et revera valde probabilis est juxta annotationem mox supra appositam.*) „Hinc negant fieri irregularem: 1) confes„sarium vel alium quemcumque, qui furem hortatur, ut „scalam ascendat, caput supponat ad ictum excipiendum; „2) eum, qui carnifici dicit, ut aliquid aptet, quo citius „extinguatur reus; 3) qui, dum reus ad supplicium du„citur, suggerit viam breviorem; 4) qui vendit vel com„modat scalam, funes et cætera instrumenta, etiam qui „furcam fecit; 5) qui interrogatus a judice, an teneatur

(1) *cum Busemb., Bon. p. 1. n. 6. ac Avila, Sayro, Henr. etc. ap. Salm. de cens. c. 9. p. 1. n. 8.* — (2) *Holzm. n. 387. cum Mol. et Laym., Pal. §. 3. n. 7. et 8. et Salm. l. c. cum Vasq., Pelliz., Hurtado, Turriano etc.* — (3) *Cont. Tourn. l. c. v. dico 7., Busemb. et alii infra n. 466.* — (4) *ap. Bon. q. 4. p. 1. n. 9.* — (5) *p. 3. t. 4. r. 79. et in addit. r. 15. et p. 8. tom. 7. r. 61.*

„reum condemnare, respondit, teneri; 6) eum, qui car-„nifici putanti, suspensum jam esse mortuum, significa-„vit, adhuc vivere, ex quo calcans iterum pede occidit(1)."

466. — „Dicitur V.: *Per actionem ex natura sua* etc. „i. e., quæ per se sit causa talis effectus: quia effectus „per accidens non imputatur danti operam rei licitæ. Hinc „non fit irregularis dicens carnifici: *Nemo te impedit fa-„cere tuum officium; ego meum feci.*" *(Ita probabili-ter etiam dicunt Cont. Tournely* (2) *et Salm.* (3) *cum Avila et Henriquez.)* „Nec judices ecclesiastici degradatum tra-„dentes brachio sæculari; nec clerici accusantes aliquem „in causa criminali: modo expresse protestentur, se non „intendere, ut puniatur pœna sanguinis, sed tantum, ut „sibi vel suis satisfiat, vel impediantur mala sibi aut „aliis imminentia(4)."

467. — Ex *c. Sententiam sanguinis ne clerici vel monachi* vetitum est clericis in sacris constitutis vel bene-„ficiariis et omnibus regularibus, se intromittere in cau-sam sanguinis (intelligitur, unde mors aut mutilatio se-quatur) judicando vel testificando, exequendo etc. Et ideo peccant mortaliter, si quomodolibet ad illam adjuvant.

468. — Fiunt autem irregulares omnes, qui ad senten-tiam sanguinis concurrunt; et 1) *Judices eorumque asses-sores*, non vero domini temporales, etiam ecclesiastici, committentes aliis hujusmodi causas(5), nisi ipsi jubeant, ut judex aliquem in particulari suspendere vel sententiam statim exequi faciat(6). 2) *Testes voluntarii*, qui libere se offerunt ad testificandum contra reum; etiamsi prote-stentur non intendere sententiam sanguinis; nam si coacti sint ad testimonium faciendum, sane excusantur, ut recte docent(7). Et idem dicendum de advocatis et procurato-ribus accusatoris coactis ad eum tuendum(8). 3) *Accu-satores* vel *denuntiatores* (sive formales sive materiales, nempe si tantum exhibeant querelas(9), qui coram judice

(1) *(ita etiam Salm. de cens. c. 9. p. 1. n. 9 — 11. cum Pal., Pelliz., Hurtado, Turriano, Diana, Machado etc.)* — (2) *l. c. v. dico 7.* — (3) *ibid. n. 10.* — (4) *vide Bonac. q. 4. Tann. l. c. etc.* — (5) *ex c. ult. ne clerici vel monachi. 6.* — (6) *Pal. §. 1. n. 6. et Salm. de censur. c. 9. p. 1. n. 5. cum Henr., Cornejo.* — (7) *Suar. d. 47. s. 3. n. 4., Bon. p. 3. n. 8., Pal. §. 3. n. 3. et Salm. ib. n. 12. cum Coninch. et communi.* (8) *Salm. ib. cum iisdem.* — (9) *ut ait Tamb. §. 11. n. 3. p. 298.*

sæculari accusant reum de crimine digno sententia sanguinis, criminalem petentes vindictam. Et tunc jam clericus quam laicus accusans fiunt irregulares (1): cum hac autem differentia, quod clericus, præter irregularitatem, quam incurrit, peccet mortaliter, si est in sacris vel beneficiatus, et accuset sine justa causa; vel si adsit causa, et accuset sine protestatione (2). Minime tamen irregularitatem incurrit accusator (sive laicus sive clericus), qui accusat reum tantum, ut proprium damnum præcaveat, vel sibi resarciatur, facta protestatione, se non velle pœnam sanguinis (3). Et hoc currit, etiamsi talis protestatio ficte ponatur (4). Nec non, etiamsi fiat protestatio post accusationem, dummodo ante sententiam (5). Advertendum vero, quod protestatio solum suffragatur in causa propria, non autem in causa aliorum, nisi hi sint cognati usque ad quartum gradum (6), vel nisi causa sit propriæ ecclesiæ (7): idem ait *Concina*, si causa sit domesticorum. Item, si damna sint in futurum aliis inferenda, ita ut non possint alia via reparari, bene potes et quandoque debes clericum reum accusare post protestationem, imo etiam protestatione omissa (8), quia talis accusatio est mera defensio innocentis.

469. — *Quæritur*, an episcopi possint dispensare in hac irregularitate, si fuerit occulta. Affirmant *Diana*, *Sa*, *Barbosa etc.* (9), quia Tridentinum concedit eis dispensare in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario. Sed verius (10) omnino dicunt esse negandum, quia concilium clare ibi loquitur tantum de irregularitatibus provenientibus ex delicto. Prælati autem regulares bene possunt cum suis subditis dispensare in hac irregulari-

(1) *ut communiter Bon., Pelliz., Pal. c. 9. n. 18.* — (2) *ut Salm. l. c. n. 2.* — (3) *ut habetur ex c. Prælatis de homic. in 6.* — (4) *ut Suar. d. 47. s. 2. n. 3., Bon. p. 2. n. 11., Pal. §. 3. n. 2. et Salm. ib. n. 15. cum Avila, Coninch., Fill., Pelliz., Corn., Henr. etc.* — (5) *Bon. n. 8., Sayr., Pell. et Salm. ibid.* — (6) *ut Pal. §. 2. n. 6., Conc. p. 500 n. 19. et Salm. ib. n. 17. cum Bon., Corn., Pell., Henr. etc.* — (7) *ut Suar. n. 20. et Bon. n. 5. cum Mol., Sayro, Avila, Fill., Ugolino, Rodr., Henr. etc.* — (8) *ut ajunt Salm. de cens. c 9. p. 1. n. 17.* — (9) *ap. Salm. p. 2. ib. n. 23.* — (10) *Bon. p. 5. n. 13., Pal. §. 5. n. 7. et Salm. l. c. cum Bon., Bannez, Hurtado, Pal. etc.*

tate, sive occulta sive publica; quia regulares concessionem universe habent dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, juxta limitationem datam *n. 396* (1).

Facultates s. pœnitentiariæ.

470. — Hic ultimo operæ pretium est adnotare, in quibus casibus aut censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus aut aliis pœnis recurri possit ad s. pœnitentiariam pro absolutione, dispensatione aut relaxatione. In bulla, quæ incipit: *Pastor bonus*, edita a nostro ss. P. *Benedicto XIV.* die 13 Apr. 1744 (2), habetur, posse s. pœnitentiariam 1) absolvere a quibuscumque casibus et censuris, etiam bullæ cœnæ, regulares pro utroque foro; sæculares vero tam ecclesiasticos quam laicos etiam in utroque foro a censuris publicis latis a jure; et etiam ab homine, si expirata sit jurisdictio judicis, vel si lator censuras illas reservavit sedi apostolicæ, modo judici et parti satisfecerint. Quod si pars injuste refutet satisfactionem oblatam, potest pœnitentiarius convenientem satisfactionem arbitrari. 2) Posse absolvere hæreticos occultos, modo nullos actus extrinsecos fecerint, ex quibus potuerint alii dignoscere eos ut hæreticos; item publicos hæreticos, casu quo non est opus complices denuntiare. Posse etiam absolvere principes, administratores rerum publicarum et episcopos ac alios prælatos a casibus publicis bullæ cœnæ. 3) Posse dispensare in occultis irregularitatibus et inhabilitatibus, etiam ex homicidio voluntario, non tamen, ut post homicidium possint promoveri ad episcopatum. Item etiam ab inhabilitatibus et irregularitatibus propter hæresim, modo fuerint penitus occultæ. 4) Posse dispensare cum homicidis et aliis, ut valeant profiteri in religione approbata et fieri deinde etiam sacerdotes. 5) Cum male promotis, ut omissos ordines possint clam suscipere, non servatis interstitiis et temporibus, non autem sacros una die. 6) Posse dispensare cum occultis simoniace ordinatis. 7) Posse convalidare titulos beneficiatorum cum occulta inhabilitate obtentorum. 8) Posse partem pretii simoniaci condonare

(1) *ita Diana p. 2. tr. 4. r. 69. et Salm. ib. n. 24. cum Lez., Bord., Diana, Cand., Villal. etc.* — (2) *in bullar. t. 1. n. 95.*

ob delinquentis paupertatem. 9) Posse cum Gallis, Belgis, Polonis et ulterioribus remittere fructus male perceptos; componere vero cum Italis, Hispanis etc., et cum pauperibus etiam remittere. 10) Posse remittere partem de male ablatis vel retentis, si dominus sit incertus, casus occultus, et delinquens pauper, reliquum erogando in pauperes vel pia opera in locis, si fieri potest, ubi illa ablata sunt. 11) Posse absolvere, qui munera acceperint a regularibus, modo non excedant decem scutos, vel etiam si excedant, facta prius restitutione vel præstita obligatione satisfaciendi. 12) Cum puellis, quæ virgines non sunt, posse dispensare, ut fruantur legato virginibus relicto, in casibus tamen occultis et in foro conscientiæ; vel cum virginibus, ut inirent monasterium mulierum pœnitentium. 13) Posse relaxare juramenta, quæ non sunt in favorem alterius. 14) Posse vota simplicia etiam castitatis dispensando commutare, aut implementum differre. 15) Dispensare commutando in alias preces vel alia pia opera, super recitationem divini officii. 16) Dispensare in occultis cum regularibus quibusvis irregularitatibus, inhabilitatibus et pœnis; non autem in publico defectu natalium quoad generalatum; in publicis vero nonnisi auditis superioribus. 17) Posse absolvere apostatas a censuris, cum reincidentia, si non redeant intra præfinitum tempus, dilata dispensatione super irregularitate, si quam contraxerint, usque ad actualem reditum. Posse etiam concedere, ut ipsi transeant ad alium ordinem. 18) Posse concedere transitum ad religionem laxiorem, modo ibi vigeat regularis observantia, non tamen ad ordinem *s. Benedicti* antiquioris observantiæ; neque ad consimiles congregationes cujuscumque ordinis. Idem quoad moniales ultra montes. 19) Posse absolvere et dispensare super defectibus et censuris, etiam ob clausuræ violationem. 20) Item concedere confessarium monialibus (1). 21) Vacante sede apostolica habere facultatem in foro conscientiæ etiam in casibus, a quibus vivente Pontifice non poterat; tamen cum reincidentia, si ad novum Pontificem petentes non se præsentent; hancque facultatem post cardinalis pœ-

(1) *vide dicta de hoc l. 6, 576.*

nitentiarii ingressum in conclave transire ad signaturam. Alia, quæ pertinent ad matrimonii materiam, vide *l. 6, 1144.* Alia minus scitu necessaria observare potes in citata bulla *Pastor bonus.*

Demum hic nota, quod, cum litteræ s. pœnitentiariæ committuntur magistro theologiæ vel decretorum doctori, possunt eas exequi confessarii societatis Jesu designati a generali vel provinciali de ejus licentia, ut concessit *Gregorius XIII.* 3. Aprilis 1582. Et idem possunt lectores jubilati ordinis Minorum ex concessione *Innocentii XI.* 27. Nov. 1679. Ac ideo idem possunt omnes regulares in privilegiis eorum communicantes (1).

LAUS

Jesu nostro Redemptori et Mariæ immaculatæ nostræ Reginæ et Matri!

FINIS LIBRI SEPTIMI.

---

(1) *ita refert Elbel de matrim. conf. 20. n. 513.*

INDEX
CAPITUM ET DUBIORUM,

cui annectuntur omnia summaria,

quæ singulis capitibus et dubiis apponuntur, ut simul hic præ oculis habeantur cunctæ res et quæstiones, quæ in septimo volumine continentur.

Littera l. denotat librum, n. numerum marginalem, v. versiculum.

LIBER SEPTIMUS.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS ET IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

De censuris in genere.

pag.

Dubium I. Quid sit censura ecclesiastica. 1

1. *Quid est censura?* — 2. *An censura privet bonis internis.* — 3. *An degradatio vel depositio sit censura.* — 4. *An cessatio a divinis.* — 5. *An irregularitas.*

Dubium II. Quotuplex sit censura. 3

6. *Quotupliciter censuræ dividantur. An censuræ latæ ab episcopo in synodo sint perpetuæ et tamquam latæ a jure.* — 7–8. *Quando censuræ reputentur esse latæ sententiæ; quando ferendæ.*

Dubium III. Qui possint ferre censuram, et in quos. 4

9. *Qui possint censuram ferre.* — 10. *Ex potestate ordinaria possunt: 1. Papa; 2. episcopi. An*

pag.

autem eorum vicarii. 3. Prælati regulares; 4. concilia et capitula; 5. qui hoc habent ex privilegio. — 11. *Qui possint ferre censuras ex potestate delegata. Non possunt: 1. Parochi; 2. laici; 3. fœminæ.* — 12. *Quot conditiones requirantur, ut quis possit censuram ferre. 1. Ut sit vir; 2. baptizatus; 3. tonsuratus; 4. compos rationis; 5. ut habeat jurisdictionem expeditam; 6. ut libere agat.* — 13. *Quæ conditiones, ut quis possit censura ligari. 1. Ut sit homo; 2. baptizatus; 3. compos rationis. An ebrii vel amentes ad tempus.* — 14. *An impuberes doli capaces.* — 15. *4. Ut sit subditus.* — 16. *An reges.* — 17. *An peregrini.* — 18. *Ut sit persona determinata quoad excommunicationem.* — 19. *An excommunicatio in communitatem sit valida et licita.* — 20. *Prælati regulares possunt censuras ferre in subditos ubique existentes.* — 21. *Qu. 1., an episcopus existens extra diœcesim possit ferre censuras in subditos.* — 22. *Qu. 2., an contra existens in diœcesi possit ligare censuris subditum extra degentem.* — 23. *Qu. 3., an subditus delinquens extra diœcesim incurrat censuram latam per præceptum in futuros delinquentes.* — 24. *An monasteria regularium sint loca exempta.* — 25. *Quid, si agatur de damno resarciendo?* — 26. *Qu. 4., an episcopus possit censuras ferre in subditum alienum delinquentem in sua diœcesi.* — 27. *Qu. 5., an censura lata generaliter liget alienigenas.* — 28. *Quomodo quis ligari possit pluribus censuris.*

Dubium IV. Ob quam causam possit ferri censura. 17

29. *Ob quale peccatum incurrantur censuræ.* — 30. *An ob veniale incurratur levis suspensio vel interdictum.* — 31. *An aliæ censuræ ob veniale sint nullæ; et quid ex hoc inferatur.* — 32. *An in dubio de gravitate materiæ incurratur censura.* — 33. *An præceptum sub censura obliget sub gravi.* — 34. *An ad incurrendam censuram actus debeat esse externus.*

pag.

35. *An possit imponi censura contra officium recitantes distracte.* — 36. *An actus peccati debeat esse consummatus. An censura contra homicidam incurratur etiam a mandante etc.* — 37. *An censura contra mandantem etc. incurratur etiam effectu non secuto.* 38. *Observa distinctionem.* — 39. *Utrum incurratur in dubio, an mandatum influxerit.* — 40. *Quid, si dans consilium pro occisione illud revocet ante executionem?* — 41. *An requiratur culpa propria.* — 42. *Quid excuset a censura incurrenda.* — 43. *An ad incurrendam censuram requiratur scire, crimen vetitum esse etiam ab ecclesia.* — 44. *An hoc valeat etiam pro suspensione et interdicto.* — 45. *An detur ignorantia excusans a censura, quin excuset a mortali.* — 46. *An metus gravis excuset a censura.* — 47. *Quando excuset ignorantia etiam crassa.* — 48. *An excuset ignorantia affectata.* — 49. *An incurratur censura ob peccatum mere præteritum. An episcopi possint ferre censuras pro delictis futuris.*

50. *Censura est invalida 1) ob defectum ferentis.* 28
51. *2) Si præteritur ordo judicii.* — 52. *An in omnibus censuris requiratur monitio rei.* — 53. *An censura sine monitione sit nulla.* — 54. *Et quando sit nulla ob peccatum mere præteritum.* — 55. *An requiratur monitio, si censura sit a jure ferendæ sententiæ.* — 56. *An monitio debeat esse trina cum debito intervallo. Et an debeat fieri ob ipso judice.* — 57. *Quid, si censura sit contra plures generaliter?* — 58. *An censura sine trina monitione sit invalida.* — 59. *Quid notandum quoad sententiam censuræ?* — 60. *Quæ solemnitates in ea sint servandæ.* — 61. *Quando autem istæ solemnitates non requirantur. Vide ib. alia notanda.* — 62. *An incurratur censura lata disjunctive, v. gr.:* Sit excommunicatus vel suspensus. 63. *An possit ferri censura sub conditione.* — 64. *An transacto termino incurratur censura, si creditor proroget.* — 65. *Vide alia notanda circa ordinem ferendi censuram.* — 66. *3) Censura est invalida ob defectum justæ causæ.* — 67. *Quomodo quis se gerere debeat in dubio, an incurrerit censuram.* — 68. *An*

pag.

in dubio censura judicanda sit justa. Et an reus teneatur parere judici jubenti aliquid sub censura, si putet probabiliter, se ad id non teneri.

Dubium V. Qui possint absolvere a censuris. 39

69. *Distinguendum inter censuram per sententiam particularem ab homine, et inter latam a jure vel ab homine per sententiam generalem.* — 70. *Quis possit absolvere a censuris latis a jure.* — 71. *An omnes confessarii possint absolvere ab excommunicatione minori. An simplex sacerdos.* — 72. *Quis possit absolvere a censuris latis ab homine per sententiam particularem.* — 73. *Quis, si per sententiam generalem contra personas indeterminatas.* — 74. *Quæ censuræ reservatæ possint absolvi ab episcopo per cap. Liceat.* — 75. *Vide verba capituli.* — 76. *Not. 1. An episcopus possit dispensare in irregularitate propter hæresim. Not. 2. Quando crimen dicatur occultum vel deductum ad forum.* — 77. *Dub. 1., an possit absolvi ab episcopo, qui fuerit punitus in foro alterius episcopi.* — 78. *Dub. 2., an crimen publicum in uno loco possit absolvi ab episcopo in alio, ubi est occultum.* — 79. *Not. 3. Qui veniant nomine episcoporum. Not. 4. Qui veniant nomine subditorum. Not. 5. Episcopi possunt absolvere a casibus papalibus occultis reservatis etiam post Tridentinum* (remissive ad l. 6, 594.) — 80. *Not. 6. An episcopi gaudeant hac facultate, ubi Tridentinum non est receptum.* — 81. *Qu. 1., an episcopus possit dispensare in irregularitatibus et suspensionibus cum suo subdito in aliena diœcesi morante.* — 82. *Qu. 2., an facultas concessa in cap. Liceat fuerit revocata per bullam cœnæ.* — 83. *Verior sententia.* — 84. *Qu. 3., an episcopi possint absolvere a censuris bullæ cœnæ impeditos adire Romam.* — 85. *Qu. 4., quinam dicantur impediti.* 86. *Quid, si impedimentum sit ad breve tempus, et quid, si ad longum?* — 87. *An teneatur reus absolutus deinde se præsentare Pontifici, si jam sit emen-*

pag.

datus et parti satisfecerit. — 88. *Quid, si impedimentum sit perpetuum? Et qui dicantur perpetuo impediti.* — 89. *Qu. 5., an impediti teneantur adire Romam per epistolam aut procuratorem.* — 90. *Qu. 6., an episcopus possit absolvere hæreticum impeditum etiam per alium.* — 91. *Qu. 7., an, cum inferior absolvit impeditum a casu reservato sine censura, teneatur pœnitens sese præsentare superiori.* — 92. *Qu. 8., an impediti adire episcopum possint a quocumque absolvi.* — 93. *Qu. 9., an possint episcopi generaliter delegare aliis facultatem sibi concessam in cap. Liceat.*

94. *De facultate Mendicantium absolvendi reservata.* — 95. *Quas censuras possunt regulares absolvere quoad sæculares?* — 96. *An possint eos absolvere a casibus papalibus occultis.* — 97. *An pro foro externo.* — 98. *An a casibus ab episcopis sibi reservatis.* — 99. *An a censuris episcopis reservatis a jure vel a consuetudine.* — 100. *An a casibus Clementis occultis.* — 101. *An regulares possint absolvere suos subditos ab omnibus casibus papalibus extra bullam cœnæ.* — 102. *An etiam novitios.* — 103. *An novitios etiam a censuris ab episcopo sibi reservatis.* — 104—106. *An prælati regulares possint absolvere subditos a casibus bullæ cœnæ.* — 107. *An subditos a censura ob percussionem alterius religiosi aut clerici sæcularis.* — 108. *Quid circa recipientes bullam cruciatæ? Remissive.* — 109. *Regulæ pro absolvendis censuris.* — 110. *An facultate data absolvendi a papalibus comprehendantur censuræ bullæ cœnæ.* 111. *An in jubilæo data potestate absolvendi omnes censuræ comprehendantur, etiam latæ ab episcopo specialiter.* — 112—113. *An habens facultatem circa casus bullæ cœnæ possit absolvere etiam ab hæresi.* 114. *Quid amplius notandum circa facultates regularium?* — 115. *Quid amplius circa facultatem concessam in jubilæis?* 61

Dubium VI. Quomodo danda sit absolutio a censura. 72

116. *Quomodo absolvendæ censuræ in foro externo,*

pag.

et quomodo in interno. — 117. *An possit absolvi absens.* — 118. *De eo, qui absolutus est in jubilæo.* — 119. *De absolutione metu extorta.* — 120. *An valeat absolutio non satisfacta parte.* — 121. *Quid, si cum hac conditione sit concessa facultas?* — 122. *An secuta satisfactione de se auferatur censura.* — 123. *An valeat et liceat absolutio sub conditione.* — 124. *An possit dari absolutio ad reincidentiam.* — 125. *An ad reincidendum requiratur nova culpa.* — 126. *An censura possit absolvi extra confessionem.* — 127. *Ad absolvendas censuras requiritur 1, satisfactio partis.* — 128. *In quibus casibus possit reus absolvi ante satisfactionem.* — 129. *Requiritur 2., ut reus præstet juramentum non amplius committendi crimen, si sit valde enorme.* — 130. *Requiritur 3., ut censuratus petat absolutionem.* — 131. *Plura notanda. Quid, si reus adhuc sit contumax, vel invitus vel oblitus non petierit?* — 132. *An valeat absolutio, si reus falsum exponat.*

CAPUT II.

De excommunicatione.

Dubium I. Quid sit et quotuplex. 79

133. *Quid excommunicatio. Quænam veniat illius nomine, major ne aut minor. Et qui sint vitandi.* — 134. *Resolutiones.* — 135. *Quid requiratur, ut quis sit vitandus. Vide constitutionem concilii Constantiensis.* — 136. *De prima conditione, ut sit nominatim excommunicatus.* — 137. *De secunda conditione, ut sit publice denuntiatus.* — 138. *An liceat toleratis cum aliis communicare.* — 139. *An peccet inducens excommunicatum toleratum ad communicandum in divinis sine necessitate.* — 140. *An idem de suspenso et interdicto vitando.* — 141. *Quando percussor clerici sit vitandus.* — 142. *An ad vitandum eum requiratur notorietas facti.* — 143. *An sufficiat, ut*

pag.

alicui factum sit notum. — 144. *An requiratur etiam notorietas juris.* — 145. *An percussor notorius in uno loco sit vitandus in alio, ubi non est notus.* — 146. *Quando possit credi vitandus absolutus.*

Dubium II. Ob quam causam incurratur, et quem effectum habeat excommunicatio minor. 87

147. *Ob quam causam incurratur excommunicatio minor.* — 148. *An episcopus possit alicui interdicere sacramenta. Effectus directus excommunicationis minoris est privatio suscipiendi sacramenta.* — 149. *An sit privatio etiam ministrandi.* — 150. *Effectus indirectus est privatio electionis passivæ ad beneficia.* 151. *Incurritur communicando cum vitando.* — 152. *An sit mortale recipere sacramenta cum excommunicatione minori; an ministrare.* — 153. *An incurratur cum solo veniali.* — 154. *Et an hoc veniale possit omitti in confessione.* — 155. *Quis possit absolvere ab ea; an etiam, quicumque potest absolvere venialia.* — 156. *Quis incurrat.* Remissive ad n. 188.

Dubium III. Quot effectus habeat excommunicatio major. 90

157. *Qui sint* effectus mediati *excommunicationis majoris. I. Irregularitas ob exercitium ordinis. II. Suspicio de hæresi, si per annum insordescat.*

158. *Qui sint* effectus immediati. *I. Privatio susceptionis sacramentorum licitæ; et etiam validæ quoad pœnitentiam.* — 159. *An excommunicatus sine culpa suscipiens pœnitentiam valide absolvatur ante absolutionem censuræ.* — 160. *Plura notanda.* — 161. *An excommunicatus teneatur tollere impedimentum excommunicationis ad implenda præcepta.* 92

162. *II. Privatio communium suffragiorum etc.* — 163. *An possint offerri sacrificia etc. nomine ecclesiæ pro excommunicato vitando, si non* 94

pag.

stet per ipsum, quominus absolvatur. — 164. *An possint offerri pro excommunicato tolerato.*

165. *III. Privatio administrandi sacramenta. An peccent fideles sine causa recipientes sacramenta ab excommunicato tolerato.* — 166. *An excommunicatus vitandus valide ministret sacramenta.* — 167. *An sacramentum pœnitentiæ.* — 168. *Quid, si sit toleratus? Et quid in articulo mortis?* — 169. *An excommunicatus licite ministret sacramenta.* — 170. *Quando etiam vitandus.* — 171. *Quam pœnam incurrat excommunicatus illicite sacramenta ministrans. An vitandus incurrat irregularitatem ministrans pœnitentiam.* — 172. *Quam pœnam incurrat recipiens sacramenta sine necessitate a vitando.* 96

173. *IV. Privatio divinorum officiorum. Quomodo peccet communicans in divinis cum vitando. Et an liceat recitare privatim officium cum ipso.* — 174. *An vitando liceat usus sacramentalium et orare privatim in ecclesia.* — 175. *Quid, si vellet interesse missæ etc?* — 176. *Ad quid teneantur clerici, si excommunicatus nolit recedere. An alii assistentes peccent tunc mortaliter; et an incurrant excommunicationem minorem.* — 177. *Quæ veniant nomine divinorum officiorum. An vitandus possit audire concionem, lectionem etc.; quomodo debeat expelli; alias missa debet interrumpi. Et an inchoato canone.* — 178. *An excommunicatus teneatur ad horas. Et an aliquando peccet dicendo:* Dominus vobiscum. *An recitando cum alio privatim.* 99

179. *V. Nullitas beneficii collationis et præsentationis etc.* — 180. *Plura notanda: et an idem dicendum de collatione dignitatum etc. Quid, si ante excommunicationem fuisset præsentatus? Et an beneficiatus faciat fructus suos.* — 181. *An toleratus sit inhabilis ad beneficia, officia etc.* — 182. *An valida sit collatio beneficii alicui, qui ignorat se esse excommunicatum.* — 183. *An excommunicatus privetur fructibus beneficii ante sententiam.* 103

184. *VI. Privatio communicationis* 106

pag.

forensis. An possit se defendere in judicio; an agere; an testificari; an tueri alios. — 185. *VII. Privatio usus jurisdictionis.* — 186. *VIII. Privatio ecclesiasticæ sepulturæ. Vide ibid. plura notanda de pollutione ecclesiæ vel cœmeterii, de exhumatione, comitantibus, sepelientibus etc.* — 187. *Quid, si sit hæreticus non denuntiatus?*

188. *IX. Privatio communicationis civilis.* — 189. *1. Os.* — 190. *2. Orare.* — 191. *3. Vale.* 192. *An liceant signa urbanitatis sine verbis.* — 193. *An liceat resalutare et rescribere.* — 194. *4. Communio, i. e. contrahere, cubare, habere societatem etc.* — 195. *5. Mensa. Quid, si casu accidat?* — 196. *Quale peccatum sit communicare cum vitando.* — 197. *Peccat graviter communicans 1. in divinis; 2. in eodem crimine.* — 198. *An sit mortale communicare frequenter cum vitando.* — 199. *In quibus casibus communicans cum vitando incurrat excommunicationem majorem.* — 200—207. *In quibus casibus liceat cum vitando communicare.* 108

Dubium IV. Ob quas causas incurratur excommunicatio major. (208.) 119

Articulus I. Quæ sint excommunicationes non reservatæ. 120

209. *Excommunicationes contra omnes.* — 210. *Contra clericos.* — 211. *Contra religiosos.* — 212. *Excommunicationes adjectæ a Tridentino. Dub. 1., an incurrant excommunicationem cogentes puellas ingredi monasteria, tantum ut educentur. Dub. 2., an cogentes ex metu reverentiali. Dub. 3., an cogentes mares; an impedientes ingressum puellæ. ib.*

Articulus II. Quæ sint excommunicationes reservatæ episcopis. 126

213. *Excommunicatio 1. in eum, qui leviter percutit clericum; 2. in eos, qui absolvuntur in articulo mortis, et postea non se præsentant superiori; 3. in fratres Minores etc.; 4. in procurantes abortum fœ-*

pag.

tus animati effectu secuto; 5. in eos, qui communicant in eodem crimine etc.; 6. excommunicationes, quas episcopi sibi reservant. — 214. *De excommunicatione imposita ex monitorio.* — 215. *An obligatus revelare damnum, si non revelet etc.* — 216. *An sit obligatio revelare crimen emendatum.* — 217. *Qui, facto monitorio, excusetur a revelando.*

Articulus III. Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ extra bullam cœnæ. 129

218. *Excommunicationes reservatæ contra omnes.* 219. *Excommunicationes reservatæ contra clericos et religiosos.* — 220. *Specialiter agitur 1) de excommunicatione contra duellantes et cooperantes.* — 221. *Agitur 2) de excommunicationibus latis contra violantes clausuram monialium.* — 222. *Dub. 1., an ingredientes sine licentia incurrant excommunicationem reservatam, si non intrent prætextu facultatum. Dub. 2., an incurrant omnes introducentes in clausuram.* — 223. *Dub. 3., an talis licentia debeat esse in scriptis. Dub. 4., an licentia debeat esse specialis.* — 224. *Dub. 5., a quo debeat concedi.* — 225. *Dub. 6., quæ causa requiratur ad licentiam concedendam.* — 226. *Plura notanda circa ingressum medicorum et aliorum officialium.* — 227. *De ingressu confessariorum.* — 228. *Dub. 7., an ingrediens cum licentia teneatur statim egredi.* — 29. *De alia excommunicatione reservata in moniales violantes clausuram et in alios cooperantes.* — 230. *De alia excommunicatione reservata contra mulieres violantes clausuram religiosorum.* — 231. *Quæ fœminæ excipiantur ab hac prohibitione. Et quæ domus veniant nomine conventuum.*

232. *De prohibitione colloquendi cum monialibus, juxta jus commune. Quid circa regulares?* — 233. *Dub. 1., an vetetur solus accessus sine collocutione.* — 234. *Dub. 2., an loquentes per nutus aut signa incurrant casum reservatum.* — 235. *Dub. 3., an peccet graviter semel colloquens cum moniali.* — 236. *Dub. 4., an in tali locutione detur parvitas ma-* 151

pag.

teriæ, et an detur in regularibus. — 237. Dub. 5., an liceat colloqui cum moniali ob utilitatem sine licentia. — 238. Dub. 6., an cum abbatissa. — 239. Dub. 7., qui eximantur ab hac prohibitione. 1) Consanguinei in primo et secundo gradu; 2) metu coacti; 3) pauperes et quæstuantes. — 240. Dub. 8., an impuberes. — 241. Dub. 9., an regulares incurrant excommunicationem latam ab episcopo. — 242. Dub. 10., an peregrini. — 243. An episcopi colloquentes cum monialibus in aliena diœcesi incurrant excommunicationem latam ab ordinario loci.

Decreta *Benedicti XIV.* ad clausuram regularem spectantia.

Decretum I. *Super clausura monialium.* *162*

Decretum II. *Super clausura religiosorum.* *166*

244. Dissertatio super censuris circa sententias pertinentes ad conceptionem B. V. Mariæ. Enuntiantur bullæ editæ super hac materia. — 245—247. Quando incurrant pœnas contradictores piæ sententiæ. — 248. Quando ejus fautores. — 249—262. Probatur pia sententia. — 263. An liceat emittere votum profundendi vitam ob defensionem præservationis B. V. Mariæ a labe originali. 172

Articulus IV. Quomodo intelligenda excommunicatio percussoris clericorum. *187*

264. Verba canonis. — 265. Quid intelligatur 1) per verba si quis. An impuberes, et a quo ipsi possint absolvi. — 266. Quomodo comprehendantur etiam mandantes, consulentes etc. — 267. Quomodo ratihabentes. — 268. Quomodo non impedientes. — 269. An, qui tenentur impedire tantum ex charitate. 270. Quid intelligatur 2) per clericum. — 271. Quid per monachum. An eremitæ. — 272. Quid 3) per verba manus injecerit. — 273. An requiratur, ut percussio sit cum peccato mortali et externe gravi.

274. Incurrit 1. clericum conspuens vel aliter gravi injuria afficiens; 2. violenter detinens etc.; 3. per- 191

pag.

sequens eum, ut decidat ; 4. apprehendens equum etc.; 5. hæc agens, etiam clerico consentiente ; 6. clericus seipsum percutiens (sed alii id negant) ; 7. judex laicus percutiens clericum, vel ecclesiasticus percutiens per laicum.

275. *Non incurrit 1. fur clam furans ; 2. percutiens jocose vel casu. An pueri clerici se percutientes. Et an defendentes se vel suos aut sua. 3. Si absit mortale ; 4. percutiens clericum per ignorantiam aut inadvertentiam aut per iram subitaneam. Dub. 1. Quid, si quis percutit ignorans, alterum esse clericum, animo tamen comparatus, quod percuteret, etiamsi sciret? Dub. 2., an excuset ignorantia crassa. Dub. 3. Quid, si quis percutit Petrum clericum, credens Paulum clericum? 5. Excusatur etiam prælatus aut præceptor percutiens. An pater. 6. Percutiens clericum exercentem officium cauponis etc. vel turpiter agentem aut sollicitantem uxorem aut consanguineam in primo gradu. Quando excusetur puella percutiens clericum sollicitantem.* — 276. *Quando episcopus possit absolvere ab hac excommunicatione.* — 277. *Quæ percussio dicatur levis, quæ gravis, et quæ enormis.* — 278. *Quot modis percussio levis possit fieri gravis.* — 279. *Quinam possint absolvere a percussione levi, et quinam a gravi.* — 280. *Dub. 1., an in dubio percussio judicanda sit levis aut gravis. Dub. 2., an incurrat excommunicationem, qui venenum dat clerico.* 193

Articulus V. Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per bullam cœnæ. 201

281. *De excommunicatione in retinentes, legentes etc. libros hæreticorum.* — 282. *Ad eam incurrendam requiritur 1., ut auctor sit hæreticus. An legi possint libri infidelium vel Hebræorum.* — 283. *2. Ut liber hæresim contineat vel de religione agat. Quid, si error abradatur, vel si auctor non sit damnatus ut hæreticus? Quid, si quis legat ad confutandum hæreticum?* — 284. *3. Ut legatur materia notabilis.* — 285. *4. Ut scienter legatur etc.* — 286. *Non incurritur : 1. si legas librum referentem verba hæretico-*

pag.

rum; 2. si legas scholia hæreticorum. — 287. *An prohibeantur libri philosophici, vel qui incidenter hæresim continent.* — 288. *Quinam libri prohibeantur in indice.* — 289. *Quot classes librorum prohibitorum index constituat.* — 290. *Ad quem spectet libros prohibere.* — 291. *An liceat ex curiositate, etsi cum licentia, legere libros hæreticos. Et an legere libros prohibitos ei, qui certus est, lectionem non esse sibi obfuturam.* — 292. *An incurrat, qui legit proœmium, indicem etc. An, qui audit legere. Et quid, si inducat ad legendum?* — 293. *An, qui legit scripturam brevem vel manuscriptum.* — 294. *An, qui legit duas lineas vel minus quam paginam.* — 295. *An, qui retinet parvo tempore.* — 296. *An excuset ignorantia crassa. Quid, si quis scit ex viro probo, librum esse prohibitum?* — 297. *An incurrat excommunicationem, qui impedit, ne liber comburatur, aut laudat stylum etc.* 298. *An incurrat, qui deponit librum prohibitum apud alium.* — 299. *An, qui eum comburit. A quo impetranda licentia legendi.*

300. *Ad incurrendam excommunicationem ob hæresim requiritur 1., ut sit formalis.* — 301. *Qu. 1., an incurrat errans ex ignorantia crassa vel affectata.* 302. *Qu. 2., an, qui dubitat circa res fidei.* — 303. *Requiritur 2., ut error externetur.* — 304. *Requiritur 3., ut manifestatio sit moraliter mala. Requiritur 4. animus profitendi errorem.* — 305. *Vide alia advertenda.* — 306. *Incurrunt etiam credentes, fautores, receptatores et defensores.* — 307. *Qu. 1., an, qui favent hæretico ob amicitiam etc.* — 308. *Qu. 2., an, qui hæreticum recipit, ne capiatur, effectu non secuto.* 211

309. *Item incurrunt excommunicationem bullæ 1. surripientes bona naufragantium.* — 310. *2. Domini imponentes tributa.* — 311. *Quinam alii incurrant excommunicationem bullæ.* 215

pag.

CAPUT III.

De suspensione et degradatione.

Dubium I. Quid sit suspensio, quotuplex, et unde dignoscatur, qualis et quanta sit. *216*

312. *Quid sit suspensio, et quis suspendi aut suspendere possit.* — 313. *An peccet graviter exercens actum, a quo est suspensus.* — 314. *Dub. 1., an incurrat irregularitatem, si suspensio sit facta ad tempus. Dub. 2., an episcopus suspensus a pontificalibus incurrat irregularitatem pontificalia exercendo. Et quid, si missam solemniter celebret? An sacerdos suspensus non toleratus invalide absolvat. Quid, si toleratus, vel si sit suspensus tantum ab ordine?* — 315. *Quot modis possit ferri suspensio.* — 316. *Qualitas suspensionis ex quo colligatur. Dub. 1., an suspensus a beneficio possit, cum sit pauper, retinere fructus. Dub. 2., an suspensus a beneficio censeatur suspensus etiam a beneficiis, quæ possidet in aliena diœcesi.* — 317. *An suspensa communitate sint singuli suspensi; et an isti incurrant irregularitatem. An suspensio debeat ferri in scriptis.*

Dubium II. Quæ sint suspensiones in particulari, et quis ab eis possit absolvere. *224*

318. *Quæ sint suspensiones juris communiores clericorum.* — 319. *Quæ religiosorum.* — 320. *Quæ episcoporum.* — 321. *An quis possit suspendi ob culpam levem.* — 322. *Quis possit absolvere a suspensione.*

Dubium III. Quid sit depositio et degradatio, et a quo et ob quam causam ferri possit. (323—327.) *227*

pag.

CAPUT IV.

De interdicto.

Dubium I. Quid sit et quotuplex. *228*

328. *Quid sit interdictum.* — 329. *Quotuplex sit.* 330. *An interdicta civitate interdicantur suburbia; et an ecclesia regularium.* — 331. *Qui eximantur ab interdicto generali personali. Et an interdicto clero interdicantur religiosi vel clerici non habentes beneficium aut officium.* — 332. *Quid, si interdicantur cives aut civitas?*

Dubium II. Qui sint effectus interdicti. *230*

333. *Effectus interdicti sunt: 1. Prohibitio divinorum officiorum.* — 334. *2. Prohibitio sacramentorum excepto baptismo etc.* — 335. *3. Prohibitio sepulturæ.* — 336. *4. Peccatum mortale, quod committitur a violantibus interdictum. Item irregularitas, quæ incurritur a clericis, et excommunicatio a religiosis.*

Dubium III. Quis censuram interdicti ferre, et quis tollere possit. *233*

337. *Qui possit interdictum ferre. Et an ad illud incurrendum requiratur culpa gravis.* — 338. *Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata.* — 339. *Qui personalia particularia.* — 340. *De cessatione a divinis.*

CAPUT V.

De irregularitate.

Dubium I. Quid et quotuplex sit irregularitas. *235*

341. *Definitio irregularitatis. An irregularitas sit censura. Dupliciter dividitur irregularitas.*

pag.

Dubium II. Quinam effectus irregularitatis. *236*

342. *Effectus irregularitatis sunt tres: 1. Inhabilitare ad ordines suscipiendos; 2. impedire exercitium ordinum; 3. invalidare collationem beneficii. An id valeat de beneficio simplici.* — 343. *An collatio tunc sit ipso jure irrita.*

Dubium III. Quomodo incurratur et tollatur irregularitas. *240*

344. *An in dubio irregularitas incurratur.* — 345. *Non incurritur, nisi in jure sit expressa.* — 346. *Dub. 1., in dubio de irregularitate contracta quomodo quis se gerere debeat. Et quid, si dubium sit juris?* — 347. *Dub. 2. Quid in dubio facti, præter homicidium? Dub. 3. Quid in dubio homicidii commissi? Dub. 4. Quid in dubio de animatione fœtus, si abortus fuerit patratus?* — 348. *An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur culpa mortalis et actus externus ac consummatus.* — 349. *Qu. 1. Quid, si crimen fuerit externum, sed prorsus occultum?* — 350. *Qu. 2., an ad incurrendam irregularitatem requiratur scientia legis.* — 351. *Qu. 3., an etiam scientia pœnæ.*

352. *Quot modis tollatur irregularitas.* — 353. *Irregularitas tollitur per dispensationem. Quis possit in ea dispensare. Plura notanda.* — 354. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium per professionem religiosam.* — 355. *Prælati regulares in quibus irregularitatibus possint dispensare.* *249*

Dubium IV. Quæ sint irregularitates ex delicto. *252*

356. *Irregularitas ex delicto incurritur I. ob baptismum iteratum.* — 357. *II. Ob violationem censuræ.* — 358. *Plura notanda. An autem, qui ordinatur ligatus censura, incurrat irregularitatem.* — 359. *III. Ob exercitium actus ordi-*

pag.

nis sacri, quem aliquis clericus non habet. — 360. *IV. Ob malam susceptionem ordinum.* 361. *Quotupliciter incurratur irregularitas ob furtivam susceptionem.* — 362 *V. Ob crimina infamia et notoria.* — 363. *Requiritur notorietas facti vel juris. Quæ sint crimina et exercitia, quibus annexa est infamia.* — 364. *Quomodo tollatur hæc irregularitas.*

365. *VI. Ob homicidium vel mutilationem.* 258
366. *De irregularitate ob homicidium voluntarium.* — 367. *Hanc irregularitatem incurrunt: 1) Qui occidunt vel mutilant.* — 368. *Dub. 1. Quid, si homicidam pœniteat ante mortem.* — 369. *Dub. 2. Quid, si unus feriat, sed alii occidant?* — 370. *2) Incurrunt mandantes vel consulentes homicidium vel mutilationem.* — 371. *Dub. 1. Quid in dubio, an homicidium causatum fuerit ex mandato sive consilio?* — 372. *Dub. 2. Quid, si homicida jam erat determinatus ad occidendum?* — 373. *Dub. 3. Quid, si consulens consilium revocet?* — 374. *3) Incurrunt omnes cooperantes ad homicidium vel mutilationem, nempe: 1. Excitantes; 2. præliantes in bello injusto; 3. ministrantes auxilium; 4. accusantes etc.; 5. associantes.* — 375. *Dub. 1., an incurrant ratihabentes.* — 376. *Dub. 2., an non impedientes.*

377 *De irregularitate ob homicidium vel mutilationem casualem.* — 378. *De mutilatione membrorum.* — 379. *Dub. 1., quid veniat nomine membri.* 380. *Dub. 2., an fiat irregularis, qui abscindit testiculos.* — 381. *Et an ab irregularitate propter mutilationem possint dispensare episcopi.* — 382. *Plura apud Busembaum et præsertim, an dans potum infirmo vel eum admovens incurrat irregularitatem.* — 383. *Si quis dat operam rei licitæ, non fit irregularis, nisi apponat negligentiam moraliter culpabilem.* — 384. *Hinc excusatur: 1. Magister et pater verberans, si etc.; 2. equitans in equo feroci; 3. alens feram ligatam; 4. reficientes tectum; 5. clericus in sacris, aut monachus medens sine incisione vel adustione.* — 385. *Quid de clerico beneficiato medente cum inci-* 264

pag.

sione? — 386. *Si quis dat operam rei illicitæ, non fit irregularis, si res non est periculosa.* — 387. *Quid, si periculosa?* — 388. *Quid, si quis occidat ad defensionem sui vel innocentis: et quid, si adulter occidat maritum aggressorem? Remissive ad lib. 4, 398. v. in ordine.* — 389. *An fiat irregularis occidens ob defensionem libertatis, honoris, bonorum etc.*

390. *Quomodo tollatur irregularitas propter homicidium.* — 391. *An episcopi possint dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario.* — 392. *Et quid, si homicidium fuerit omnino occultum?* — 393. *Quid, si homicidium fuerit casuale?* — 394. *An reputetur casuale homicidium patratum in rixa.* — 395. *Et quid, si fuerit commissum per defensionem, sed excedendo moderamen?* — 396. *Quomodo prælati regulares possint dispensare in irregularitate ob homicidium vel mutilationem cum subditis suis: et quomodo cum laicis.* 276

Dubium V. Quæ irregularitates ex defectu 280

397. **Prima ex defectu animæ.** *Hinc sunt irregulares: 1) Amentes, dæmoniaci et epileptici.* — 398 *Distinctius agitur de amentibus.* — 399. *De epilepticis et dæmoniacis.* — 400. *Quis possit dispensare in hac irregularitate. Et an episcopi possint dispensare in alia irregularitate ex defectu. An saltem in dubio. An prælati regulares.* — 401. *2) Sunt irregulares illiterati.* — 402. *3) Neophyti.*

403. **Secunda ex defectu corporis,** *vel quia defectus impedit exercitium ordinis, vel quia affert deformitatem.* — 404. *Et primo ob impedimentum exercitii est irregularis: 1. Cæcus.* — 405. *2. Surdus.* — 406. *3. Mutus.* — 407. *4. Claudus.* — 408. *5. Qui caret manu aut digitis omnibus, aut pollice aut indice.* — 409. *6. Laborans febri, paralysi etc.; item abstemius etc.* — 410. *Secundo ob deformitatem est irregularis: 1. Ille, cui deest membrum, nempe nasus aut oculus. Quid, si desint auriculæ?* — 411. *2. Leprosus.* — 412. *3. Mon-* 285

pag.

struosus, nempe gibbosus, pigmæus, æthiops. — 413. *Not. 1. Quid, si defectus superveniat ordinibus? Not. 2. Quid, si antecesserit?* — 414. *Quis possit in hac irregularitate dispensare. An Papa cum cæco. An prælati regulares.* — 415. *Quid, si defectus corporis advenerit ex propria culpa? Et an in eo possit dispensare episcopus.* — 416. *Quid de eunucho?* — 417. *Quid, si quis causam dederit abscissioni virilium?* — 418. *Quid, si quis amputet sibi testiculos ob vocem servandam?* — 419. *Et quid, si quis tantum attentet se occidere etc.?*

420. Tertia ex defectu natalium. — 421. *Illegitimi legitimantur: 1) Per matrimonium subsequens.* — 422. *An sufficiat, quod matrimonium fieri potuisset tempore nativitatis.* — 423. *Not. 1. Quid, si matrimonium fiat, postquam filius est ordinatus? Not. 2. Quid, si matrimonium non consummetur?* 424. *Not. 3. Quid, si matrimonium sit nullum, sed ignoretur saltem ex una parte?* — 425. *Not. 4. Quid, si filii nascantur ex matrimonio clandestino ob omissas denuntiationes?* — 426. *2) Legitimantur filii per professionem religiosam.* — 427. *3) Per dispensationem pontificiam.* — 428. *Episcopus potest dispensare cum illegitimo ad ordines minores et ad beneficium simplex.* — 429. *Dub. 1., an ad recipiendum canonicatum.* — 430. *Dub. 2., an cum illegitimo occulto.* — 431. *Dub. 3., an saltem ad ministrandum in sacris ordinibus jam susceptis.* — 432. *Dub. 4., an filii expositi sint irregulares.* — 433. *Principes sæculares possunt legitimare tantum ad sæcularia. Quid in dubio, an quis sit legitimus?* 294

434. Quarta ex defectu ætatis. *(Remissive ad lib. 6, 799).* 299

435. Quinta ex defectu sacramenti, *i. e. ob bigamiam.* — 436. *Triplex est bigamia: vera, interpretativa et similitudinaria. 1) Quænam sit vera.* 437. *2) Quæ interpretativa. Hæc contingit quatuor modis. Primus modus, cum quis ducit viduam.* 438. *Secundus modus, cum quis ducit mulierem corruptam ab alio.* — 439. *Dub. 1. Quid, si credat* 299

pag.

virginem? — 440. *Dub. 2. Quid, si invalide contrahat?* — 441. *Tertius modus, cum quis cognoscit uxorem adulteram.* — 442. *Dub. 1. Quid, si adulterium fuerit occultum?* — 443. *Dub. 2. Quid, si cognoscit ignorans adulterium?* — 444. *Quartus modus, cum quis contrahit duo matrimonia, unum validum, aliud nullum.* — 445. *Dub. 1. Quid, si utrumque fuerit nullum?* — 446. *Dub. 2. Quid, si cum bona fide?* — 447. *Dub. 3. Quid, si ficte ineatur secundum matrimonium?* — 448. *3) Quidnam sit bigamia similitudinaria.* — 449. *An hanc irregularitatem incurrant etiam clerici in sacris.* — 450. *Quomodo tollatur irregularitas ex bigamia. An Papa possit in ea dispensare.* — 451. *An episcopi.* — 452. *An saltem quoad ordines minores et ad beneficia simplicia. An in bigamia similitudinaria.* — 453. *An prælati regulares possint dispensare cum suis subditis in omnia bigamia.*

454. Sexta ex defectu famæ. *308*

455. Septima ex defectu libertatis. *Hinc sunt irregulares: 1. Servi.* — 456. *2. Conjugati; 3. curiales; 4. milites et administratores publici atque exercentes sævia aut turpia.* *308*

457. Octava ex defectu lenitatis. — 458. *An sit irregularis, qui occidit in defensionem honoris.* — 459. *Fiunt irregulares ex hoc defectu: 1) Qui occidunt in bello.* — 460. *An, qui hortantur in bello ad occidendum.* — 461. *2) Qui in judicio concurrunt ad mortem vel mutilationem: modo ipsi 1. cooperentur.* — 462. *2. Active.* — 463. *3. Efficaciter. An peccent clerici assistentes supplicio.* — 464. *4. Proxime. An peccet confessarius, vel alius consultus a judice, respondens, aliquem in particulari esse plectendum.* — 465. *Qui possint excusari. An omnes, qui non concurrunt ut ministri ad causæ probationem vel executionem.* — 466. *5. Per actionem ex natura sua ad id ordinatam.* — 467. *Quomodo vetitum sit clericis et monachis se intromittere in causam sanguinis.* — 468. *Fiunt autem irregula-* *309*

res: 1. Judices; 2. testes voluntarii; 3. accusatores etc. Quid, si accuset clericus; et quid, si causa sit propria vel aliena? — 469. *An in hac irregularitate possit dispensare episcopus, si fuerit occulta. An prælati regulares.* — 470. *Annotantur ultimo facultates, quas habet s. pœnitentiaria super casibus, censuris, irregularitatibus, inhabilitatibus, votis etc.*

FINIS INDICIS LIBRI SEPTIMI.

EPITOME

DOCTRINAE MORALIS ET CANONICAE

EX CONSTITUTIONIBUS ALIISQUE OPERIBUS

FELICIS RECORDATIONIS

BENEDICTI XIV.

PONTIFICIS MAXIMI

EXCERPTAE

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

JOANNE DOMINICO MANSI,

Archiepiscopo Lucensi, Congregationis Matris Dei,

Ab auctore pluribus additamentis illustrata et correcta.

EDITOR

LECTORI.

Plurima sunt ad moralem theologiam atque ad jus canonicum pertinentia, quæ Benedictus XIV. immortalis memoriæ Pontifex in operibus suis vere aureis sparsim disseminaverat, quæque scientiæ moralis studiosos ignorare omnino dedecet. Sed cum non omnes varia illius opera integra vel emere vel legere possint, opportune in mentem venit P. Joanni Dominico Mansi, tunc congregationis Matris Dei, deinde archiepiscopo Lucensi, viro doctissimo; et non solum in Italia, verum etiam in toto orbe litterario eruditissimis libris suis celeberrimo, epitomen quamdam conficere totius doctrinæ moralis et canonicæ ex illius Pontificis operibus excerptæ. Cum igitur nobis exploratum sit, quantum hic eruditissimi viri labor theologis omnibus probatus sit, rem iis pergratam nos facturos esse existimavimus, si illam nunc demum ab eodem clarissimo auctore pluribus in locis emandatam novisque additamentis illustratam typis nostris excuderemus. Eam igitur excipe, lector benevole, et studium publicæ utilitatis nostrum ne asperneris! Vale!

EPITOME

DOCTRINAE MORALIS ET CANONICAE

EX OPERIBUS

BENEDICTI XIV.

Abbates.

Abbates regulares, nullam animarum curam gerentes, ad synodum diœcesanam accedere nequaquam tenentur, ut ex decreto S. C. (1).

Abbates, priores, præpositi et alio quocumque nomine nuncupati, cardinales etiam, spiritualem jurisdictionem quasi episcopalem in monasteria seu ecclesias cum territorio separato habentes, debent jurare in manibus alicujus episcopi seu nuntii apostolici aut legati eorum arbitrio eligendi, se visitaturos sacra limina apostolorum personaliter ac per seipsos, atque Romano Pontifici relationem afferre ecclesiarum suarum. Ex his vero, qui Itali fuerint vel insularum Italiæ, tertio quoque anno; reliqui vero quinto quoque anno a die captæ possessionis. Id vero, si ex legitimo impedimento non possint per se, tenentur per nuntios præstare. Ita in bulla *Quod sancta n. 7.* Si vero ante publicationem hujus bullæ, signatæ anno 1740 die nono Kal. Decembris, possessionem pacificam illarum ecclesiarum jam habuissent, intra annum, si fuerint in Italia et insulis; intra biennium

(1) *de synodo. diœc. l. 3. c. 1. n. 8., iterumque l. 12. c. 1. n. 2. (editionis Ferrariensis anni 1756, quam sequuntur editiones Belgicæ.)*

vero, si extra, a die latæ constitutionis tenentur eam relationem mittere; dein singulis trienniis ad limina se conferre. Hæc omnia si prætermiserint, ipso facto ab ingressu ecclesiæ interdictum et ab administratione tam spiritualium quam temporalium suspensionem incurrunt, tum etiam perceptione fructuum privantur: qui fructus cedant episcopo viciniori in sacros usus ejus arbitrio erogandi. *Ib. n. 9.*

Actus fidei.

Actus fidei non debet comprehendere tantum in genere, quidquid fides dictat, sed debent etiam credi explicite ea mysteria, quæ scire debent (1).

Advocatus.

Rescripta et brevia pro exercendo advocati munere monachis, etiam canonicis regularibus, numquam conceduntur: quod conforme est canoni *Ex parte tua de postulando* (2).

Sæcularibus vero clericis, etiam beneficiatis, tum et sacris ordinibus initiatis conceditur, ut advocaturam exerceant in tribunalibus ecclesiasticis, in laicalibus, et coram judice sæculari, cum agitatur causa propria ipsorum vel ecclesiæ suæ vel miserabilium personarum. Quamquam in brevibus libere conceditur sacerdoti sæculari pauperi, ut libere causas civiles et criminales agat, dummodo in criminalibus tantummodo reis patrocinetur; quin et tamdiu munus illud exercere ei permittitur, donec certos ecclesiasticos reditus ad congruam sustentationem sufficientes vel beneficium residentiale obtineat (3).

Alienatio.

Alienationes rerum immobilium et mobilium pretiosarum vetitæ sunt quoque regularibus, etiam speciali commemoratione dignis, ex decreto *Urbani VIII.* sub die 7. Sept. 1624. Hæc tamen intelligenda sunt de bonis ecclesiæ incorporatis. Quæ vero non sunt incorporata et debent alienari, ut sunt res relictæ PP. Reformatis *s. Fran-*

(1) *institutiones ecclesiasticæ* (*italice notificazioni*) *72.* (2) *de syn. diœc. l. 13. c. 10. n. 12.* — (3) *ibidem.*

cisci, non possunt eorum syndici procedere ad earum venditionem, nisi præfixo edicto, ut magis offerenti vendantur. Ita ex decreto S. C. (1).

Alienationes etiam rerum inferioris valoris, quæ comprehenduntur in *can. Terrulas causa 12. qu. 2.*, debent etiam a regularibus fieri de licentia episcopi (2).

Alienantes et recipientes bona alienata contra extrav. *Ambitiose* incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam (3). Regulares vero ultra hanc incurrunt ipso facto pœnam privationis officiorum, ex decreto *Urbani VIII. ibidem.*

Quamquam ex *can. Bona 12. qu. 2.* jus sit episcopo, molienti novum monasterium in sua ecclesia, donandi illi quinquagesimam partem redituum ecclesiæ suæ, cum tamen episcopi in sua consecratione jurent, se non alienaturos possessiones ad mensam suam pertinentes; hinc optime intulit S. C., interdictam esse episcopo hanc et aliam quamcumque alienationem (4).

Altare.

Sacerdotibus latini ritus in Russia polonica degentibus, tam præsentibus quam futuris, conceditur, ut deficientibus tabulis lapideis consecratis missam celebrent super antimensis Ruthenorum unitorum; ritu tamen latino sacrum agere illis injunctum est. Sunt antimensia lintei quidam episcopali benedictione consecrati, in quorum angulis sanctorum reliquiæ reconditæ sunt (5).

Altare privilegiatum.

In brevibus pro altari privilegiato solet definiri numerus missarum quotidie in ecclesia celebrandarum: si forte accidat, ut aliquibus diebus numerus iste missarum desit, dummodo sæpius in hebdomada tot missæ celebrentur, quot privilegium illud exigit, id non sufficere declaravit S. C. die 11. Sept. 1694; decretumque illud approbavit *Innocentius XII.*, ex quo resultat, necessarium esse singulis diebus numerum missarum definitum (6).

(1) *inst. eccles. 69. n. 8.* — (2) *ib. n. 9.* — (3) *ib. n. 10.* — (4) *de syn. diœc. l. 12. c. 8. n. 13.* — (5) *constit. Imposito nobis bullar. Romanæ editionis tom. 3. n. 46.* — (6) *inst. eccles. 56. n. 16.*

Indulgentiæ altaris cum definito numero missarum, si forte contingat tempore adventus et quadragesimæ, ut in ecclesiis regularium impleri non possit numerus, remanent suspensæ. Reliquis anni diebus, si forte id raro contingat, non remanent suspensæ, sicut nec remanent, si ob infirmitatem sacerdotum tam sæcularium quam regularium, raro tamen, id contingat. Ita S. C. die 30. Julii 1706(1).

Appellatio.

Appellationes omnes et inhibitiones, per quas retardetur executio aut impediatur processus ad ulteriora in iis, quorum executio a Tridentino vel constitutionibus apostolicis commissa est locorum ordinariis, addita clausula: *appellatione vel inhibitione quacumque postposita*, ne ab tribunalibus recipiantur, statuit Pontifex in bulla *Ad militantis* (2). Quæ appellationes inhibitionesque, si concedantur, præterquam quod hoc ejus statutum violetur, nullæ sint (3).

Excipiuntur tamen casus, qui forte occurrerint, singulares ab hac regula eximendi; tunc vero, ne dentur monitoria citationesque, vetat, nisi prius in supplici libello ad hoc corrigendo facti circumstantia peculiaris clare exponatur cum aliquo documento semiplene saltem eamdem circumstantiam verificante (4).

Aspersorium.

Episcopo ingredienti aliquam ecclesiam collegiatam porrigi debet aspersorium non ab archidiacono seu aliis de capitulo, sed a digniori illius ecclesiæ. Si vero cum suo capitulo cathedralis capitulariter cum indumentis canonicalibus ad aliquam ecclesiam suæ diœcesis procedat, porrigi illi debet a digniori de capitulo cathedralis (5).

Baptismus.

Natis infantibus baptismus conferri quamprimum debet, peccantque graviter, qui diu illum differunt: tempus au-

(1) *ib. n. 17.* — (2) *bullar. t. 1. n. 48.* — (3) *ib. n. 38.* — (4) *ib. n. 39.* — (5) *inst. eccl. 105. n. 128. ex decreto S. C. R.*

tem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno 1723, ut intra triduum infans lavetur (1).

Non licet absque necessitate baptismum conferre in privatis domibus (2).

Nihil officit validitati baptismi error privatus baptizantis, dummodo in materia et forma nihil innovetur (3).

Infans, cujus corpusculum nondum e matris utero prodivit, sed materno utero jam reserato mox proditurus est et moriturus timetur, debet inducta aqua instrumento aliquo baptizari; sed sub conditione baptizandus est (4).

Si vero infans aliqua sui corporis parte, non vero capite prodierit, baptizandus est sub conditione in ea parte, quæcumque illa fuerit, quemadmodum rituale Romanum præscribit (quidquid in contrarium theologorum plures sentiant, quando pars illa est ex principalioribus, ut pectus, scapulæ, brachia etc.); iterumque sub conditione in capite baptizandus est, si totus exierit. Si vero caput unice detectum fuerit, baptismate absolute tingendum est (5).

Baptismus cum conditione adjecta non confertur absque lethalis culpæ crimine, nisi prudens dubitandi ratio suppetat, an antea validus baptismus collatus sit (6).

Si de administrato baptismate unus tantummodo testis affirmet, ut obstetrix, cum illa tunc testificetur de facto proprio, ex hoc tantummodo non est hoc sacramentum reiterandum; si quidem illa interrogata materiam et formam hujus sacramenti probe se scire demonstrat. Idemque præstandum est in locis, ubi obstetrices, antequam ad munus istud admittantur, de ratione administrandi rite baptismum edoceri solent (7).

Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum baptismum (8).

At si testimonium sit ab homine incerto, in re adeo gravi ignoto testimonio deferre non possumus: quare tunc rebaptizandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto baptismate e collo suspensam ferat, uti pro expositis in hospitali de s. Spiritu in Saxia de Urbe respondit S. C. concilii die 15. Januarii 1724 (9).

(1) *inst. eccl. 98. n. 3.* — (2) *ib. n. 9.* — (3) *de syn. diœc. l. 7. c. 6. n. 9.* — (4) *lib. cit. c. 5. n. 6.* — (5) *ib. n. 7.* — (6) *ib. c. 6. n. 3.* — (7) *ib. n. 4.* — (8) *can. Parvulos et can. Cum itaque de consecr. dist. 4.; inst. eccl. 98. n. 13.* — (9) *de syn. diœc. l. 7. c. 6. n. 5.*

Si vero agatur de baptizatis ab hæreticis, qui ad fidem Romanam venire petunt, tunc oportet investigare, numquid in secta illa hæreticorum innovatum sit aliquid circa materiam et formam baptismi. Quod si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc ac in dubio baptismate agendum est. Hoc dubium rationabile censendum est in baptismate hæreticorum Hollandiæ, apud quos mos invaluerat, ut alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare et nunc pariter, ut in re dubia, cum illis agendum est, uti et cum hæreticis Angliæ, quemadmodum ex *Sylvio* aliisque statuitur (1).

Irregularitas ex iteratione baptismi contrahitur etiam, si baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex catechismo Romano multo probabilius deducitur (2). Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut et ea affecti non tantum ad altiores ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio jam susceptorum ordinum absterrentur, quæ tamquam magis cohærens auctoritati catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti (3).

Admittendum esse ad baptismum infantulum Hebræum, postulante avia paterna christiana, licet reclamet mater Hebræa defuncto marito et tutores testamentarii, censet Pontifex in epistola ad *R. P. Hieronymum Guglielmi*, congregationis s. officii assessorem, ex eo, quod avia comprehendi possit sub appellatione parentum, et favore religionis facile prævaleat matri et cæteris tutoribus testamentariis: sicut mater christiana postulans baptismum pro filio prævalet patri infideli reclamanti: et si quid dubii superesse possit, in dubio favendum est religioni (4).

Baptizari infideles invitis parentibus vel tutoribus licite non possunt, nisi infantes fuerint in mortis extremo, vel expositi tamquam a parentibus derelicti. Si vero expositum quis baptizandum assumpserit, potest illi lavacrum salutare impertiri, etiam synagoga vel parentibus reclamantibus. Si vero pater infidelis offerat infantem suum, dein facti sui pœniteat et nolit baptizari, tunc

(1) *ib. n. 8.* — (2) *instit. eccl. 84. n. 18.* — (3) *ibidem.* — (4) *hunc epistolam habes in bullario Benedicti XIV. tom. 3. n. 54.*

puer ante usum rationis est baptizandus; qui vero sui compotes sunt, in domo catechumenorum explorandi sunt, si velint.

Tandem, si qui pueri baptizati sunt etiam parentibus invitis, tunc ille, qui baptizavit, peccavit graviter, sed baptizatus restitui parentibus non debet; at penes christianos educari. Porro in eo casu baptismus vel unico teste idoneo probatur, etiamsi fœmina sit, vel etiamsi sit ille, qui baptismum contulit, in quo casu puer nec sub conditione rebaptizandus est.

Hæc de pueris ante usum rationis. Qui vero rationis capaces sunt, uti sunt communiter post septimum ætatis annum, si sese sponte obtulerint baptismo, possunt baptizari; quod verum est, etiamsi non certo constet, sed dubitetur de capacitate rationis post septennium. Si vero hoc dubium præcedat septennium, tunc debet puer retineri apud christianos, suspenso interim baptismo, quoadusque certus usus rationis superveniat.

Si adulti illi careant intentione recipiendi baptismi, adeo ut illam nec ipso actu nec antea habuerint, tunc baptismus est invalidus. Validus autem est, si antea fuerit habita et numquam interim retractata. Quod si neutra fuerit voluntas in suscipiente, tunc in eam sententiam inclinandum est, quæ invalide baptizatum pronuntiat.

Si post baptismum affirmet neophytus, se caruisse intentione sufficienti, nec afferat dicti sui idoneas probationes, retinendus est et denuo tingendus sub conditione. Vicissim si illas afferat, negetque, iterum baptizari se velle, remittendus est. Hæc omnia late disputat Pontifex in epistola ad vicesgerentem *Postremo mense* (1).

Si mulier gravida decedat, potest episcopus injungere, ut per sectionem cæsaream extrahatur ex utero infans, qui forte vivus reputatur, ad hoc, ut sacrum baptisma conferatur. Non enim id est impossibile, ut extrahatur vivus (2).

Baptismum ministrare tempore pestis eo morbo obstrictis per se non tenetur episcopus, cum ille sit tanquam causa universalis, quæ non per se, sed per particulares, i. e. per parochos operatur; si tamen alius adsit, qui præstare id possit (3).

(1) *bull. tom. 2. n. 28.* — (2) *de syn. diœc. l. 11. c. 7. n. 13.* (3) *c. 13. c. 19. n. 6.*

In baptismate conferendo possunt presbyteri græci loco latinæ formæ adhibere eam, quam habent in suo euchologio: *Baptizatur servus Dei N. in nomine etc.*, sicut et adhibere trinam aquæ immersionem seu aspersionem cum omnibus unctionibus erga baptizatum, ubi tamen non est contraria consuetudo. Presbyteri tamen Græcorum vetantur consignare chrismate in fronte suo baptizatos. Licet vicissim uti in baptismate aqua calida, sicut et licet parochis græcis suos subditos baptizare aqua per ipsos græco more benedicta. Vetantur insuper, ne baptizatis pueris communionem sub utraque specie vel sub una administrent, sicut neque eisdem pueris conferant in missa eucharistiam.

Filiis patris latini et matris græcæ latino ritu baptisma conferatur. Si vero pater sit græcus et mater latina, liberum erit patri ritum eligere.

Baptizati ritu græco subsunt jurisdictioni parochi Græcorum, nec possunt Latini absque dispensatione sedis apostolicæ transire ad ritum græcum. Vicissim Græcus ex concessione episcopi latini potest ad latinum transire. Qui vero clerici sunt in quocumque ordine, etiam minori, constituti, a ritu græco ad latinum sine licentia transire nequeunt.

Fas est græcis sacerdotibus, peracta jam consecratione, et ante communionem suam aquam calidam in sacrum calicem infundere.

Non licet græcis sacerdotibus asservare sacramentum eucharistiæ toto anno.

Non licet Græcis in Italia et insulis degentibus eucharistiæ particulam suspensam ad collum seu in privatis domibus retinere.

Quæ servanda sint a Græcis in sacramentis conficiendis et recipiendis diligenter prosequitur *Benedictus XIV.* in eadem bulla *Etsi pastoralis* (1), ex quibus nonnulla hic etiam a nobis excerpta sunt et sparsim in suos titulos distributa.

In bulla *Quam provinciale* (2) mandat Pontifex, ut servetur canon concilii III. provincialis Albanensis, quo sancitur, ne Christi fidelibus sub mahumetica ditione degen-

(1) *bull. 4. n. 57.* — (2) *ib. n. 37.*

tibus imponantur baptizandis nomina turcica seu mahumetana, neve eadem nomina etiam extra baptismum sibi imponant, quacumque tandem ratione id agant.

Barbitonsores.

In diœcesi, ubi adest consuetudo exercendi artem barbitonsoriam etiam die festo, permitti potest; sed tantummodo definitis diebus, non vero omnibus (1). Opus est tamen servile, nec nisi ex consuetudine tolerandum (2).

Benedictio.

Benedictio sacrarum vestium, utrum ab episcopo simplici sacerdoti committi possit, quæstio est anceps inter scriptores. Insignes tamen episcopi facultatem hanc plerumque a congregatione petunt (3).

Utrum benedicendum sit cingulum, pluviale et sacra pyxis, quæstio est inter doctores. Probabilior tamen censetur opinio, quæ benedictionem exigit, cum pro pyxide sit peculiaris benedictio in rituali (4).

Si ex veteri sacro vestimento novum aliud diversæ formæ conficiatur, ut si ex stola manipulus etc., benedictio iteranda est (5).

Episcopi titulares jus nullum habent consecrandi sacro chrismate vasa sacra, quia, cum in his adhibendus sit usus pontificalium, non datur illis hisce uti in aliena diœcesi (6).

Abbates regulares benedicere posse campanas et calices pro usu alienarum ecclesiarum (possunt enim pro suis) negavit *Alexander VII.* in suo decreto diei 27. Sept. 1659. Consulta s. congregatione, num potuerint indumenta sacra benedicere pro alienis ecclesiis, ex eo, quod obtinuerint indultum apostolicum, responsum fuit, exhiberi debere illud indultum authenticum, ex archivio apostolico desumptum, ac interim abstineri (7).

Benedictiones et unctiones campanarum, cum capitularibus *Caroli Magni* indicentur, antiquissimæ sunt (8);

(1) *inst. eccl. 43. per totum.* — (2) *ib. n. 2.* — (3) *inst. eccl. 21. n 9. et 10.* — (4) *ib. n. 12.* — (5) *ibid.* — (6) *ibid. n. 15.* — (7) *ibid. n. 19.* — (8) *inst. eccl. 47. n. 30.*

eisque nomen alicujus sancti imponi consuevisse ex Alcuino discimus (1).

Benedictiones campanarum ad nimbos depellendos approbantur, neque id tribui posse impressioni aëris a campana impulsæ asseritur (2)

Solus episcopus jus habet campanas benedicendi, cum sacra unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare (3).

Ex præcepto pontificalis Romani campanæ ecclesiarum benedici debent. *Ib.*

Potest episcopus suspendere sonum campanarum, quæ ab episcopo benedictæ non fuerint, ut ex decretis S. C. *Ib.*

Benedictionum equorum et aliorum animalium die festa *s. Antonii* abbatis formula habetur *inst. eccl. 47. n. 12.*

Benedictiones in vermes et insecta habentur *ibidem n. 20.*

Benedictiones cum reliquiis non esse improbandas, quidquid dicant nonnulli, ex praxi etiam Romæ recepta probatur *ibidem n. 26.*

In benedictione pontificia super populum, quæ quibusdam regularibus aliquoties in anno ex privilegio datur, unicum tantum crucis signum formandum est more sacerdotali, non tria more episcopali (4).

Facultatem benedicendi morituros cum plenaria indulgentia, quam antistites ecclesiarum cum epistolis in forma brevis ad triennium obtinuerunt, ad totum illud tempus, quo in ea diœcesi perseverabunt, prorogat *Benedictus XIV.* in encyclica ad omnes antistites *Pia mater* (5), ac imposterum ita esse expediendas facultates illas denuntiat, easque pariter communes esse vult prælatis inferioribus territorium separatum habentibus cum qualitate *nullius* et activa in populum et clerum jurisdictione. His omnibus dat facultatem subdelegandi, ut ipsis quomodocumque impeditis, etiam diurno tempore, possint hanc benedictionem per delegatos elargiri. Hanc delegationem fieri maxime vult per diœcesim, ut omnibus præsto esse possint, quæ delegatio morte delegantis non expiret, sed perseveret usque ad superventum novi præsulis, cujus in arbitrio est eos confirmare vel removere. Quare no-

(1) *ib. n. 32.* — (2) *ib. n. 37.* — (3) *ib. n. 38.* — (4) *encycl. Exemplis bullar. t. 2. n. 43.* — (5) *ib. n. 34.*

vus quidem præsul poscere debet a Pontifice eamdem facultatem, non vero delegati illi, quia perseverat in illis prioris episcopi delegatio; ita Pontifex *ibidem*.

Si tamen præsul ex una ecclesia transferatur in aliam, nova indiget facultate, quia prior illi data fuit præcedentis diœcesis intuitu.

Ritus hujus benedictionis impertiendæ habetur descriptus in eadem encyclica.

Tres benedictiones impertiunt abbates regulares ex decretis *Alexandri VII.*, in missis, vesperis et matutinis solemnibus. In missis privatis nihil supra reliquos sacerdotes illis concessum est. Ex iisdem decretis (1).

Beneficium.

Beneficium, si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tamquam beneficiatus illis fruatur, tum post obitum suum jus patronatus transeat ad hæredes, quamquam simoniacum id audiat apud multos, attamen ab ea labe immune censeri potest; neque enim satis esse discriminis apparet inter eum, qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo etc., et illum, qui vult sibi conferri; utrimque enim pactum adest; ita ex *Pittonio* (2).

Si quis vero offerat bona in augmentum beneficii jam erecti, nec tamen patronatus jus acquirat, tunc pacisci non potest, ut sibi beneficium illud conferatur (3).

Patronus non potest se præsentare ad beneficium (4), sed potest rogare episcopum, ut, si inveniatur dignus, sibi illud conferat; sive debet jus patronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo expolietur jure patroni, quando donationem approbaverit episcopus, vel saltem episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione beneficium, et beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum (5).

Beneficia resignantes sub pensione, si clam pactum iniverint cum resignatario de cedenda illi pensione seu commodo exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta an-

(1) *inst. eccl. 34. n. 19.* — (2) *inst. eccl 95. n. 7.* — (3) *ut ex cap. Tua nos de simonia ib. n. 12.* — (4) *ut ex cap. Per nostras de jure patronatus.* — (5) *inst. eccl. 95. n. 5.*

ticipata pecunia, pactum istud irritum et inane declaratur. Item resignatarii et resignantes decidunt ab omni jure beneficii ipso facto absque ulla judicis declaratione, et pecunia soluta restitui debet sub peccato gravi, quæ ab ordinario applicanda est locis piis. Eisdem pœnis subjacent hæc eadem pacta inita intra sex menses a die receptæ per resignatarium beneficii possessionis (1).

In bulla *Ecclesiastica ministeria* (2) mandat Pontifex in resignationibus beneficiorum, ut resignatis in manu Pontificis beneficiis, et ab illo admissis, atque vicissim admissis super eo provisionibus, dispositionibus etc., litteræ gratiæ signatæ intra sex menses ita perficiantur, ut intra eosdem menses a novo proviso possessio beneficii capiatur; si vero beneficia illa sunt ultra montes, prorogat terminum istum usque ad novem menses a data concessionis gratia numerandos. Ubi vero justis de causis prorogatio aliqua postulatur, permittit, ut docto prius officii subdatario de apostolicis litteris expeditis, fiat prorogatio prima et secunda vice, ulteriores omnes tollit. Et si legitimum impedimentum perseverare concludentes apud datarium probatum sit, facultas sit datario tot ulteriores prorogationes concedendi ad exequendum litteras apostolicas, quot necessariæ sunt ad impedimenti remotionem. Sublato vero sic impedimento, si nihilominus perseveretur in differenda executione litterarum, apostolica tunc gratia nulla et irrita censetur.

Si beneficium obtinens religionem ingrediatur, beneficium tamen non vacat nisi per professionem; tempore vero illo intermedio inter ingressum et professionem quoad beneficia curata debet episcopus idipsum agere, quod præstaret, cum parochus impedimento aliquo detineretur. Quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut jura præscribunt. Si forte beneficiatus religionem ingressurus beneficium suum dimitteret, quæ renuntiatio admitti ab episcopo posset ex constitutione 58. *s. Pii V.*, sive eam renuntiationem faceret ad tramites capitis 16. sess. 25. concilii Tridentini de regularibus, nihilominus in suspenso remanere debent ea beneficia, nec posset

(1) *bulla In sublimi, bullar. t. 1.* — (2) *ib. t. 2. n. 16.*

illa alteri conferre episcopus, nisi post factam a renuntiante solemnem professionem (1).

Vetitum est etiam beneficiariis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ et nullitatis actus, vendere ac distrahere reditus suorum beneficiorum ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per spatium ejusdem temporis vel totius vitæ probabiliter consequi potuissent (2).

Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate vel alio occulto vitio, vel etiam in concursu male obtentorum, convalidare fas est majori pœnitentiario (3); sed in convalidatione titulorum et condonatione fructuum abstinendum est illi cum episcopis, qui de ecclesiis cathedralibus provisi, munus consecrationis intra præfinitum tempus non susceperint (4).

Neque etiam condonet fructus beneficialium et episcopalium ecclesiarum quovis modo male perceptos in casibus non occultis. In occultis vero cum Italis, Hispanis, Lusitanis et insulis adjacentibus compositionem facere potest; cum aliis reliquis non potest. Hæc tamen omnia debent esse sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere debent (5).

Si quis jam obtineat beneficium, et injuste vexetur ab alio, potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex canonistis omnibus firmatur (6).

Si vero quis habeat jus ad beneficium, et ab alio illi is moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite hucusque factas; nam tunc pararet sibi viam ad beneficium per pecuniam (7).

Beneficium obtinenti jure certo et manifesto, ut nullus sit quæstioni locus, permittitur redimere injustam vexationem (8); idque fieri potest nulla interposita episcopi auctoritate; fas est tamen episcopo præcipere in synodo, ne id fiat absque suo assensu ob periculum simoniæ (9).

(1) *ita in litteris ad cardinalem Quirinum Ex quo dilectus ib. §. 25.* — (2) *bulla Universalis ecclesiæ bull. t. 1. n. 29.* (3) *bulla Pastor bonus ib. t. 1. n. 95. §. 20.* — (4) *ib. §. 21.* (5) *ib. §. 24.* — (6) *inst. eccl. 93. n. 4.* — (7) *ib. n. 7.* — (8) *ut ex Dilectus 27. de simonia.* — (9) *de syn. diœc. l. 12. c. 6. n. 9.*

Si patronorum beneficii scissa suffragia fuerint in partes, ille est præficiendus, qui a pluribus eligitur, uti definitum est in *cap. Quoniam de jure patronatus.* Si tamen ille, quem præsentat pars major, non reperiatur idoneus, poterit alter præsentari a paucioribus, ut ex *Lambertino* traditur (1). Valere tamen judicata est constitutio synodalis episcopi Pampilonensis, quæ vetuit admitti præsentatum a minori parte, ob rationes in tractatu de synodo diœcesana l. c. ponderatas.

Beneficium simplex si quis obtineat, nec sufficiat ad honestam sui sustentationem, potest ab episcopo habilitari ad suscipiendum aliud. Si vero nec istud secundum sufficiat, ut tertium obtineat, debet a sede apostolica dispensationem obtinere, sive hoc tertium sit liberæ collationis, sive de jure patronatus etiam laici; nam concilium Tridentinum permisit, ut habens *beneficium insufficiens* possit unum aliud simplex obtinere, et nihil dicit de tertio. Atque ita in praxi tenere sacram congregationem constat (2).

Hæc tamen non valent in capellaniis de jure patronatus laicorum, neque in legatis piis, ut ex alio decreto S. C. (3).

Ex alio decreto S. C. (4) eruitur, non esse inquietandos illos, qui bona fide tria vel quatuor beneficia insufficientia ex episcopi auctoritate obtinuissent.

Cum beneficium resignatum fuerit in manus episcopi vel collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineis, affinibus vel familiaribus suis, ut ex bulla 68. *s. Pii V.* (5).

Quin neque affines, consanguinei et familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in concursu; *primo* quia bulla *s. Pii*, quæ legit: *Admittentium consanguineis*, mendose excusa est, cum legendum fuerit: *Dimittentium consanguineis*, ut monet *Fagnanus* in *c. Non sine de arbitris; secundo*, quia S. C. disposuit, ut in eo casu neque familiares episcopi neque consanguinei resignantis admitterentur (6).

Bene tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus episcopi per obitum prio-

(1) *ib. c. 7. n. 6.* — (2) *inst. eccl. 91. n. 7.* — (3) *ib. n. 8.* (4) *de quo ibidem.* — (5) *ib. n. 9.* — (6) *ib. n. 11.; de syn. diœc. l. 13. c. 24. n. 2.*

ris beneficiati; neque enim tantum mali timeri potest, cum beneficium conferendum est ex obitu beneficiati, quantum subesse potest, cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati (1).

Consuetudines ecclesiarum, reservandi hæredibus beneficiati jam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii, valeat; nihil enim derogat juri illius, qui in beneficium recens invectus est, cum et ipse post mortem jure isto potiatur. Quare in favorem hujus consuetudinis sæpius a S. C. decisum est (2).

Beneficiorum parochialium et vicariarum tam sæcularium quam regularium capaces esse canonicos regulares Præmonstratenses, etiam non intercedente apostolica dispensatione, definit Pontifex in bulla *Oneroso* (3).

De filiis illegitimis clericorum circa beneficia parentum in eadem ecclesia, qui possint et non possint etc., vide Irregularitas.

Filius legitimus consequi prohibetur beneficium a patre præhabitum; esset enim species hæreditariæ successionis. Nihil tamen vetat, quominus pater possit obtinere beneficium a filio præhabitum. Quod verum est etiam de patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti, ut ex responsione S. C. (4).

Illegitimi autem filii quoad hoc illi etiam censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi, qui post subsequens matrimonium legitimati habentur, ut partim ex decretis S. C., partim ex *Fagnano* (5).

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium, et ab isto in eumdem filium? Respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi (6); illegitimis vero non licet (7).

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtineri avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente (8).

Si patronus beneficii rectorem interficiat, ipse et omnes ad patronatum jus habentes illud amittunt (9).

(1) *ita de syn. diœc. ib. n. 6. ex decreto S. C.* — (2) *de syn. diœc. l. 12. c. 7. n. 3.* — (3) *bull. t. 3. n. 33.* — (4) *de syn. diœc. l. 13. c. 24. n. 15.* — (5) *ib. n. 16.* — (6) *ex cap. Ad extirpandas de filiis presbyt.* — (7) *ut ex bulla Clementis VII. et responsis S. C. ib. n. 18.* — (8) *ut ex responsis S. C. et rotali decisione ib. n. 19.* — (9) *ex cap. In quibusdam de pœnis ib. n. 21.*

Beneficii permutatio, quæ fit coram ordinariis, interdum potest esse prohibita constitutione *s. Pii V.*, incipiente *Officium*, in qua admittuntur quidem permutationes istæ, sed quæ sint canonicis sanctionibus consonæ; ex quo fit, ut, cum vetitæ sint provisiones beneficii resignati factæ in favorem affinium et familiarium episcopi, sicut etiam resignantis, ita etiam censeantur vetitæ permutationes beneficiorum, cum aliquis permutet beneficium suum pingue, et sit jam effœtæ ætatis cum altero, quod est tenue et obtinetur sive a suis sive ab episcopi consanguineis; vix enim credi potest, ab ista permutatione fraudem abesse, adeoque non est juxta canonicas sanctiones (1).

Beneficia obtinentes a S. R. E. cardinalibus, ordinariis collatoribus in mensibus s. sedi reservatis, valorem 24 ducatorum cameræ excedentia tenentur intra præfixum in regulis cancellariæ tempus novam eorumdem provisionem a sede apostolica obtinere, ordinariis taxis solutis, non obstante in contrarium quocumque exemptionis privilegio (2).

Bulla *Cruciatæ.*

Facultas concessa in bulla *Cruciatæ* de absolutione a censuris obtinenda valet tantummodo pro foro interno, ut ex constitutione *Urbani VIII.* eruitur; quare constitutiones Hispaniæ aliter statuentes rejiciendæ sunt (3).

Cadaver.

In sectione cadaverum anatomiæ addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem *Bonifacii VIII.* (4), cum illa feratur tantum in eos, qui exhumantes cadavera ea lacerant et alio sepelienda transferunt (5).

Si instituta processione et præcedente cruce associandum sit cadaver ad sepulturam, et transitus fiat per agrum

(1) *de syn. diœc. l. 13. c. 24. n. 10.* — (2) *motus proprius Benedicti XIV. bullar. t. 1. n. 12.* — (3) *de syn. diœc. l. 12. c. 1. n. 7.* — (4) *de qua in cap. 1. de sepulturis in 6.* — (5) *ita ex sensu DD. inst. eccl. 74. n. 10.*

vel possessionem privatam, non ideo via illa publica efficitur; leges enim civiles, ex quibus id posset convinci, nihil aliud volunt, nisi quod monumentum positum in loco privato efficiat locum illum sacrum: quin et leges illæ a jure canonico abolitæ sunt, ut ex DD. demonstratur (1).

Si cadaver tumulandum sit in ecclesia regularium, non potest parochus exigere, ut apportetur prius ad parochialem et ibi exponatur, dein in sepulturam in ecclesia regularium inferatur, ut ex Lucana funerum censuit S. C. concilii (2).

Ex decretis S. C. concilii firmatum est, non esse levandum cadaver e domo absque præsentia ac facultate parochi loci, ubi domus sita est (3).

Cum distinguitur ecclesia tumulans a parochiali, processio funebris debet incedere sub cruce ecclesiæ tumulantis, nec potest præcisa consuetudine parochus propriam crucem levare, nisi in casu, quo interveniat capitulum cathedralis; tunc cathedralis crux sola præcedit (4).

Societates funus comitantes, si procedant cum sacco, tenent locum ante feretrum et ante clerum tam sæcularem quam regularem; si sine sacco, eant post feretrum: uti ex statutis cleri Romani (5).

Laici regulares non debent comparere cum capellanis conductis in processione funebri, ut multis firmatur (6). At si invitatus sit conventus regularis, qui certe constat ex laicis, conversis et sacerdotibus, excludendi non sunt. *Ib.*

Regulares cogi non possunt, ut associent pompam funebrem, cum cadaver in eorum ecclesia sepeliendum est, sed possunt ad januas ecclesiæ suæ expectare (7).

Si quis habitator urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est non in ecclesia rurali, sed in sua parœcia vel in ecclesia, ubi sita est sepultura majorum ipsius (8), dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat Pontifex intercedere, si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante a parœcia. Id vero ex

(1) *inst. eccl. 89. n. 9.* — (2) *inst. eccl. 105. n. 25.* — (3) *ib.* (4) *ita ex decretis S. C. ib. n. 26.* — (5) *ib. n. 30. et 31.* — (6) *ib. n. 32.* — (7) *ita ex decis. S. C. ib. n. 38.* — (8) *ut decisum c. Is, qui de sepulturis in 6.*

paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. *Ib.*

Cum rure transferendum est cadaver in civitatem, deferendum est in catalecto præcedente cruce a clero delata, et associantibus geminis sacerdotibus, altero ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte parochi illius loci, ubi mors accidit (1).

In extractione vel intratione cadaveris in portas urbis gabella minime solvenda est (2).

Pro transitu processionis funebris ex una parœcia in aliam nulla petenda est licentia a parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex bulla *Leonis X.* 22. et decretis S. C. firmatur (3).

Pro sepultura et exequiis cadaveris exigi nihil potest, ut ex sacris canonibus firmum est (4). Verum si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quamquam circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium ordinarii (5).

Cæcus.

Cæcus non obtinet dispensationem neque ad primam tonsuram, ad effectum obtinendi beneficium ecclesiasticum, ut ex decreto S. C. in una Pampilonensi die 28. Martii 1735 (6).

Si tamen ordinato jam sacerdoti accidat, ut oculorum lumen amittat, non tamen ita, ut nihil videat, datur illi a S. C. facultas celebrandi diebus quidem festis et duplicibus missam B. Virginis votivam, ferialibus defunctorum, dummodo non omnia memoriter recitet; mandando insuper episcopis, ut celebrationem omnino vetent, statim ac cæcum penitus evasisse compererint. *Ib.*

Cambium.

Cambium locale et per litteras, quando revera litteræ mittuntur, vel transmittitur in alio loco pecunia eo modo, quo apud theologos describitur, admittitur a Pontifice (7).

(1) *ib. n. 46.* — (2) *ut ex DD. ibidem.* — (3) *ib. n. 49.* — (4) *inst. eccl. 105. n. 58.* — (5) *ut est in textu cap. Ad aures 24. de simonia ib. n. 58.* — (6) *inst. eccl. 34. n. 5.* — (7) *in tr. de syn. diœc. l. 10. c. 5. n. 7.*

Cambium vero obliquum, quo mutuatarius se obligat ad negotiandum in cambiis tantumdem pecuniæ, quantum mutuo accepit a cambista in favorem ipsius cambistæ, vel eidem cambistæ dat facultatem, ut nomine suo accipiat sive a seipso sive ab alio tantumdem pecuniæ, quantum sibi mutuo data est; accipiat, inquam, eam per cambii contractum; atque interim mutuatarius se obligat ad solvendum, quantum necesse est pro ratione hujus secundi cambii: hoc, inquam, cambium, quamvis non reprobetur a nonnullis, et revera fortasse in foro fori sustineri posset, adhuc tamen in conscientia reprobandum est (1). Interdum vero mutuatarius in se suscipit onus negotiandi per cambium tantumdem pecuniæ, quantum a cambista mutui nomine recepit: tunc vero, quidquid lucratur vel lucrari potest in isto cambio nomine mutuantis facto, totum illi solvit; quæ solutio etiam facienda est, etsi istud negotium cambii revera factum non sit, quia cambistæ intererat, ut fieret. Id etiam perinde ac prius a Pontifice reprobatur. *Ib.*

Hæc omnia cambia, quamvis per se, saltem quoad nonnulla, licita laicis, interdicta esse clericis, canones magno consensu demonstrant et evincunt (2).

Canonici regulares.

Canonici regulares, quamquam sunt capaces beneficii curati (3), non sunt tamen beneficii simplicis, ut ex pluribus decretis S. C. concilii approbatis a *Gregorio XIII.* firmatur (4); sicut nec beneficiorum residentialium non parochialium, ut ex sensu multorum canonistarum (5).

Nec possunt parochias laicas recipere cum sola licentia abbatis generalis, sed requiritur facultas summi Pontificis (6).

Canonici regulares ex sola facultate superioris sive abbatis generalis non possunt curam animarum in ecclesiis sæcularium assumere et exercere; sicuti neque ad canonicatus, præbendas, dignitates, neque ad alia officia aut beneficia residentialia in ecclesiis sæcularibus obti-

(1) *ib. n. 9. et 10.* — (2) *de syn. diœc. l. 10. c. 6. n. 1.* — (3) *ex textu cap. Quod Dei timorem de statu monachorum.* (4) *inst. eccl. 97. n. 2.* — (5) *ib. n. 5.* — (6) *ib. n. 5.*

nenda assumi, et propter hoc ex religiosis claustris exire. Sunt etiam incapaces beneficii ecclesiastici sæcularis, sive simplicis sive residentialis, sicut etiam pensionum ecclesiasticarum. Ita in bulla *Quod inscrutabili.* Quare exigunt ad hæc obtinenda facultatem sedis apostolicæ. Si vero de sedis apostolicæ facultate beneficium aliquod simplex obtinuerunt, non ideo tamen facultatem habent, e claustro religionis suæ exeundi. Id vero, quod hic statutum est, intelligitur pariter de canonicis ss. Salvatoris.

Si quis vero ex illis extra concursum a patrono beneficii ecclesiastici, quod habeat curam animarum annexam, nominatus fuerit, hæc nominatio fieri debet cum expressa præservatione beneplaciti apostolici. Ultra quod a nominato debeat acceptari nominatio cum clausula de obtinendo beneplacito superioris generalis sui ordinis. Quid vero respectu illorum servandum sit, in voce Concursus annotavi. *Ib.*

In eadem bulla declarat *Benedictus*, canonicos illos, sic provisos de beneficio residentiali, absolutos esse ab obligatione deferendi vestem sui ordinis. Monet tamen, non ideo exemptos esse ab onere servandi vota in iis, quæ conjungi possunt cum novo suo statu. Cum vero cura pastoralis et canonicatus sit impossibilis cum actuali obedientia præstanda superiori regulari, ideo declarat n. 27., non posse cogi ab iisdem superioribus, ut ad religionis claustra redeant: posse tamen episcopum, cui submittuntur, legitima ex causa privare illos per sententiam illo beneficio, seu declarare perpetuo suspensos ex inhabilitate. Tunc autem declarat, teneri eos ad claustra redire, sicut et n. 28. ad redeundum obligat eosdem beneficiarios, si beneficio renuntient. Cæterum n. 28., etiamsi habeant coadjutorem vel impetraverint jubilationem, cum tunc teneantur residere in loco parochiæ aut canonicatus, ideo ad claustra redire in eo casu nequaquam tenentur.

Canonici.

Canonici cathedralis non emittentes professionem fidei ex præscripto s. concilii Tridentini, *non faciunt fructus suos;* fructus tamen præbendæ, non vero distributionum,

uti sæpe respondit S. C.(1). Nec ad eam pœnam incurrendam requiritur sententia declaratoria, ut ex synodo Farvensi firmatur(2)

Professio fidei a canonicis emittenda ex constitutione *Pii IV.* non obligat canonicos aliarum collegiatarum, sed cathedralium tantummodo(3).

Hæc fidei professio personaliter præstanda est, non vero per procuratorem(4); quod adeo verum est, ut, si quis Romæ existens obtinuerit facultatem professionem hanc emittendi coram cardinali vicario, teneatur illam repetere coram ordinario, simul ac in locum residentiæ pervenerit: ut in eadem facultate exprimi solet(5).

Canonici et beneficiati tenentur ex jure ecclesiastico recitare officium divinum cum eo discrimine, ut beneficiati ubique locorum possint huic muneri satisfacere; canonici vero cathedralium vel collegiatarum præstare id in choro teneantur(6).

Canonici tenentur recitare divinam psalmodiam in choro, adjungentes sese eidem choro, nec sufficit, si tantum assistant; alioquin non faciunt fructus suos, nisi tamen adfuerit privilegium apostolicum non præsumptum nec abrogatum(7).

Nec solum tenentur assistere, sed etiam alta voce recitare et associare cantum horarum canonicarum, nulla in contrarium obstante consuetudine, ut ex dispositione S. C. Tridentini(8) evincitur(9). Idcirco tenentur canonici et alii addicti choro cantum Gregorianum addiscere, ut in folio exhibito S. C. in causa Murana Mansionariæ die 13. Novembris 1735, a secretario ejusdem congregationis demonstratur(10).

In Tridentino quidem injunctum est, ut omnes *divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia;* sed ut censuit S. C., non est sublata capitularibus facultas, *sese invicem substituendi, dummodo substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint.* Caven-

(1) *inst. eccl. 60. n.11.* — (2) *inst. eccl. 57. n.15.* — (3) *inst. eccl. 60. n.1. ex pluribus decretis S. C.* — (4) *ut ex decreto S. C. ib. n. 3.* — (5) *ib. n. 3.* — (6) *inst. eccl. 107. n. 7.* — (7) *ita in encyclica ad episcopos Italiæ Cum semper bullar. t. 1. n. 103.* — (8) *sess. 24. c. 12. de reform.* — (9) *inst. eccl. 107. n. 16.* — (10) *inst. eccl. 107. n. 16.*

dus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur (1).

Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis juxta dispositionem *cap. Ex tuæ, de cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis (2).

Quoad distributiones concilium Tridentinum (3) mandat, ut separetur e massa capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis assistentes. Addit vero idem concilium, quod, si dignitates et personatus ecclesiarum parochialium et collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur *fabricæ ecclesiæ vel alteri pio loco arbitrio ordinarii.* Quod postremum intelligitur de dignitatibus reditus suos habentibus a mensa capitulari discretis; illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed quæ accrescunt præsentibus (4).

Vetat insuper sacrum concilium (5), ne chorales secum invicem paciscantur, ne mulctenter absentes. Vetat etiam, ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint: cui decreto insistens S. C. concilii semper negavit, valere istas condonationes (6).

Hoc tamen non obstante fas est episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. C. (7).

Cæterum, cum sacrum concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas aut evidens ecclesiæ utilitas excusat; hinc S. C. censuit, in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin et si quis discedens a civitate sanus, proponens reditum ad civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate (8).

(1) *ita ex decreto S. C. ib.* — (2) *ita ex decreto S. C. ib. n. 38.* — (3) *sess. 21. c. 3. de ref.* — (4) *inst. eccl. 107. n. 41.* (5) *sess. 24. c. 12. de ref.* — (6) *ib. n. 42.* — (7) *ib. n. 44.* — (8) *ut ex decreto S. C. ib. n. 46.*

Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis, cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc, etsi ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. C. (1).

Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse choro ei non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit S. C. (2).

Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, et non solum ex ea, qua se admitti ut præsentem postulavit, censuit S. C. Ib.

Quin nec teneri illum substituere alium pro onere missarum in collegiata, eadem S. C. alio decreto censet. Ib.

Quando pestis grassatur (quod judicium episcopo remittitur), canonici, qui se absentant ab urbe vel oppido, distributiones lucrantur (3).

Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse choro, vexationibus injustis coacti se e loco seducunt (4).

Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est; quæ omnia ex decretis S. C. (5).

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam, sicut etiam, qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur:* non vero ea, qua absolvitur cum *quo satis.* Hæc omnia ex decretis S. C. (6).

Ex evidenti ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit *Bonifacius VIII.* in cap. unic. *de cleric. non resid. in 6.* Quare absens a choro causa negotiorum ecclesiæ suæ vel capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. C. (7).

Itaque canonicus theologus, qua die legit, potest non amissis distributionibus a choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit S. C. (8).

(1) *ib. n. 47.* — (2) *ib. n. 48.* — (3) *ut ex decreto S. C. ib. n. 50.* — (4) *ut ex decreto S. C. ib. n. 51.* — (5 *inst. eccl. 107. n. 52.* — (6) *ib. n. 53.* — (7) *ib. n. 54.* — (8) *ib. n. 55.*

dus est per sex menses, iisque elapsis, si non compareat, ad sententiam privationis procedatur (1).

Attamen intra hoc triennium expectationis procedi potest ad suspensionem delinquentis juxta dispositionem *cap. Ex tuæ, de cleric. non resid.* Quod etiam fieri potest inchoata jam via procedendi a concilio præscripta; attamen tunc pergendum non est ad sententiam privationis (2).

Quoad distributiones concilium Tridentinum (3) mandat, ut separetur e massa capitulari tertia pars fructuum, quæ dividatur inter præsentes divinis officiis assistentes. Addit vero idem concilium, quod, si dignitates et personatus ecclesiarum parochialium et collegiatarum muneribus suis defuerint, amittant distributiones, quæ applicentur *fabricæ ecclesiæ vel alteri pio loco arbitrio ordinarii.* Quod postremum intelligitur de dignitatibus reditus suos habentibus a mensa capitulari discretis; illæ, quæ participant ex eadem mensa, distributiones amittunt, sed quæ accrescunt præsentibus (4).

Vetat insuper sacrum concilium (5), ne chorales secum invicem paciscantur, ne mulctenter absentes. Vetat etiam, ne gratis condonentur distributiones iis, qui non interfuerint: cui decreto insistens S. C. concilii semper negavit, valere istas condonationes (6).

Hoc tamen non obstante fas est episcopo transgressores istos ulterius punire, ut sæpius respondit S. C. (7).

Cæterum, cum sacrum concilium exceptos judicet ab ea distributionum amissione illos, quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas aut evidens ecclesiæ utilitas excusat; hinc S. C. censuit, in eo rerum eventu absentes non tantum suas distributiones non amittere, sed lucrari augmentum, quod fit ex distributionibus absentium sine causa. Quin et si quis discedens a civitate sanus, proponens reditum ad civitatem post legitimam vacationem, si interim ægritudine afficiatur nec redire possit, adhuc distributiones lucratur, ac si præsens esset in civitate (8).

(1) *ita ex decreto S. C. ib.* — (2) *ita ex decreto S. C. ib. n. 38.* — (3) *sess. 21. c. 3. de ref.* — (4) *inst. eccl. 107. n. 41.* (5) *sess. 24. c. 12. de ref.* — (6) *ib. n. 42.* — (7) *ib. n. 44.* — (8) *ut ex decreto S. C. ib. n. 46.*

Verum non omnis ægritudo excusat, nec omnes semper; nam si quis, cum sanitate valebat, interesse negligebat, tunc, etsi ægritudine gravetur, distributiones non obtinet, ut censuit S. C. (1).

Accidere tamen posset, ut quis non vetaretur quidem exire domo, sed ægritudine, qua afficitur, adesse choro ei non permitteretur. Hinc cæcus distributionibus potitur, etiamsi eam officii partem, quam memoria tenet, in choro non recitet, ut censuit S. C. (2).

Deberi cæco distributiones ex ea die, qua lumine captus est, et non solum ex ea, qua se admitti ut præsentem postulavit, censuit S. C. Ib.

Quin nec teneri illum substituere alium pro onere missarum in collegiata, eadem S. C. alio decreto censet. Ib.

Quando pestis grassatur (quod judicium episcopo remittitur), canonici, qui se absentant ab urbe vel oppido, distributiones lucrantur (3).

Nec privantur etiam, qui assueti alias interesse choro, vexationibus injustis coacti se e loco seducunt (4).

Cujusmodi sunt etiam detenti injuste in carceribus, quæ injustitia tunc judicanda est ex sententia in ejus favorem lata, quæ in judicatum transierit; nam si interposita sit appellatio, exitus ejus appellationis expectandus est; quæ omnia ex decretis S. C. (5).

Sententia in favorem rei illa dicitur hic, qua reus ut innocens absolvitur per sententiam definitivam, sicut etiam, qua *ex hactenus deductis* declaratur innocens; ac tandem ea, qua absolvitur cum clausula *non molestetur:* non vero ea, qua absolvitur cum *quo satis.* Hæc omnia ex decretis S. C. (6).

Ex evidenti ecclesiæ utilitate absentem ad distributiones admittit *Bonifacius VIII.* in cap. unic. *de cleric. non resid. in 6.* Quare absens a choro causa negotiorum ecclesiæ suæ vel capituli, distributiones percipit, ut sæpe censuit S. C. (7).

Itaque canonicus theologus, qua die legit, potest non amissis distributionibus a choro abesse, etsi vacare illi posset, ut censuit S. C. (8).

(1) *ib. n. 47.* — (2) *ib. n. 48.* — (3) *ut ex decreto S. C. ib. n. 50.* — (4) *ut ex decreto S. C. ib. n. 51.* — (5) *inst. eccl. 107. n. 52.* — (6) *ib. n. 53.* — (7) *ib. n. 54.* — (8) *ib. n. 55.*

Hinc etiam canonicus pœnitentiarius vel alius canonicus ab episcopo deputatus in eum locum, dum actu audit confessiones, tuto abest a choro et distributiones obtinet, ut pluries censuit S. C. (1). Si vero absit, dum actu non audit confessiones, distributiones minime percipit (2).

Lucratur etiam fructus præbendæ, non vero distributionum, etsi absens ille, qui habet canonicatui suo annexam, sed extra civitatem, curam animarum; tenetur enim in parœcia residere pro eo tempore, quo in parochiali ecclesia residet et sacramenta administrat. Ita ex concilio Tridentino (3), addita bulla 65 *s. Pii V.*

Qui vero habet curam animarum in ea ecclesia, in qua est canonicus, si toto eo tempore occupatur actu in exercitio eorum, quæ spectant ad curam animarum, distributiones quotidianas obtinet (4).

Fas est episcopo, servitiis suis adjungere saltem geminos canonicos cathedralis seu etiam collegiatarum attamen non potest seligere canonicum seu dignitatem neque etiam coadjutorem. Hos vero lucrari fructus præbendæ, non vero distributiones, constat (5).

Canonici, quos episcopus mittit Romam invisuros sacra limina suo nomine, vel illum ea occasione comitantes distributiones quotidianas non amittunt, ut pluries censuit S. C. (6).

At si illum comitentur in visitatione diœcesis, si omnes fructus sui beneficii in distributionibus quotidianis consistant, tunc lucrantur duas tertias partes earum, tertiæ amissa, quæ inservientibus accrescit (7).

Ex lege concilii Tridentini (8) possunt cogi canonici ab *episcopo*, *celebranti vel alia pontificalia exercenti assistere et inservire*. Porro ex decreto S. C. dicimus, episcopo in cathedrali celebranti in pontificalibus inservire teneri omnes, iis exceptis, qui legitimis vacationibus absunt. Tenentur vero etiam præstare illi munus subdiaconi; quod verum est, etiamsi episcopus celebret seu ordines ministret extra cathedralem, intra diœcesim et suburbia; tenentur enim etiam tunc præstare munus

(1) *inst. eccl. 107. n. 55.* — (2) *ut ex aliis decr. S. C. ib.* — (3) *sess. 22. cap. 3. de reform.* — (4) *ib. n. 56.* — (5) *ita ex pluribus decr. S. C. ib. n. 57. 58.* — (6) *ib. n. 59.* — (7) *ita ex decr. S. C. ib. n. 59.* — (8) *sess. 24. c. 12.*

diaconi, subdiaconi, presbyteri assistentis, et duorum illorum canonicorum, qui episcopo ordines ministranti cum archidiacono adsunt. Ita ex pluribus decr. S. C. (1).

Porro hæc assistentia locum habet, etiam cum episcopus in sua cathedrali præsens est missæ et divinis officiis diebus dominicis et festis etiam non solemnibus et in diebus ferialibus quadragesimæ. Quod verum est etiam, quando episcopus in aliis ecclesiis civitatis pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra aut cum cappa divinis officiis et missæ solemni, alia pontificalia exercet, si tamen numerus sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat (2).

Valent etiam hæc, dum episcopus in ecclesia cathedrali adest concioni diebus quadragesimæ et aliis intra annum, non vero, si cum cappa assistit concioni, quæ habetur in aliis ecclesiis civitatis, etiam exemptis (3).

In his omnibus rerum circumstantiis canonici, qui episcopo inserviunt, si actu debeant choro interesse, non semper tamen obtinent distributiones. Illas enim non lucrantur, nisi cum assistunt pontificaliter celebranti, non vero episcopo diœcesim visitanti vel missam privatam celebranti (4).

Animadvertendum est, canonicos non præsentes, de quibus supra diximus, non privari distributionibus, non tamen participare de emolumentis anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes (5).

Demum distributiones quotidianas obtinent canonici et beneficiati, qui interdum intra annum intra domum religiosam clausi exercitia spiritualia præstant cum licentia episcopi; non tamen, si in adventu, quadragesima et festis solemnibus id agunt, et ita agunt, ut servitio chori nullum detrimentum inferatur (6).

Distributionibus etiam quotidianis non privantur canonici et mansionarii emeriti, sive si coadjutorem habeant. Ib. Debent tamen indultum hoc obtinuisse a S. C., vi cujus nec loci residentia astringuntur; quamquam pos-

(1) *ib. n. 60.* — (2) *ita ex decr. S. C. ib.* — (3) *ib. n. 60.* (4) *ib. n. 61.* — (5) *ut ex decr. S. C. ib. n. 62.* — (6) *ita ex encycl. Clementis XI. ib. n. 63.*

sint ab episcopo compelli ad assistendum choro, si cultus divinus detrimentum patiatur (1).

Porro si coadjutor sive intra civitatem ægrotet sive extra, non tenetur coadjutus assistere choro, et nihilo secius lucratur distributiones, quæ ipsi omnino debentur, etiam cum iis emolumentis, quæ præsentibus accrescunt (2).

Distributionibus privatur vicarius generalis episcopi, canonicus examinator, quique in tribunali s. officii munus suum præbet, ministri camerales, scilicet subcollectores spoliorum et decimarum, denique peregrinationes etiam sacras obeuntes, nisi illas egerint intra trimestre a Tridentino concessum. Denique nec magistri juris canonici et sacræ theologiæ in publicis universitatibus docentes; qui tamen, si recurrerint ad S. C., obtinent fructus præbendæ; et si illi sint tenues, duas tertias partes distributionum: quod etiam postremum conceditur iis, qui causa studiorum in publicis universitatibus absunt (3).

Absentes vero causa studii ex decreto *Innocentii XII.*, si indultum sibi concessum non exhibuerint ordinario loci, et in actis cancellariæ non registretur intra tempus in indulto præfixum, perinde est, ac si non adfuissent. *Ib.*

Coadjutoribus non conceditur indultum absentandi sese causa studii. *Ib.*

Studium vero præstari debet in publica universitate, ac prodest pro eo pariter tempore, quo lector privatam lectionem habet, et non in aula publicæ universitatis (4).

Si eo tempore, quo officia persolvuntur in choro, capitulum congregandum sit, nisi urgens causa fuerit, canonici non possunt absentare sese absque subtractione distributionum pro eo tempore, quo absunt (5).

Nec etiam deserere possunt chorum, ut missas celebrent vel confessiones audiant, nisi superior id jusserit; monetur tamen superior, ut ab his jussionibus abstineat (6).

Dignitatem novam in cathedrali ecclesia erigere nemo potest, nisi unus tantummodo summus Pontifex, ut pluries decisum in S. C. concilii notatur (7).

(1) *ita ex decretis S. C. ib. n. 64.* — (2) *ib. n. 65.* — (3) *ib. n. 72.* — (4) *ut ex decr. S. C. ib.* — (5) *ut ex decr. S. C. ib. n. 73.* — (6) *in decr. S. C. anni 1753. ib. n. 74.* — (7) *de syn. diœc. l. 12. c. 1. n. 8.*

Pro canonicatu theologali concursus indicendus est (1); ejus tamen collatio pertinet ad Pontificem (2). Concursus iste indicendus est ab episcopo, a quo examinatores destinandi sunt quatuor in theologia licentiati, sive sæculares sive regulares: nec requiruntur synodales. Concurrentes debent esse DD. in sacra theologia, vel saltem intra annum tenentur doctoralem lauream in aliqua universitate approbata studii generalis assequi. Quæ omnia ex eadem bulla resultant.

Acta vero concursus transmittenda sunt ad Romanum Pontificem, a quo dignior eligetur (3).

Nec sufficit laurea canonica ex responso S. C. *Ibidem.*

Nec sufficit etiam, si hæc laurea sit recepta ab aliquo privilegium obtinente, sed omnino requiritur obtinuisse in universitate approbata, quod commune est omnibus beneficiis lauream doctoralem exigentibus, ut ex bulla 70. *s. Pii V.* (4).

Theologus canonicus satisfacit suo muneri, sive legat sacram scripturam sive theologiam scholasticam, ut sæpius resolvit S. C. (5): non tamen, si legat theologiam moralem (6).

Ex præbenda theologali segreganda est tertia pars, ex cujus reditibus data proportione solvenda est sua portio sacristiæ metropolitanæ, respondens diebus, quibus canonicus deesset suo muneri. *Ib.*

Capitulum.

Capitulum ecclesiæ cathedralis præcedere debet capitulo collegiatæ, adeo ut nec sustineantur constitutiones privatarum ecclesiarum aliter decernentes (7).

Capitulum cathedralis ecclesiæ ad synodum ab episcopo indictam invitandum est: teneturque episcopus de constitutionibus in eadem synodo condendis ejusdem capituli consilium exquirere, non tamen sequi illud adstrin-

(1) *ex bulla Benedicti XIII. Pastoralis officii.* — (2) *ex can. Ad regimen de præb.* — (3) *ut in eadem bulla et inst. eccl. 57. n. 4.* — (4) *ib. n. 5.* — (5) *ib. n. 6.* — (6) *ut ib. n. 7.* (7) *ut definivit rota decis. 9. post Murgam ad constitutiones apostolicae, de syn. diœc. l. 12. c. 1. n. 2.*

gitur. Si id negligat et constitutiones suas inconsulto capitulo promulgaverit, illæ profecto, quod ad normam juris non sint exactæ, firmitate carent(1).

Capitulum cathedralis, quamvis exemptionem obtineat, adhuc tamen subditur legibus synodalibus in iis, quæ versentur circa morum et disciplinæ reformationem, ita declarante S. C.(2).

Exemptio capituli cathedralis in eo præcipue sita est, ut episcopus extra visitationem procedere nequeat contra aliquem canonicorum sine duobus de capitulo adjunctis ad normam Tridentini(3): quamvis episcopus sine adjunctis de capitulo possit illud visitare(4).

Capitulum sede vacante non potest in usus proprios convertere mulctas pecuniarias et compositiones delinquentium, ut sæpius a S. C. decisum est(5).

Capuccini.

Capuccinis vetitum erat ex constitutione quadam sui capituli generalis, ne peccata sua exponerent alteri, quam sui ordinis confessario, etiamsi longe abessent a monasteriis sui ordinis; verum *Benedictus XIV.* die 30. Martii 1742 facultatem fecit singulis eorum sacerdotibus et laicis, longe a suis monasteriis versantibus, ut possent cuicumque sacerdoti sæculari a suo ordinario approbato vel regulari a suo pariter superiore approbato peccata sua in confessione aperire et ab eo absolutionem obtinere etiam a casibus et censuris in suo ordine reservatis, addita tamen obligatione, ut, ubi primum potuerint, coram superiore se sistant et novam ab illis casibus et censuris absolutionem obtineant. Ita ex constitutione *Benedicti XIV. Quod communi* die 30. Martii 1742.

Casus reservati.

Societates quædam ex vi suorum privilegiorum non possunt ullo modo in quibusdam anni solemnitatibus el

(1) *de syn. diœc. l. 13. c. 1. n. 15. et 16.* — (2) *de syn. diœc. l. 13. c. 4. n. 8.* — (3) *sess. 25. c. 6. de reform.* — (4) *ex Trid. sess. 6. c. 4. de reform.; de syn. diœc. l. 13. c. 9. n. 8.* — (5) *de syn. diœc. l. 10. c. 10. n. 4.*

gere sibi confessarium, a quo a casibus episcopo reservatis sine episcopi licentia absolvantur, ut præter decisiones S. C. ferunt litteræ *Benedicti XIV.*, incipientes: *Pias Christi fidelium* (1).

Denique accedentes in fraudem ad aliam diœcesim, ut absolvantur a reservatis suæ diœcesis, absolvi non possunt ex bulla *Clementis X. Superna magni* (2).

Canonicus pœnitentiarius vi sui muneris nullam habet facultatem absolvendi a peccatis episcopo reservatis, ut a S. C. concilii decisum refertur. *Ib.*

Causarum cognitio.

Causæ omnes tam civiles quam criminales exemptarum personarum in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscendæ sunt, causis privilegiatis exceptis: neque committi possunt etiam auditori cameræ apostolicæ nisi per viam legitimæ appellationis. Si autem pendentibus causis in prima instantia impetrentur citationes in signatura justitiæ, hæ quidem valent ad comparendam vel adeundam signaturam, non vero ad retardandam executionem processuum ad ulteriora (3).

Causæ beneficiales habent appellationem suspensivam ab eo interpositam, qui in prima instantia succubuit; nec nisi post sententiam definitivam apud sedem apostolicam, sive in petitorio sive in possessorio, est locus sequestrationi fructuum (4), neque aliter statui potest in synodis particularium ecclesiarum (5).

Causæ omnes etiam civiles et de re etiam profana, in quibus ecclesiastici tamquam rei conveniuntur, semper cognoscendæ sunt in foro ecclesiastico, et in prima instantia in foro proprii episcopi; nec etiam de episcopi consensu transferri possent in prima instantia ad curiam Romanam, nisi ita conventum sit inter partes, ut decisum refertur a S. C. concilii (6).

Si vero clericus laicum convenerit pro repetendis re-

(1) *relatæ de syn. diœc. l. 5. c. 5. n. 9.* — (2) *ibid. n. 8.* — (3) *bullar. t. 1. constit. 48. Ad militantis* §. *42. et seq.* — (4) *clem. unic. de sequestr. possess. et fruct.* — (5) *ita in tr. de syn. diœc. l. 12. c. 1. n. 3.* — (6) *in inst. eccl. 40. n. 3.*

bus ecclesiæ suæ, quamquam de rigore juris cognitio hujus causæ pertineat ad judicem sæcularem, tamen, si consuetudo contraria invaluerit, pertinere potest ad forum ecclesiasticum. Utrum privative vero, adeo ut conventio ista fieri non possit ad tribunal laicum, vel cumulative, ut possit ad utrumque, ex consuetudine decidendum erit. Quamquam in casu etiam, in quo valet privativa, de licentia episcopi potest causa ista agitari coram judice laico, ut ex decretis S. C. episcoporum regularium confirmatis brevi *Pauli V.* die 9. Martii 1617 (1).

Censura.

Censuræ majores, ut excommunicatio, suspensio et interdictum, cum sint pœnæ graves, ferri non possunt nisi ex graviori culpa, adeo ut suspensio a divinis ad longum tempus, sicut et interdictum etiam personale, nisi sit partiale, ne valide quidem in levem culpam possit inferri ex sensu plurium DD. (2). Quod valet etiam de censuris quoque comminatoriis et ferendæ sententiæ (3).

Parcissimi esse debent episcopi in censuris latæ sententiæ ferendis; cum enim extrema ea sit pœna, pro extremo remedio gravibus criminibus puniendis coercendisque reservanda est, ex constanti S. C. sensu (4).

Verumtamen prudenter ab episcopis interdum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetantur quædam ex natura sua leviora, sed ob grave scandalum, quod inde consequeretur, si res vetita fuisset neglecta, res ipsa postulat, ut ita provideatur. Ita Pontifex defendit constitutionem suam, qua vetuit, ne dispensati in quadragesima a comestione carnium pisces degustent (5).

Censuræ ab homine latæ a nemine tolli possunt nisi ab eo, a quo latæ sunt, vel ab ejus superiore, si agnoscantur injustæ (6): adeo, ut neque summus pœnitentiarius Romæ censuras illas in aliquem nominatim latas tollere consueverit, ne jurisdictio ordinariorum turbetur. *Ib.*

(1) *ib. n. 5.* — (2) *de syn. l. 10. c. 1. n. 3.* — (3) *ib. n. 5.* (4) *l. 10. c. 2. per totum.* — (5) *de syn. diœc. l. 10. toto c. 3.* (6) *inst. eccl. 55. n. 11.*

Census.

Census realis licitus est et immunis ab usura; nam venditur et emitur jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, quæ fructuum portio est pensio singulis annis solvenda (1).

Census vero personalis dubium est, num de sua natura sit usurarius nec ne. Constat tamen, vetitum esse ex constitutione *s. Pii V.*, in qua constituuntur census conditiones (2).

Num conditiones illæ quoad ea, quæ non sunt de jure naturali ac divino, ex contraria consuetudine legitime præscripta cessaverint obligare apud quasdam nationes, dubium est. Ac pro Hispania idem *Pius V.* concessit non obligare (3). Et revera accidere posse, ut ea contraria consuetudo alicubi invaluerit, scribitur *ibidem.* Monet tamen Pontifex etiam in iis diœcesibus, in quibus Piana constitutio non viget, ut a censibus personalibus, præsertim utrimque redimibilibus abstineatur (4).

Choreæ.

Choreæ, quamvis ex sui natura sunt licitæ, vix tamen in actu, quomodo nunc fiunt, permitti possunt, cum plerumque sint peccandi occasio (5).

Choreas vero a clericis non sine peccato gravi agi posse, theologi plerique asserunt (6). Quin et prohiberi possunt ab episcopis clerici omnes, ne choreas ducant, ne in illis ludant instrumentis, quin nec permittant eas fieri in suis ædibus ecclesiasticis, canonicalibus, parochialibus, seu etiam beneficialibus deputatis pro domicilio beneficiati, etiamsi illæ fierent nomine consanguineorum ibidem cohabitantium: quæ verba sunt decreti S. C. relati (7).

Chrisma.

Ex *can. Si quis de alio de consecratione dist. 4.* colligitur, vetitum esse parochis aliud chrisma quam ab episcopo

(1) *de syn. diœc. l. 10. c. 5. n. 4.* — (2) *ib. n. 5.* — (3) *ut ex Guttierez ib. n. 5.* — (4) *ib. n. 6.* — (5) *inst. eccl. 76. n. 5.* (6) *ut firmatur inst. eccl. 76. n. 7.* — (7) *ib. n. 8.*

suo consecratum adhibere (1), omni quacumque exemptione exclusa (2).

Cum novum benedicitur, vetus comburendum est; nec licet absque necessitate veteri chrismate uti ad extremam unctionem, cum novum haberi potest (3).

Licitum est, oleo consecrato admiscere aliquid olei non consecrati, quod attamen sit in minori quantitate, quam consecratum; sed nec fas nec ratio permittit, ut vetus oleum, cum potest novum haberi, ea admixtione perpetuetur (4).

Cum fontes die sabbati sancti a parochis benedicuntur, præstaret, novo chrismate, ab episcopo feria V. in cæna Domini ejus anni benedicto, ritum peragere (5).

Ex jure communi (6) non licet deferre sacra olea nisi subdiaconis vel diaconis vel sacerdotibus (7).

Episcopi latini infantes græcos a presbyteris græcis in Italia et insulis adjacentibus confirmatos absolute confirment; nulla enim a Pontificibus data illis facultas est, ut confirment, adeoque id egerunt invalide (8).

Qui confirmati sunt a simplici græco sacerdote invalide, in Italia et insulis adjacentibus, non sunt cogendi, ut idem sacramentum ab episcopis iterum suscipiant, si inde scandala timeantur: *monendi tamen sunt ab ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt. Ib.*

Græci ab episcopo græco-catholico, si haberi possit, confirmandi sunt, chrismate tamen a latinis episcopis accepto. *Ib.*

Presbyteri græco-catholici non sunt cogendi olea sancta accipere ab episcopis latinis diœcesanis, cum ipsi ex veteri ritu illa conficiant seu benedicant, excepto tamen chrismate, quod nonnisi ab episcopo etiam juxta eorum ritum benedici debet; non tamen olea ista accipere audeant ab episcopis græcis externis diversæ ab ecclesia Romana communionis. Quin nec accipiant ab alio epi-

(1) *inst. eccl. 81. n. 2.* — (2) *ut ex Passerino ib.* — (3) *ut ex can. 122. dist. 4. de consecrat. colligunt DD. ib. n. 4.* — (4) *ib. n. 4.* — (5) *ib. n. 5.* — (6) *can. Omni tempore dist. 4. de consecratione.* — (7) *ib. n. 6.* — (8) *bulla Etsi pastoralis §. 3.*

scopo latino seu græco-catholico, præterquam ab ordinario suo, si sit latinus. *Ib.*

Clausura.

Clausura virorum quoad eorum monasteria asseritur in bulla *Regularis disciplinæ* (1), ex qua eruuntur sequentia:

Tanquam abusus declaratur ingressus promiscue virorum cum fœminis intra septa vel claustra monasterii sub prætextu comitandi solemnes supplicationes, quæ fiunt intra eadem septa cum ss. eucharistiæ sacramento sive cum sanctorum reliquiis etc.

Confirmantur constitutiones et sanctiones omnes Romanorum Pontificum super claustra monasteriorum. Denique revocantur quæcumque facultates dispensandi quoad eamdem clausuram a quocumque et quibuscumque concessæ.

Suum tamen jus asseritur iis concessionibus, quæ ad favorem sunt quarumcumque nobilium fœminarum, eo quod eorum majores fundatores seu insignes benefactores ejusdem monasterii extiterint, et de hac concessione confirmationem ab apostolica sede obtinuerint. Sicut etiam asseritur iis fœminis, quæ sunt consanguineæ et affines eorum, qui dominium obtinent in temporalibus locis, ubi situm est monasterium, dummodo tamen apostolica concessio expedita sit in forma brevis vel sub plumbo, de qua re authentica documenta exhibita sint loci illius ordinariis: dummodo tamen iis facultatibus utantur non ad evagandum per monasteria, sed sola pietatis gratia, ac de eorum adventu et ingressu certiores antea fiant superiores etc.

Quoad monialium clausuram provisum est in bulla *Salutare in catholica*, qua in constitutione hæc continentur:

Confirmantur constitutiones omnes antecedentium Pontificum sub pœnis in illis contentis.

Revocantur facultates omnes dispensandi quoad hunc ingressum, cuicumque et pro quocumque concessæ, et

(1) *bullar. t. 1. n. 39.*

transgressores subjiciuntur iisdem pœnis, quibus subjacent violatores clausuræ monialium.

Suum tamen jus conceditur quoad dispensationes ordinariis locorum et aliis respective superioribus, qui jus obtinent dispensandi in casibus necessariis et servatis de jure servandis.

Moniales post professionem neque etiam ad breve tempus exire possunt e monasterio, nisi ex aliqua legitima causa ab episcopo approbanda. Causæ autem sunt (1) incendium, lepra et epidemia (2).

In consecratione tamen ex præscripto pontificalis Romani exire debent e clausura et ingredi in ecclesiam, senioribus matronis eas comitantibus, et statim ad clausuram redire (3).

Denique occasione consecrationis earumdem monialium non licet episcopo ingredi in clausuram, nec multo magis licet id agere magistro cæremoniarum et consanguineis consecrandarum virginum (4).

Violantes clausuram monialium ad malum finem, non tamen prætextu facultatum obtentarum, non evitant excommunicationem reservatam Pontifici; quam etiam incurrunt admittentes hujusmodi violatores, neque excusantur ex contraria consuetudine etiam post concilium introducta (5).

Educandas puellas et famulas in clausuram monialium introduci quarumcumque ex causa vetat Pontifex sine authentica apostolicæ sedis licentia, toties quoties impetranda, et prævio examine ordinariorum loci, ubi sita sunt monasteria, super moribus, fama, habilitate, necessitate ipsarum educandarum seu famularum. Ita in litteris ad episcopum portugallensem.

Clerici.

Clericis omnibus vetari ab episcopo potest gestatio ficti capillitii; beneficiatis vero etiam in sacris non constitutis, sicut etiam cæteris sacris initiatis, fas est episcopo

(1) *ex extrav. Pii V., incipienti: Decori etc.* — (2) *inst. eccl. 85. n. 14.* — (3) *ib. n. 20.* — (4) *ita ex eodem decreto ib. n. 21.* — (5) *ita ex alio decreto S. C. ib. n. 21.*

id prohibere etiam sub excommunicatione, uti ex pluribus decretis S. C. (1).

Sacerdotibus vero sacrum operantibus numquam uti licet eo capillitio nisi de licentia S. C.; nec etiam sufficit episcopalis permissio, uti ex litteris *Innocentii XII.* ad nuntios apostolicos et episcopos datis (2).

Sententia asserens, omnem quamcumque venationem a sacris canonibus interdictam esse clericis, magis juri conformis est (3). Quare nimii rigoris damnandæ non sunt constitutiones illæ synodales episcoporum, quæ indicta pœna clericos ab omni venatione removent (4).

Sententia quorumdam asserens, non fore reos lethalis criminis clericos comœdiis quantumvis turpibus assistentes, si hoc fiat citra scandalum et probabile periculum lapsus, erronea et scandalosa est (5).

Clerici non conjugati, beneficiati sine tonsura et clericali veste incedentes non quidem gaudent beneficio fori et canonis, ut ex Tridentino (6), sed longe probabilius gaudent aliis privilegiis clericalibus, puta exemptione reali ab oneribus laicalibus (7), cum Tridentinum non adimat illis nisi tantum privilegium fori et canonis (8). Quin etiam per legem Tridentini non privatur episcopus jurisdictione puniendi illos tamquam sibi subditos; neque enim lex Tridentini aliud operatur, nisi ut clericus delinquens forum sæculare declinare nequeat. Ita decisum refertur a S. C. apud *Sperellum* (9). Insuper ex alio decreto, dato archiepiscopo Neapolitano, jus est episcopo, eosdem clericos delinquentes, quando neque a jure neque ab homine per declarationem sunt denudati privilegiis clericalibus, e manibus judicis laici repetere. *Ib.* Est autem hoc decisum quoad clericos conjugatos a S. C. in causa Alatrina jurisdictionis die 27. Martii 1683 (10).

Clericos post dimissionem clericalis vestis committentes delictum, iterumque illam resumentes, si absque dolo ac fraude id egerint, gaudere privilegio certum est. Vicissim constat, illis non suffragari, si egerint cum fraude.

(1) *de syn. diœc. l. 11. c. 9. n. 4. et inst. eccl. 96. n. 5.* — (2) *de syn. diœc. ib. n. 5.* — (3) *de syn. diœc. l. 11. c. 10. n. 8.* — (4) *ib. n. 10.* — (5) *ib. n. 12.* — (6) *sess. 25. c. 6. de ref.* — (7) *de quibus cap. Odoardus de solut.* — (8) *de syn. l. 12. c. 2. n. 1.* — (9) *decis. 17. n. 33., 34. ib., n. 4.* — (10) *ib. n. 5.*

Cognoscere tamen de fraude non est judicis sæcularis, sed ecclesiastici. Utrum vero de fraude ista prius constare debeat ad hoc, ut judex laicus possit procedere realiter contra bona clerici, quæstio est inter DD., in qua affirmativa sententia facilius admittitur. Porro in fraudem redimere habitum censeretur ille, qui post relictam vestem crimenque commissum, actus in carcerem a judice sæculari, fuga se vel aliqua ratione subtraxit tuncque clericalem vestem resumpsit(1).

Non potest episcopus generali constitutione cavere, ne clerici tonsurati post vestis dimissionem iterum illam resumant sine licentia episcopi, ut decisum a S. C. refertur (2).

Ad hoc autem, ut evitentur ea in re dissensiones inter utramque potestatem ecclesiasticam et laicam, suadendum, ut episcopus per edictum generale mandet clericis, ut incedant in habitu et tonsura ac deserviant alicui ecclesiæ per certum tempus; quo elapso transgressores admoneat tribus distinctis vicibus, ut pareant. Contravenientes dein per sententiam declaret, eos propria culpa excidisse a juribus clericalibus, neque deinceps ad ea restituendos fore. Hujus sententiæ vi trangressores illi neque resumpta veste privilegio fori gaudent(3).

Ecclesia, cui inserviendum a clerico est, ut fori privilegio fruatur, designanda est ab episcopo; si tamen alteri a designata inserviat, adhuc gaudet, ut a S. C. decisum refertur *ibidem* (4).

Non incedentes in habitu et tonsura, præcedente admonitione, etiam per edictum suspenduntur ab ordinibus, officio et fructibus beneficii ex Tridentino (5): quin et ex bulla *Cum sacrosanctam Sixti V.* privantur ipso facto omnibus dignitatibus, canonicatibus et beneficiis simplicibus ac pensionibus. Ab his vero pœnis excipit in alia bulla habentes pensionem non excedentem summam ducatorum sexaginta de camera. Quæ tamen postrema dispositio, cum agat de pensionibus, non revocat dispositionem prioris bullæ, quæ ligat etiam beneficia minoris valoris, ut ex S. C. firmatur (6).

(1) *de syn. diœc. l. 12. c. 3. n. 1. et 2.* — (2) *ib. n. 3.* — (3) *ib. n. 4.* — (4) *l. 12. c. 6. n. 5.* — (5) *sess. 14. c. 6. de ref.* (6) *inst. eccl. 71. n. 12.*

Clerici ab exercitio sui ordinis suspensi, si ab eo abstinuerint, esto absque prævia absolutione ad altiorem ordinem transierint, quamquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt: quæ est magis communis sententia (1).

Clericos, ne ad sacros et ultiores ordines ascendant, prohibere potest episcopus, de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspenderc clericos a divinis, ut a S. C. decisum traditur (2). Quod adeo verum est, ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo, querelas tantummodo suas, non appellationem sedi apostolicæ exponere, ut ex responso S. C. traditur (3). Ex quo fit, ut, etsi reus appelationem interposuerit, si interim ordinem suum solemniter exercuerit, continuo irregularitatem incurrat (4).

Clerici, antequam ordinentur in sacris, studium saltem theologiæ moralis præmittere tenentur; ita enim intelligenda est sanctio Tridentini (5), injungens, ut ordinandi *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ac ad ministranda sacramenta, idonei comprobentur;* atque hoc injunctum est a *Benedicto XIII.*, confirmando bullam *Apostolici ministerii etc.*, datum pro reformatione cleri Hispaniæ et tamquam normam pro aliis episcopatibus (6).

Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim episcopis Italiæ et insularum adjacentium mandavit in encyclica *Innocentius XI.* et innovavit alia encyclica *Clemens XI.* (7).

Non debet episcopus præcipere, ut clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus subdiaconatus etc., ad sacros ordines ascendant, etiamsi id facile constituat ad evitanda scandala minorum clericorum, qui otio et vitiis se dedunt; id enim ecclesiasticæ disciplinæ reipugnat (8). Id tamen verum est, si quidem clerici nullum beneficium ecclesiasticum obtineant, vel obtineant qui-

(1) *de syn. l. 12. c. 3. n. 6.* — (2) *de syn. l. 12. c. 8. n. 3.* (3) *ib. n. 4.* — (4) *ib. n. 5.* — (5) *sess. 23. c. 14.* — (6) *inst. eccl. 2. n. 4. et 5.* — (7) *inst. eccl. 104. n. 5.* — (8) *de syn. l. 12. c. 4. n. 2.*

dem beneficium, sed non ex illis, quibus annexum est onus suscipiendi sacros ordines (1). Qui enim obligationem beneficio suo annexam neglexerunt, beneficio privantur (2), nisi tamen justo impedimento excusari possint (3), saltem dummodo hoc impedimentum ab illis prævisum non fuerit, antequam beneficium acceperint.

Excipitur tamen, nisi aliter exposcat necessitas ecclesiæ (4).

Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut clerici illiterati ad sacros ordines promoveantur, ut a S. C. concilii decisum refert *Fagnanus* (5).

Clerico interdictum est ex constitutione *s. Pii V. Qui ordini*, ne quid in testamento relinquat filiis suis illegitimis eorumque filiis ac descendentibus, consanguineis et affinibus, sive ex reditibus ex bonis ecclesiasticis, sive ex patrimonialibus comparatis, etiamsi filii illi ante testatorem obierint. Attamen sanctio ista non excludit, quominus alimenta filiis illegitimis debeantur etiam ex reditibus ecclesiasticis. Cum vero vetatur legatum in favorem consanguineorum ejusdem filii, hoc tantum valet in casu, quo relicta ejus consanguineis per quemdam circuitum cedant in commodum ejusdem filii illegitimi (6).

Concilium Tridentinum.

Consuetudo contraria decretis sancti concilii Tridentini non est attendenda, quia in bulla *Pii IV.*, quæ legitur in fine ejusdem concilii, legitur decretum irritans ea omnia, quæ obstent eidem sacro concilio, ex quo fit, ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia singulis capitulis ejusdem (7).

Cum in sanctionibus concilii additur: *salva semper auctoritate sedis apostolicæ*, quæ verba semper addita voluit idem concilium (8), cum de reformatione morum et ecclesiastica disciplina agitur, tunc in dispensationibus a Romano Pontifice concessis semper intelligitur

(1) *ib. n. 3.* — (2) *ex Trid. c. 12. sess. 24. de ref.* — (3) *ib. n. 6.* — (4) *ib. n. 7.* — (5) *in cap. Quæris n. 18. de ætate et qualitate præficiend.* — (6) *de syn. diæc. l. 13. c. 24. n. 21.* (7) *inst. eccl. 60. n. 7.* — (8) *sess. 25. cap. final.*

derogatum sanctioni ejus concilii, etiamsi hæc derogatio non exprimitur, juxta ac definivit *s. Pius V.* in suo motu proprio (1), et censuit S. C. concilii (2).

Concio.

Parochi singuli tenentur concionem habere in suis ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemorabili, sive quod in aliis ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum numero. Ita *Innocentius XIII.* in sua constitutione pro reformanda disciplina regnorum Hispaniæ, quam *Benedictus XIII.* confirmavit, ut esset norma cæteris ordinariis (3). Sufficit tamen pro concione allocutio pia singulis festis, ut respondit S. C. die 8. Augusti 1732.

Concionatores regulares tenentur petere ab episcopo benedictionem, etsi velint in ecclesia sui ordinis conciones habere, ex bulla *Clementis X. Suprema* (4). In alienis vero ecclesiis licentia et benedictio episcopi etiam regularibus requiritur ex Tridentino (5).

Interdici potest regularibus prædicatio etiam in suis ecclesiis facta eo tempore, quo episcopus per seipsum concionem habet etiam in alia ecclesia (6).

Si vero episcopus coram se prædicare faciat, seu prædicationes etiam in sua ecclesia audiat pro consueto more adventus et quadragesimæ, prohibere non potest regulares, ne eodem tempore in suis ecclesiis prædicent. Nequeunt vero prohibente episcopo prædicare eo tempore, quo episcopus ex publica causa, convocatis clero, magistratu et populo, coram se prædicari facit, quod ex clementina *Dudum de sepulturis* eruitur. *Ib.*

Concionem proprii parochi, quam in parochiali ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria modo consuetudo abrogavit (7).

Concionatores, si per scurrilitatem *verbum Dei veluti in scenam adducant, non levem culpam admittunt, sed*

(1) *apud Garciam de benef. p. 4. c. 5. n. 32. et 33.* — (2) *de syn. diœc. l. 13 c. 24. n. 23.* — (3) *inst. eccl. 10. n. 3.* — (4) *inst. eccl. 27. n. 8.* — (5) *sess. 5. c. 2. ib.* — (6) *de syn. l. 9. c. 17. n. 7.* (7) *de syn. l. 11. c. 14. n. 13.*

grande piaculum; ita ex verbis encyclicæ S. C. concilii sub *Innocentio XI.* datæ 6. Julii 1680 (1).

Concursus.

In concursu ad parochialem, si collatio pertinet ad episcopum, judicium de digniori ex approbatis ab excommunicatoribus pertinet ad illum; si vero beneficium sit patronatus ecclesiastici, tunc prælatio ad patronum spectat. Si patronatus sit laicus, ab examinatoribus deputatis approbandum, sed sine concursu; patronus debet eligere. Si tamen in patronatu laicali plures sint patroni, et a singulis suus præsentetur, ita ut singuli non habeant jus præ alio, tunc concursus instituendus est, et ad episcopum pertinet prælectio inter approbatos; ut ex decreto S. C. apud *Barbosam* (2).

Sede vacante in concursibus electio est vicarii capitularis; nam ad illum tota jurisdictio capituli devolvitur (3).

In concursu examinatores tenentur judices esse non tantum doctrinæ, sed et cæterarum dotum, quæ necessariæ sunt ad parochiale officium. Ita Pontifex in bulla *Cum illud* (4). In concursu habendo hæc servanda: *Ib.*

Habita notitia vacationis ecclesiæ, episcopus vicarium deputet cum emolumento ejus arbitrio assignando.

Episcopus publicet edictum concursus, præfinito tempore ejus habendi; intra quod tempus concurrentes deferant personæ ab episcopo deputandæ suarum qualitatum, meritorum et munerum documenta sincera sive judicialia; quæ eo tempore elapso nequaquam recipiantur.

Die ad concursum indicta summa eorum documentorum a cancellario episcopali confecta tradatur illi, qui concursui præest et sigillatim omnibus examinatoribus. Tum habeatur concursus assignatis singulis concurrentibus iisdem quæstionibus, eodemque evangelii textu, super quo sermonis aliquid concurrentes præscribant. Hæc omnia dictentur omnibus eodem pariter tempore

(1) *inst. eccl. 27. n. 15.* — (2) *de syn. l. 4. c. 8. n. 8. et 9.* (3) *n. 10.* — (4) *bullar. t. 1. n. 68.*

et in eodem conclavi clausis: assigneturque omnibus congruum tempus ad respondendum. Responsa sua quisque manu scribat sermone latino, suaque itidem manu subscribat. Sermo ad populum habendus vernacula lingua scribatur. Responsa demum ipsa subscribat tum cancellarius concursus tum superior, qui præest, ac demum examinatores singuli.

Tenentur etiam ab examinatoribus explorari concurrentes, qua peritia polleant in lingua latina, tradendo illis explicandum aliquid sive de sanctis Patribus sive de concilio Tridentino aut catechismo Romano, quod oretenus fieri potest.

Responsa ita subscripta etiam ab examinatoribus, qui pauciores tribus esse non possunt, una cum notula compendiaria requisitorum tradantur cancellario custodienda, penes acta secreta nemini ostendenda.

Si quis appellandum duxerit a mala relatione examinatorum vel irrationabili judicio episcopi, coram judice appellationis acta integra concursus introducantur, qui illis visis, nec aliter quam ex illis sententiam suam ferat tam respectu doctrinæ quam morum.

Si in casu dictæ appellationis episcopus censeat significandum judici appellationis secretam causam, ob quam motus fuerit ad alium eligendum, poterit sub secreti lege illam judici etiam per litteras significare.

Quod si episcopo suspecta sit fides judicis de secreto illo prodendo, litteris suis eadem deferat S. C. concilii præfecto.

Judex appellationis, quando appellatio fit a malo judicio episcopi seu mala relatione examinatorum, cognoscere debet non solnm de doctrina, sed etiam de cæteris dotibus electi ab episcopo.

Si judicis appellationis sententia conformis sit electioni episcopali, tunc ab appellatione ulteriori cessandum est. Secus vero si acciderit, licet præelecto episcopali secundo et tertio appellare. Demum cui duæ conformes assistunt sententiæ, ille victor habeatur.

Si vero beneficium curatum, dignitas et canonicatus a sede apostolica conferendum sit, tunc concursus non expectata ulla Pontificis venia ab episcopo indicatur. At si beneficium curatum sit, et reservatum sit tantummodo

ratione mensium, episcopus eligat magis idoneum et illum datariæ significet, cui acta concursus, nisi requirantur, non tenetur transferre. Vicissim transferat illa et suspendat a ferendo judicio, si reservatio ex alio quovis capite sit. Licebit tamen episcopo denuntiare illum, quem credit magis idoneum fore beneficio, sicut et si alicui occulta aliqua causa obsit, ne beneficium obtineat. *Ib.*

Confessarius.

Confessarii temere interrogantes pœnitentes suos de socio criminis, alioquin denegantes absolutionem, suspensionis ab officio censuram sententiæ ferendæ incurrunt, peccant graviter, et sunt denuntiandi, si agnosci possit, illos hanc sibi praxim tamquam licitam statuisse. Sicut etiam denuntiandi sunt, qui id licere docent. Ita *Benedictus XIV.* in constitutione *Ad eradicandum.* Ibi etiam additur, pœnitentes illos, quos ad prodendum nomina complicum confessarius adegerit, non teneri ad denuntiandum eosdem confessarios, id agentes ex quadam imprudentia ac simplicitate, quique eidem praxi addicti ex circumstantiis agnosci non possint.

Confessarii pœnitentes suos ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem pœnitente. Quæ denuntiatio fieri debet, etiamsi confessarius sit simplex sacerdos et jurisdictione careat; etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens non consenserit; etiamsi post ipsam sollicitationem tempus longum jam effluxerit; etiamsi sollicitatio fiat a confessario non pro se, sed pro alio.

Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos, absolvant, nisi prius sive denuntiationem fecerint vel saltem promiserint, se denuntiaturos, quamprimum poterunt. Ita in bulla *Sacramentum pœnitentiæ* (1).

Confessarius caret omni auctoritate et jurisdictione absolvendi socium criminis turpis in ordine ad illud crimen cum illo commissum; et si nihilominus ausus fuerit

(1) *bullar. t. 1. n. 20.*

absolutionem hanc impertiri, ipso facto incurrit excommunicationem summo Pontifici reservatam; quæ absolutio socii criminis neve in ipso jubilæo vel privilegio bullæ *cruciatæ* impendi valet. *Ib.*

In mortis vero articulo si adsit quicumque alius sacerdos, qui præsenti necessitati provideat, et confessarius socius criminis nihilominus pœnitenti alias disposito impenderit absolutionem, absolutio quidem ipsa valet, at confessarius lethaliter peccat et excommunicationem reservatam incurrit. Quare non potest id agere confessarius, nisi cum necessitas urgeat mortis, nec adsit alius sacerdos saltem simplex, qui impertiri eamdem absolutionem possit; vel saltem nisi ipse non posset ab hoc munere vacare sine gravi aliqua infamia vel scandalo. Tenetur proinde omnia media adhibere citra scandalum vel infamiam suam ad hoc, ut ipse se subtrahat, et alium, si fieri possit, substituat. Ita Pontifex in declaratione prioris bullæ *Sacramentum pœnitentiæ* nova sua bulla *Apostolici muneris* (1).

Injungitur ordinariis, ut in approbatione confessariorum constitutionem *Gregorii XV.* et præsentem *Benedicti XIV.* ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et observari curent. Ita in cit. bulla *Sacramentum pœnitentiæ.*

Confessarii absolutio data ignorantibus necessaria necessitate medii est invalida (2).

Si vero ignoret pœnitens necessaria necessitate præcepti, et rite doleat de hac ignorantia, ac emendationem promittat, posse absolvi judicat (3).

Confessarius, si audierit pœnitentem et non absolverit, requiraturque de attestatione confessionis in scriptis, debet illam concedere, non tamen umquam affirmare debet, se illum absolvisse, nec tunc pariter, cum illum absolverit; nam alias, si de aliquo hoc attestatus fuisset, et de aliquo non, revelationis confessionis periculum subiret (4).

Patres Capuccini, si adsint in loco, ubi nullus conventus seu hospitium sui ordinis existit, nullusque Frater

(1) *ib. n. 120.* — (2) *encyclica Etsi minime bullar. t. 1. n. 42.* — (3) *ib. §. 12.* — (4) *inst. eccl. 45. n. 10.*

sui ordinis confessarius ibidem existit, possunt confessiones suas habere apud presbyterum sæcularem confessarium approbatum ab ordinario loci, seu apud regularem approbatum a suo superiore regulari ad confessiones habendas, non obstante statuto suæ religionis in contrarium (1).

Confessarii regulares non tenentur adesse resolutioni casuum conscientiæ, quæ habetur coram episcopo pro tota diœcesi; tenentur tamen in suis monasteriis habere et interesse lectioni eorumdem casuum. Quæ lectio habenda est in singulis monasteriis ex apostolico præscripto: cui si non interfuerint, potest episcopus illos cogere, ut intersint congregationi casuum conscientiæ, quæ habetur coram illo ex præscripto ss. canonum. Ita ex encyclica S. C., data die 29. Maji anno 1752 (2), ubi pariter adest decretum alterum congregationis, editum anno 1682, in quo id statuitur in favorem regularium etiam in iis monasteriis, in quibus non degunt 12 viri religiosi.

Confessio.

Nemo umquam, quodcumque privilegium obtinens, audire potest confessiones sæcularium absque approbatione ordinarii, idque valet etiam pro confessionibus venialium et mortalium, quæ alias clavibus subjecta sunt. Id etiam comprehendit eos, qui privilegium bullæ *cruciatæ* obtinuerunt, ut ex bulla *Benedicti XIII.* (3).

Per confessionem factam cuilibet sacerdoti sæculari vel regulari ab episcopo approbato satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus*, ex constitutionibus *Clementis VIII.* anno 1562 et *Innocentii X.* anno 1645 incipienti: *Exponi nobis*, constat (4).

Etiam non commissa gravi culpa præceptum annuæ confessionis obligat, ut quis se peccatorem saltem semel quotannis recognoscat (5).

Parochus, quamvis plerumque credere debeat parochiano suo asserenti, se confessionem peregisse, si tamen pru-

(1) *bulla Quod communi bullar. n. t. 1. n. 49. 82.* — (2) *etest in append. tom. 4. bullar. Benedicti XIV. pag. 35.* (3) *inst. eccl. 86. n. 8.* — (4) *de syn. diœc. l. 9. c. 18. n. 4.* (5) *ut ex s. Thom. in 4. sent. dist. 17. q. 3.; inst. eccl. 18. n. 4.*

denter credere non possit asserenti, abstinere debet ab administranda eidem communione etiam paschali, ut ex *Roncaglia* (1).

Si pœnitens tempore paschæ absolutionem obtinuit, sed ex consilio confessarii admonetur, ut aliquo tempore abstineat a communione, potest parere absque peccato. Non tamen potest confessarius ad arbitrium prorogare eam communionem (2).

Possunt episcopi limitatam facultatem audiendi confessiones dare regularibus, etiamsi post examen idoneos illos repererint (3).

Quoad confessionem factam laico in necessitate, dum non adest copia sacerdotis, de qua sermo fuit olim apud veteres theologos et etiam apud *s. Thomam*, recte docet Pontifex, neminem ex veteribus illis agnovisse, laicum esse verum ministrum hujus sacramenti; sed eam confessionem testimonium esse animi demissi et humilitatis, ex quo magis flectitur Deus ad elargiendam uberiorem gratiam, qua quis ad contritionem et justificationem excitetur. Nihilo tamen secius hanc numquam fieri præstat, cum multis incommodis sit obnoxia: de syn. diœc. l. 7. c. 16. per totum, ubi recte ex decreto *Clementis VIII.* illicita esse et invalida confessio facta sacerdoti absenti per internuntium notatur.

In locis, ubi rarissimi sunt sacerdotes, qui audiant confessiones, sufficit ad eos approbandos scientia minus quam mediocris, ut ex cardinali *de Lugo* (4).

Confirmatio.

Confirmationem sacramentum esse novæ legis constat tum ex definitione Tridentini (5), cum ex Actuum c. 8. illis verbis: *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum* (6).

Sacramentum hoc conficitur impositione manuum episcopi et prece. Quandonam illud instituerit Christus, qui

(1) *inst. eccl. 45. n. 15.* — (2) *ut ex cap. Omnis utriusque sexus de pœnit. et remiss. ib. n. 16.* — (3) *inst. eccl. 86. n. 9.* (4) *instit. eccl. 86. n. 12.* — (5) *sess. 7. can. 1.* — (6) *instit. eccl. 6. n. 3.*

unicus est auctor sacramentorum, incertum, num tunc, cum imposuit manus capiti puerorum, Matth. 19., num instituerit tantum, non ministraverit: num in ultima cœna, cum dixit apostolis: *Accipite Spiritum sanctum*, num tandem ipsa pentecostes die, ignoratur (1).

Quamquam gratia prodigiorum, quam olim infundebat, modo cessavit, id non amplius exigente ecclesia, gratiæ tamen sanctificantis donum modo pariter datur, *s. Augustino* teste (2). Quæ tamen gratia sacramentum recipientibus amoto peccati obice confertur, ut sit potius gratiæ præcedentis augmentum. Producit etiam robur et firmitatem quamdam spiritualium virium, quibus diabolo resistamus (3).

Tandem characterem imprimit indelebilem, quo datur potestas quædam spiritualis in ordine ad aliqua gerenda, quæ a perfectioribus agenda sunt. Ex quo fit, ut reiterari non potest. *Ib.*

Necessitatem, quam vocant absolutam hujus sacramenti recipiendi, nemo utique esse affirmaverit; sed vel in re vel in voto plane necessarium est necessitate præcepti, et quidem divini, tempore persecutionis. Neque parochi neque parentes, nec qui sunt loco parentum, sunt eximendi a lethali culpa, si non instent, ut subjecti sibi parochiani, et quos habent subjectos, confirmationem ab episcopo parato recipiant (4).

Quoad ætatem chrismandorum, ex regula ordinaria conferendum est hoc sacramentum pueris post septennium; sed in aliquo extraordinario casu justa urgente causa non vetatur, quin possit etiam ante eam ætatem ministrari. Justam causam adesse constat, si facilis ad pueros illos in posterum non sit futurus episcopi accessus etc. (5).

Confirmationis minister ordinarius est episcopus; extraordinarius vero de Pontificis mandato sacerdos quilibet esse potest, quod hodie certum est, licet olim DD. quidam dubitaverint (6). Utitur tamen simplex sacerdos chrismate ab episcopo benedicto, quamquam pro-

(1) *ib. n. 5.* — (2) *de bapt. l. 3. c. 16.* — (3) *ib. n. 7.* — (4) *ib. n. 9. et 10.* — (5) *ita in bulla pro Cophtis Anno vertente, et de syn. l. 7. c. 10. n. 5.* — (6) *de syn. l. 7. c. 7. per totum.*

babilis est eorum opinio, qui tenent, chrisma illud ex commissione summi Pontificis benedici a simplici presbytero posse, nec desunt, rara quidem, exempla (1). Cæterum tenendum est, irritam fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam; nam Romanus Pontifex ex consuetudine in tota ecclesia latina jamdiu recepta tacite sibi hanc facultatem reservasse censendus est. Hæc etiam reservatio, utpote jurisdictionem restringens, valet utique ad hoc, ut episcopus jurisdictione ad delegandum careat (2).

Confirmationis sacramentum cum oleo et chrismate, etiam veteri, si novum haberi non possit, sed tamen a catholico antistite benedictis, conferri a P. Guardiano s. sepulchri ordinis Minorum de observantia, si defuerit episcopus latini ritus in sua diœcesi residens, conceditur a Pontifice suo brevi incipiente: *Cum ad infrascriptam.* Id tamen personale esse privilegium, datum guardiano petenti, constat (3).

Idem etiam concessum est a S. C. et confirmatum a *Benedicto XIV.* in sua constitutione *Anno vertente* (4), præfecto missionum Aegypti, donec aliquis catholicus episcopus in Aegypto habeatur.

Confirmatio a græcis sacerdotibus collata in locis Græcorum, in quibus mos iste non est expresse improbatus a sede apostolica, valere censenda est ex consensu tacito Romani Pontificis: de syn. diœc. l. 7. c. 9. et constitutio pro Cophtis catholicis, quæ constitutio incipit *Anno vertente:* in qua tamen monentur, chrisma illud benedicendum esse ab episcopo.

Animi dispositiones ad digne recipiendum hoc sacramentum sunt status gratiæ, quæ in adultis lethali crimine infectis comparatur plerumque per sacramentum pœnitentiæ (5).

Corporis dispositiones, non tamen necessario præmittendæ, sunt plerumque confirmandi et confirmantis jejunium, quod consulit pontificale Romanum (6).

Patrinus unicus assistere debet confirmando, mas ma-

(1) *ib. c. 8. per totum.* — (2) *ib. c. 8. n. 7.* — (3) *exstat bulla in bullario t. 1. n. 6.* — (4) *ib. t. 3. n. 30.* — (5) *inst, eccl. 6. n. 11.* — (6) *ib. n. 12.*

ribus, fœmina fœminis, qui etiam patrini debent esse confirmati (1).

Mares seorsum a fœminis accedere par esset, ut honestius res perageretur, ut ex concilio Mediolanensi (2). Porro patrinus manum suam dexteram dextero humero chrismandi imponat (3).

Tempore pestis eo morbo affectis non tenetur episcopus hoc sacramentum ministrare, cum sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis (4).

In confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec sane valeret sic collata; cum ex consensu fere omnium theologorum ad valorem requiratur aliqua manus impositio, quæ certe non fieret, cum alio medio quam pollice vel manu confirmandi frons oleo liniretur (5).

Confraternitates laicorum.

Duæ confraternitates ejusdem instituti in uno eodemque loco esse non possunt ex bulla 105. *Clementis VIII.* Cum tamen amplior est civitas vel populus frequens, binæ tolerantur (6).

Si confraternitas sit erecta in ecclesiis regularium exemptorum, subest tamen jurisdictioni et visitationi episcopi, cui jus est etiam visitare eorum capellas ibidem positas, in iis tamen, *quæ confraternitatum gubernationem respiciunt.* Etsi confratribus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum; sicut et ornamenta altaris, onera missarum et divinorum officiorum ibidem celebrationem etc. Ita ex resolutione S. C. (7).

Confraternitates laicorum nequeunt aggregationem petere ab archi-confraternitatibus Romanis, nisi prævia approbatione ordinarii loci seu episcopi cum interventu duorum de capitulo. Ita ex constitutione 115. *Clementis VIII.*, additis decretis S. C. (8). Aggregatarum vero administratores rationem episcopo reddere tenentur, ut ex eodem S. C. concilii decreto. *Ib.*

Hæc omnia valent etiam pro confraternitatibus aggre-

(1) *ib. n. 13.* — (2) *ib. n. 13.* — (3) *ib. n. 16.* — (4) *de syn. l. 13. c. 19. n. 6.* — (5) *ib. n. 15.* — (6) *inst. eccl. 105. n. 86.* — (7) *ib. n. 88.* — (8) *ib. n. 89.*

gatis capitulo s. Joannis Lateranensis, sicut etiam pro illis, qui fundatæ jam sese eidem basilicæ annui tributi solutione submittunt, ut sæpe decisum est(1).

In solo vero Lateranensis fundatæ ecclesiæ vel oratorii, ex bulla 19. *Sixti V.* non subsunt jurisdictioni ordinariæ episcopi; sed ut firmat rota, utitur jure delegato concesso illi a Tridentino (2), vi cujus potest per se et per alium eas visitare, ut etiam probat decretum S. C. (3).

Confraternitates laicorum in ecclesiis parochialibus erectæ dependent a parocho in functionibus ecclesiasticis non parochialibus, ut ex decreto S. C. rituum die 12. Jan. 1704 (4). Quare eædem confraternitates erectæ in capellis vel oratoriis annexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus eamdem a parocho dependentiam habent, ex eodem decreto. *Ib.*

Erectæ tamen in ecclesiis publicis seu privatis, ab ecclesiis parochialibus sejunctis, ab ea dependentia eximuntur, ut ex eodem decreto *ib.*

Quare benedictiones et distributiones candelarum, cum non sint de juribus mere parochialibus, sicut etiam benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis (quæ tamen ambo fieri debent a parocho), ignis, seminis, ovorum et similium, functiones omnes hebdomadæ sanctæ, celebratio missæ solemnis feria V. in cœna Domini (quæ tamen spectat ad parochos), pulsatio campanarum sabbato sancto (quæ tamen spectat ad ecclesiam digniorem), celebratio missæ solemnis in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ vel oratorii, expositio quadraginta horarum, et benedictio, quæ fit super populo, expositio sacrarum reliquiarum vel imaginum, fieri possunt in oratoriis confraternitatum, etiam parocho respectivo contradicente, ut in eodem decreto. *Ib.*

Insuper in iisdem privatis confraternitatum oratoriis cantari possunt absque licentia parochi horæ canonicæ; ex eodem *ibid.*

In oratoriis eorum privatis licita est celebratio missæ privatæ assentiente ordinario tantum.

Earum capellani non possunt populo denuntiare festivitates et vigilias contradicente parocho; ex eodem *ibid.*

(1) *ib. n. 20.* — (2) *sess. 6. c. 4. sess. 24. c. 3. de ref.* — (3) *inst. eccl. 105. n. 90.* — (4) *ib. n. 93.*

Nequeunt parochi invitis confratribus in eorum oratoriis a parochiali separatis docere doctrinam christianam; ex eodem *ibid.*

In eorum ecclesiis publicis haberi possunt etiam negante parocho conciones per totam quadragesimam et adventum publicæ; ex eodem *ibid.*

Vicissim non potest in dictis ecclesiis, nisi aliter disponente episcopo, celebrari seu cantari missa ante parochialem; ex eodem *ibid.*

Ad parochum tamen spectat, officium funebre facere super cadaveribus sepeliendis in supradictis ecclesiis, quando tamen defunctus tumulandus est subjectus parocho, intra cujus fines est ecclesia illa.

In processionibus confraternitatum extra ambitum suæ ecclesiæ (quæ tamen fieri non possunt absque licentia seu episcopi seu parochorum illorum, per quorum territorium transeundum est) capellani illarum extra ecclesiam propriam stolam deferre non possunt; ex eodem *ibid.*

Accedenti episcopo ad ecclesias earum publicas, quæ non sunt regularium neque proprium rectorem beneficiatum habent, aspersorium a parocho exhibendum non est; ex eodem *ibid.*

Ex solo jure parochiali, cessante aliquo titulo, non potest parochus capellanos illarum cogere ad assistendum functionibus ecclesiæ parochialis; ex eodem *ibid.*

Absque indulto apostolico non licet in dictis ecclesiis, quæ non sint parochiales neque regularium, retineri ss. eucharistiæ sacramentum; neque, si ea facultas adsit, absque ordinarii licentia potest ibidem dictum sacramentum publice exponi; ex eodem *ibid.*

Parochus nequit se ingerere administrationi oblationum vel eleemosynarum in dictis ecclesiis collectarum, neque retinere clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ; ex eodem *ibid.*

Dummodo non impediant functiones et divina officia, possunt confraternitates, etiam erectæ in ecclesia parochiali, pro libito congregari absque licentia et præsentia parochi, sicut et possunt propria bona administrare et de illis disponere independenter ab illo; ex eodem *ibid.*

Non potest parochus tamquam delegatus ordinarii, as-

sistens earum congregationibus, suffragium decisivum ferre; ex eodem *ibid.*

Plura tamen ex his, quæ exigere a confratribus parochus nequit, possunt fieri de mandato episcopi, ut in peculiaribus rerum eventibus sæpe decisum est a S. C.(1).

Confratres non possunt quæstuare, etiam per propriam ecclesiam, nisi de licentia ordinarii, ut ex decreto S. C. Missas vero ex quæstibus illis collectas celebrandas esse in eadem ecclesia, non vero in parochiali, censuit S. C. concilii (2).

Inter confraternitates laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedendi: et cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet, quæ prius saccis induta est, ut ex constitutione 84. *Gregorii XIII.* constat (3).

Sed in processionibus, in quibus defertur ss. eucharistia, confraternitas ss. sacramenti, si sacco induatur, præcedit cæteras, ut decisum in rota Romana (4).

Consecratio.

Si parietes ecclesiæ sint destructi et a fundamentis iterum reædificentur, ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut (5) firmant canonistæ (6). Officium vero recitari debet de priori consecratione, non de secunda (7).

Altaris consecratio plane distincta est a consecratione ecclesiæ, ut ex pontificali Romano annotatur (8).

Constitutio *Unigenitus.*

Publicis refractariis adversus constitutionem *Unigenitus* denegandum est ss. viaticum. Publici autem censentur, qui per judicis sententiam declarati sunt, quod debitam eidem constitutioni venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegaverint. Ut pariter illi, qui hujusmodi contumaciæ reos se judici confessi sunt; sicut etiam, qui sacrum viaticum suscepturi inobedientiam suam et contumaciam adversus eam constitutionem profitentur. Denique, qui aliquid evidenter commisisse noscun-

(1) *ib. n. 98.* — (2) *ib. n. 132.* — (3) *inst. eccl. 105. n. 84.* (4) *ib. n. 85.* — (5) *ex titul. de consecr. eccl. vel alt.* — (6) *inst. ecc. 67. n. 2.* — (7) *ib. n. 6.* — (8) *ib. n. 8.*

tur manifeste oppositum eidem venerationi, idque vulgo ita cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. Hæc autem notoria certitudo non adest in casibus, in quibus crimen nititur conjecturis, præsumptionibus incertisque vocibus. Igitur hi, qui habent adversam hanc famam postremo loco expressam, num sacro viatico reficiendi sint? Hæc habeantur præ oculis: Primo quærat parochus seu minister sacramenti, num moriturus paschali tempore acceperit communionem a parocho, ubi degebat; huic certe non est denegandum viaticum, si publice petat, nisi forte inter tempus paschale, quo communionem recepit, et tempus, quo viaticum poscit, aliquid commisisse noscatur, quo publici peccatoris notam contraxerit.

Si vero validæ adversus ægrotum præsumptiones et indicia urgent, tunc s. communionis minister debet ægrotum, remotis arbitris, alloqui et ostendere illi indicia, quæ suspectum ipsum reddunt, rogans eum, ut resipiscat, ac demonstrans, se quidem paratum esse, illi sacrum viaticum ministrare, et velle pro sua pietate ipsius infamiam præcavere, et idcirco eum a sacra mensa non repellere, quamvis ipsum peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in suo tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscere. Ita *Benedictus XIV.* in sua bulla *Ex omnibus christiani orbis.*

Consuetudo.

Consuetudo rationabilis et legitime præscripta abrogat omnem legem humanam, etiam canonicam (1); nefas est tamen episcopo, juxta consuetudinem diœcesis suæ contra canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris. Nimiæ autem esset arrogantiæ, si episcopus legem conderet contra legem superioris (2).

Contractus.

Contractus trium contractuum, qui a multis defenditur, ab aliis improbatur, a Pontifice præcise non improbatur,

(1) *ex textu in c. final. de consuet.* — (2) *de syn. l. 12. c. 8. n. 8.*

sed facultatem permittit episcopis, ut in suis synodis dehortentur subditos suos ab eo exercendo (1).

Contractus *collaticus* is est, quo bos terram arans traditur bubulco, qui solvit domino bovis certam portionem frumenti, lege hac adjecta, ut, si bos naturaliter moriatur, damnum sit domino et bubulco commune; si vero pereat culpa bulbulci, is totum damnum subeat. Hic contractus approbatus est a theologis, nonnullis adjectis conditionibus, quæ probatæ fuerunt a S. C. concilii die 6. Dec. 1730(2).

Contractus venditionis cum pacto francandi est, cum Titius vendit Sempronio prædium suum cum pacto redimendi rem venditam; prædium tamen retinet tamquam conductor, et pro conductione mercedem solvit, donec idem Titius sibi illud prædium redimat. In hoc contractu pœnitens emptor a confessario interrogandus est, num reipsa animum sincerum habuerit emendi; similiter et venditor interrogandus est, num ab emente pecuniam mutuam petierit, eumque renuentem induxerit ad usuram obtegendam pallio pacti francandi. In utroque enim illo casu subintelligitur usura, adeoque illicitum judicandum est; secus vero non (3).

Crux.

Crux eminens inter candelebra statuenda est in altari, ubi missa celebratur, nec sufficit crux nuda, sed requiritur cum Crucifixi figura. Nec decet, ut parva crux apponatur, ut non ita facile occurrat oculis celebrantis; quare in encyclica sua ad ordinarios ditionis ecclesiasticæ mandat Pontifex, ut amoveantur cruces istæ parvulæ. Bulla *Accepimus præstantium.*

Num vero apponenda sit crux de more etiam, cum exposita est adorationi sacra eucharistia, congregatio sacrorum rituum consulta semel mandavit apponi: iterum vero causa reproposita die 2. Sept. anno 1721 decrevit, ut quælibet ecclesia consuetudinem suam retineret. *Ib.*

Num etiam necessaria sit crux, si in tabula altaris primam imaginem exhibet Crucifixus: S. C. censuit, hanc sufficere. *Ib.*

(1) *de syn. l. 10. toto capite 7.* — (2) *syn. diœc. l. 10. c. 8. n. 2.* — (3) *ib. n. 3. et 5.*

Denique, num committat peccatum grave celebrans in altari, a quo crux abest, communis sententia tenet, id quidem nonnisi venialem culpam inducere (1).

Cultus.

Cultus privatus impendi potest iis, qui nondum inter beatos vel sanctos adscripti sunt, non vero publicus: ut ex celebri decreto sub *Urbano VIII. Certum est*, quod confirmat *Benedictus XIV.* in sua bulla *Quamvis justo.* Ex vi ejusdem decreti non potest titulus sancti vel beati illis adscribi, sicut nec potest missa solemnis de ss. Trinitate vel de sanctis omnibus in die eorum anniversaria celebrari, sicut nec eorum panegyricæ conciones eadem die in ecclesia haberi; sicut ex vi ejusdem Benedictinæ constitutionis emortualem diem festum eorumdem *ritibus palam celebrare atque in eorum laudem hymnos prosequi*, non tamen peculiari collecta in litania invocari. *Ib.*

Dispensatio.

Dispensationes sacræ pœnitentiariæ, cum diriguntur ad confessarium ex approbatis ab ordinario, executioni mandari debent a confessario approbato ab ordinario illius loci, in quo dispensatio illa præstari debet; nec valet, si actu confessarius non sit, sicut nec, si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur a fœmina (2).

Cum dirigitur confessario magistro in theologia vel decretorum doctori, requiritur laurea theologiæ vel juris canonici in publica universitate; nec aperiri litteræ illæ possunt a simplici regulari confessario, nisi tamen religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit (3).

Si semel apertum fuerit breve pœnitentiarii ab eo, qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit, si alteri habenti requisita consignetur (4).

Si semel electus fuerit executor, potest nihilominus

(1) *de sacr. miss. l. 3. c. 13. n. 1.* — (2) *inst. eccl. 87. n. 31.* (3) *ib. n. 11.* — (4) *ib. n. 33.*

ex probabili sententia variari, quamquam non desint DD., qui oppositum opinentur. *Ib.*

Executor certiorem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum interrogans, nisi alioquin ipse eamdem veritatem rescisset; nec tenetur illum sub juramento interrogare, ut est communis DD. sententia (1).

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus (2).

In ejusmodi dispensationis litteris mandatur executori, ut dispenset audita prius sacramentali confessione et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exequi, ut omnes docent (3).

Cum pœnitentia in litteris definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio confessoris, non est illi liberum et ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit (4).

Quoad clausulam: *dummodo sit occultum*, censetur occultum, si tantum septem vel octo in civitate id resciant; in oppidis vero, si quinque vel sex; quam sententiam scriptores, qui mentem sacræ pœnitentiariæ probe norunt, tuentur (5).

Si vero occultum impedimentum fuerit in loco, ubi executioni mandanda dispensatio est; publicum vero in alio, ubi commissum est delictum, tutius tunc est, executionem suspendere, et de hac novitate sacram pœnitentiariam certiorem facere (6).

Delictum olim publicum, nunc occultum, si a die commissi criminis decennium elapsum sit, ad hunc effectum censeri occultum judicant periti earum theologi (7).

Si quis rem vetitam præstiterit, sed publice credatur obtinuisse ad id facultatem, hujus peccatum ad hunc effectum creditur occultum. Si vero commisisse delictum resciatur, sed ignoretur, inde consurgere impedimentum, profecte occultum quoad hunc effectum non censetur (8).

(1) *ib. n. 34.* — (2) *ut ex Sanchez ibid.* — (3) *ib. n. 35.* — (4) *ib. n. 37. et 38.* — (5) *ib. n. 45.* — (6) *ib. n. 46.* — (7) *ib. n. 48.* — (8) *ib. n. 48.*

Clausula: *dummodo occultum sit*, exigit, ut nullo modo probari possit (1).

Si delictum deductum sit ad forum contentiosum, a s. pœnitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus etc., adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum (2).

Expressio causarum earumque verificatio ad validitatem dispensationis pertinet (3).

Doctrina christiana.

In ecclesiis ruralibus longe dissitis a parochiali decernunt episcopi, ut sacerdotes ibi sacris operantes populum doctrinam christianam doceant (4). Caveat tamen parochus, ne nimium tribuat alienæ operæ, sed cum pueri ad sacramentum eucharistiæ et confirmationis admittendi sunt, cum sponsi conjugio jungendi, per se illos tentet, quid didicerint (5).

Non est tolerandus mos in nonnullis diœcesibus obtinens, ut pueri unius parœciæ in alia parœcia doceantur doctrinam christianam, quemadmodum rescripsit S. C. concilii ad cardinalem *Lambertinum* die 9. Augusti 1732 (6): sed singuli parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in parœcia erudiantur; non tamen reprehendendi sunt illi, qui in ecclesiis suis, licet non sint parochis subjectæ, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant parochis nomina eorum, qui eas frequentant (7).

Ludimagistri, tam conducti a communitate quam non conducti, tam clerici quam laici hortandi sunt prius, ut doceant suos christianam doctrinam, tum etiam cogendi, ex decreto S. C. concilii ad archiepiscopum Spalatrensem (Salonæ novæ) die 17. Julii 1668 (8).

Doctrinam christianam non omnes scire æqualiter necesse est; plura enim scitu sunt necessaria ecclesiasti-

(1) *ib. n. 44.* — (2) *ib. n. 49.* — (3) *bulla Ad apostolicæ servitutis bullar. t. 1. n. 45. §. 1.* — (4) *encyclica Etsi minime ib. n. 42.* — (5) *ib. §. 14.* — (6) *inst. eccl. 9. et 10.* — (7) *ib. §. 13.* — (8) *ib. §. 14.*

cis, quam laicis; plura adultis, quam pueris et puellis; plura valentibus ingenio, quam hebetibus (1).

Si quis non credat explicite ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, multo probabilius est, illum nec valide absolutione potitum fuisse. Illicita est quidem certe in eo casu absolutio nec potest confessarius tuto uti opposita huic sententia et absolutionem illis, qui hæc explicite ignoraverint, impertiri, ut ex propositione damnata ab *Innocentio XI.* constat. *Ib.*

Si quis vero ignoret ea, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, dummodo nunc doleat et proponat emendationem, absolvi utique potest, ut ex theologis. *Ib.*

Parochi doceant pueros diebus saltem dominicis aliisque festis de præcepto doctrinam christianam, omni contraria consuetudine penitus sublata (2).

In bulla *Etsi minime* (3) monet Pontifex, ut confessarius fixum animo teneat, *invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur.*

Dos.

Cum puellis, quæ virgines non sunt, petuntque subsidia dotalia relicta virginibus, dispensat in occultis et in foro conscientiæ tantum major pœnitentiarius tam pro obtentis quam pro obtinendis, quatenus tantum illæ in posterum honeste vivant (4).

Duellum.

Benedictus XIV. anno 1752, die 4. Idus Novembris has propositiones ad duellum attinentes damnavit :

I. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœnæ vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

(1) *inst. eccl. 72. §. 19.* — (2) *encyclica Ubi primum bullar. t. 1. pag. 6.* — (3) *bullar. t. 1. n. 42. §. 12.* - (4) *bulla Pastor bonus.*

II. Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes vel ad illum provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

IV. Licitum est in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.

Vetat Pontifex in eadem bulla, ne easdem propositiones quis defendat publice vel privatim, divisim aut conjunctim, etiam disputandi gratia; alioquin incidat ipso facto in excommunicationem reservatam Romano Pontifici. Mandat in virtute s. obedientiæ, ne quis eas et ne unam quidem in praxim deducat.

Confirmat præcedentium Romanorum Pontificum constitutiones de duello atque edicit: ut, si quis in duello sive publice sive privatim indicto hominem occiderit, sive ille obierit in loco conflictus sive extra ex vulnere in duello accepto, perinde habeatur ac homicida voluntarius, adeoque immunitate asyli non gaudeat, extrahi e loco sacro possit, data ab episcopo facultate, quam illi Pontifex impertitur. Addit, quod, si adhuc vivat graviter vulneratus in duello, et percussor recurrerit ad asylum, ac merito timeatur futurum, ut, si mors acciderit vulnerati, ille se proripiat, tunc, si judicio peritorum grave vitæ periculum ex vulnere imminere censeatur, extrahatur ex asylo reus, præmisso decreto episcopi et cum assistentia clerici ab eodem episcopo deputati, et teneatur carceribus clausus; exacta tamen a judice promissione, ut, si forte vulneratus vitam proroget ultra tempus de homicidio præscriptum, restituat illum ecclesiæ; alioquin incurrat pœnas a *Benedicto XIII.* in persimilibus casibus de homicidis loco sacro extractis et non restitutis constitutas. Demum privationem sepulturæ, quam incurrunt duellantes in sanctione Tridentini, declarat incurri

etiam ante sententiam judicis, si forte decedat etiam extra locum conflictus ex vulnere in duello publico vel privato accepto, etiamsi ante mortem certa signa pœnitentiæ dederit et absolutionem a censuris obtinuerit, nec dispensari ea in re ab episcopis posse decernit.

Ecclesia.

In ecclesiis ruralibus parochiali proximioribus caveat episcopus, ne permittat, ut missa celebretur ante parochialem (1).

Ecclesia parochialis si forte corruerit vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire fabrica, si adsit; sin minus, tenetur parochus non quidem reditibus suis patrimonialibus, sed ex reditibus beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quamquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem parochi: tertio loco qui habent beneficium ecclesiasticum in illa ecclesia: quarto loco si parœcia est de jure patronatus, tenetur patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut, si infra præfixum ab episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat jus patronatus illud. Denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere (2).

Ecclesia polluitur per homicidium voluntarium (3): si in ea magna vis humani sanguinis effundatur (4); si sponte effundatur semen humanum, *sive effusio sit secundum naturam sive contra, sive per copulam alias licitam sive per illicitam* (5); si excommunicatus vitandus in ea sepeliatur (6); item si ibi sepeliatur ethnicus (7).

(1) *encyclica Etsi minime bullar. t. 1. n. 42. §. 14.* — (2) *ita ex canonistis inst. eccl. 100. per totam.* — (3) *c. Proposuisti de consecr. eccl.* — (4) *can. Ecclesiis de consecr. dist. 1.* (5) *ex eodem textu et cap. Si ecclesia de consecr. eccles.* (6) *c. Consuluisti de consecr eccles.* — (7) *c. Ecclesiam de consecr. dist. 1.; de sacrificio missæ l. 3. c. 7. n. 4.*

Episcopus.

Episcopi consecratio ab unone vel a tribus fieri necessario debeat, ut valeat, quamquam sit quæstio inter theologos, cum tamen Pontifices consueverint in locis, ubi desunt episcopi, ut ab uno tantum episcopo consecratio ista fiat, facultatem concedere; hinc videtur probabilior sententia asserens, unicum episcopum sufficere. Solent tamen Pontifices præcipere, ut episcopo consecranti adjungantur duo abbates vel duo sacerdotes in dignitate ecclesiastica constituti. Ita pluribus allatis exemplis de synodo diœcesana l. 13.(1). Ibi (2) pariter decernitur, valere congregationem episcopi ab uno antistite, uno tantum adjecto presbytero, confectam, quin etsi nullus alius præter consecrantem assistat.

Pactiones initæ a capitulo electore et juratæ ab episcopis electis in Germania, ut sibi non liceat contra ipsos electores procedere aut obsistere officialibus capituli, si quid egerint et decreverint: pactiones, inquam, illæ, si electionem præcedant, nullæ omnino et irritæ declarantur ab *Innocentio XII.* constitutione incipiente *Ecclesiæ catholicæ.* Quæ vero subsequentur, illarum executionem suspendit, donec sedes apostolica judicium de illis ferat (3). Hæ vero pactiones vetitæ et irritæ censentur, etiamsi fuerint honestæ (4). Insuper adsunt ea de re litteræ apostolicæ *Benedicti XIII.* in forma brevis (5).

Episcopi suffraganei, si decorentur pallio, in bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum metropolitis, quin et vetantur illud ferre in præsentia archiepiscopi (6).

Pallii honore non decorantur latini patriarchæ titulares, quemadmodum nec archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi commorantur (7).

Episcopatuum resignationes, quas sibi permitti postulant episcopi, non admittuntur a congregatione consistoriali, nisi ex canonicis causis recensitis in *c. Cum pridem de renuntiat.*, quæ tamen omnes ad id referuntur,

(1) *c. 13. n. 5.* — (2) *n. 9.* — (3) *ib. n. 17.* — (4) *ut ex DD. ib. n. 19.* — (5) *legendæ ib. n. 23.* — (6) *de syn. l. 13. c. 15. n. 10.* — (7) *ib. n. 17.*

ut clare constet, ipsos plebis suæ saluti prodesse amplius non posse (1).

Episcopi regulares, si se abdicaverint episcopatu, tenentur claustra suæ religionis repetere, nisi aliter commissum sit a summo Pontifice... Ita *Benedictus XIII.* in sua bulla *Custodes* (2).

Causæ resignationis non tam rigorose examinandæ sunt in ordine ad cardinales episcopatum resignantes, dum volunt se conferre Romam, ut assistant Romano Pontifici (3)

Episcopus translatus ex uno in alium episcopatum frui potest reditibus ecclesiæ, a qua discedit, usque ad illum temporis articulum, quo a summo Pontifice in consistorio a vinculo prioris ecclesiæ absolvitur: ex tunc enim prior ecclesia vacare censetur, ut ex definitione congregationis concilii per *Urbanum VIII.* approbata (4). Neque idem episcopus post absolutionem a vinculo jure potest conferre beneficia, quæ post idem tempus vacaverint, uti decisum in tribunalibus Romanis (5).

Interim tamen post pronuntiationem, scilicet Pontificis in consistorio, quoadusque hæc pronuntiatio innotuerit episcopo, remanet in eodem episcopo jurisdictio non quidem ad conferenda beneficia, sed ad diœcesim gubernandam necessaria, uti provisum est in eodem decreto, seu in brevi illud confirmante *Urbani* Papæ VIII. (6).

Si episcopus in manus paganorum aut schismaticorum incidat et fiat captivus, ecclesiæ administratio transit in capitulum, quoadusque aliter disponat sedes apostolica (7); quæ tamen vera sunt, si carcer episcopi sit adeo arctus, ut episcopum suum nequidem per litteras adire diœcesani valeant (8).

Episcopis ex constitutione Pontificis incipiente *Firmandis* (9) fas est, in ecclesia parochiali a regularibus administrata in pastorali visitatione inspicere altare illud, in quo tabernaculum ss. eucharistiæ tenetur, item fontem baptisterii, confessionale parochi, pulpitum, e quo

(1) *ib. c. 16. n. 3.* — (2) *ib. n. 4.* — (3) *ita ex Fagnano ib. n. 5.* — (4) *ib. n. 7.* — 5) *ib. n. 9.* — (6) *ib. n. 10.* — (7) *c. Si episcopus de suppleud. neglig. prælat. in 6.* — (8) *ib. n. 11.* (9) *bullar. t. 1. n. 109.*

parochus jus habet annuntiandi verbum Dei, sacrarium, in quo servatur sacra suppellex ad sacramenta ministranda, sepulchrum, cœmeterium parochiæ, turrim etiam campanariam, si adsint campanæ ad parochiam spectantes, ac demum sacra vasa, in quibus particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea baptismi et extremæ unctionis, demum pilam aquæ benedictæ.

Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, uti ea possunt non tantum ad certum tempus, quemadmodum limitatur in brevibus ab illis impetratis, sed quamdiu in diœcesi, cujus intuitu illam obtinuerint, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios sacerdotes, quotquot judicaverint opportunos, ut ipsi, episcopis impeditis, eamdem indulgentiam conferant. Subdelegati vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota diœcesi vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus et singulis episcopis, qui litteras ea de re petierint; quam etiam facultatem obtinebunt prælati inferiores, territorium separatum habentes cum vera qualitate *nullius* et activa jurisdictione in clerum et populum. Ita sancit Pontifex sua constitutione *Pia mater*, edita anno 1747 Nonis Aprilis, in qua etiam ritum hujus benedictionis præbet (1).

Episcopus in sua synodo non potest quidem definire quæstiones de fide, sed prohibere potest errores jam ab ecclesia proscriptos, ut ex *Gonzalez* in *cap. Vestra* deducitur (2).

Episcopis in synodo fas est, non quidem rem aliquam inter DD. controversam definire, sed praxim prohibere, uti ex. gr. non licet illis pronuntiare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante bullam *Benedicti XIV.* jus illis fuit injungere, ut, qui dispensationem ad carnes diebus jejunii edendas obtinuerant, unicam comestionem servarent (3).

(1) *vide bullar. t. 2. n. 34.* — (2) *de syn. l. 6. c. 3. n. 7.* — (3) *de syn. l. 7. c. 3. n. 1.*

Episcopo ex epikia fas est aliquando, in iis præsertim, quæ dilationem non patiuntur, nec de quibus facile summus Pontifex consuli potest, circa jus commune relaxare, ut decisum a S. C. concilii refertur (1). Id tamen nonnisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. (2).

Ad diœcesanum episcopum pertinet ecclesias consecrare, eique fas est, id muneris demandare alteri episcopo, minime vero presbytero, etiam cum oleis ab ipso episcopo benedictis (3).

Consecratas insuper ecclesias atque pollutas nemo præter episcopum diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneris demandare presbytero, quamquam cum aqua ab episcopo benedicta. Si tamen ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, ecclesia polluta reconcilietur. *Ib.*

Episcopo curandum est, ut legata pia impleantur, quod præstare ipse potest, etiamsi prohibitus fuisset a testatore (4).

Quod si testator executorem reliquerit sui legati, et ei in casu, quo segniter agat, alterum substituat, tunc episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam id exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis quam inter vivos (5). Valet etiam non solum pro episcopis, sed etiam pro prælatis inferioribus, habentibus territorium separatum et jurisdictionem quasi episcopalem (6): valet etiam pro vicario capitulari sede vacante, ut de legato de missis statuit S. C. (7).

Fabrica s. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni episcoporum in ordine ad legata pia et missarum onera, nisi post annum ab obitu testatoris; quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi judicium cœptum ab episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat (8).

(1) *de syn. l. 12. c. 8. n. 1.* — (2) *ib. n. 2.* — (3) *ita ex DD. de syn. l. 13. c. 15. n. 2.* — (4) *ut ex cap. Tua nobis de testamentis.* — (5) *ut ex Trid. sess. 22. de reform. c. 8.* — (6) *de syn. l. 13. c. ult. n. 1. et 2.* — (7) *ib. n. 2.* — (8) *ib. n. 3.*

Non licet episcopo a diœcesi per tres menses abesse pro libito aut quacumque ex causa; sed causa sit vere æqua, simulque provideatur, ne gregi ex hoc detrimentum obveniat (1).

Eucharistia.

De frequentia ss. communionis, quibus concedenda sit quotidiana, quibus aliquanto rarius, nihil innovandum supra decretum *Innocentii XI.* die 12. Febr. 1679, omnia scilicet referenda esse docti et prudentis confessarii judicio. Inferri tamen ex eodem decreto licet, frequentem accessum denegandum esse iis, qui in gravia peccata sæpe labuntur nec de emendatione sunt solliciti, sicut nec tam sæpe iis, quorum cum voluntas sit a gravibus aversa, venialibus tamen tenacius inhærent (2).

Eucharistiam una tantum die paschatis resurrectionis distribuere sæcularibus vetitum est regularibus in suis ecclesiis; cæteris vero paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem (3).

Paschale tempus, intra cujus spatium satisfieri potest præcepto, ab *Eugenio IV.* sua constitutione *Fide digna* definitum est a dominica palmarum usque ad dominicam in albis, nec licet episcopo, etiam in synodo, tempus istud latius prorogare (4).

Paschali præcepto de eucharistia sumenda in parochiali ecclesia non satisfit recipiendo illam in ecclesia metropolitana, ut ex decretis S. C. firmat *de Lugo* (5).

Qui præcepto paschali de eucharistia sumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, et cogi potest pœnis ad eucharistiam sumendam (6).

Famuli et famulæ sæculares, inservientes monasteriis regularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis monasteriorum moro circumvallatis, tenentur communionem paschalem in ecclesia parochiali, intra cujus fines situm est monasterium, recipere; ut ex decreto S. C. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt

(1) *encyclica Ubi primum bullar. t. 1. pag. 6.* — (2) *de syn. l. 7. c. 12. n. 9.* — (3) *ita in tr. de syn. l. 11. c. 14. n. 5.* (4) *de syn. l. 12. c. 6. n. 10.* — (5) *resp. moral. l. 1. dub. 15.;* *ita inst. eccl. 18. n. 12.* — (6) *inst. eccl. 45. n. 15.*

intra septa ac domos monasteriorum, quod requiritur a Tridentino, ut famuli eximantur a parœcia (1).

Sacerdotes missam celebrantes non tenentur præcepto paschali satisfacere in sua parœcia; si tamen raro intra annum celebrant, nec volunt seu possunt celebrare missam in paschate, tenentur tunc communicare in parœcia. *Ib.*

Peccatori occulto publice eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturale ad famam id expostulet (2).

Occulte vero petenti et noto sacerdoti aliunde, quam ex confessione, tuto negatur. Si vero pariter aliunde et simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet sacerdos, se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit: si vero noverit rem tantum ex confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum confessionis sigillum (3).

Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est a judice, sed etiam, qui per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur (4).

Eucharistiæ sumptionem præcedere debet jejunium naturale a media nocte præcedenti cœptum. Nec refert, si post cibum sumptum ante mediam noctem nullus somnus captus sit, nec cibus concoctus ante sacram communionem. Porro jejunium istud frangitur etiam parvitate materiæ; quare nec ablutio sumpta post celebratam missam admittenda ab eo est, cui eo die alias missas celebrare permittitur, uti die nativitatis Domini; quo in casu nec licet celebrare et ad dandum ægroto viaticum; nam præceptum viatici obligat, quando conferri potest juxta ritum ecclesiæ. Reliquiæ tamen cibi in ore remanentes, si deglutiantur, non frangunt jejunium naturale, ut ex rubrica missalis constat. Vicissim, si quis, antequam somno se dederit, parum sacchari in os induxerit, quod paulatim liquescens in stomachum delabatur, id utique jejunium istud frangit. Tandem si quis ore gustaret vinum vel condimentum ad saporem explorandum et statim expueret, hæc non esset fractio jejunii (5).

(1) *inst. eccl. 55. n. 7. et 8.* — (2) *de syn. l. 7. c. 11. n. 4.* (3) *inst. eccl. 89. n. 2.* — (4) *ib. n. 8. et de sacrif. miss. l. 3. c. 20. n. 4.* — (5) *de missæ sacrif. l. 3. toto c. 12.*

In dubio, num quis fregerit jejunium, disputant theologi, apud quos varii casus distinguuntur; præstaret tamen abstinere a percipienda communione (1).

Sacerdos extra missam eucharistiam suscepturus stolam e collo suspensam habere debet, uti præcipit rituale Romanum. Potest vero seipsum suis manibus communicare, si absit scandalum et suppetat causa, quæ perceptionem sacramenti exigat, nec alius sacerdos præsto sit. Causa vero est solemnis aliqua festivitas (2).

In missis defunctorum eucharistiam fidelibus administrare non est vetitum, cum decretum S. C. R. id prohibens modo non amplius exhibeatur illud poscentibus, et docti rituum scriptores admittant, administrari tuto posse in quacumque demum missa, nullo facto discrimine inter formas in eadem missa consecratas, et reliquias, quæ in tabernaculo asservantur (3).

Nocte natalis Domini ex decretis S. R. C. vetitum est ministrare in missa sacram communionem fidelibus adstantibus; quia nec sacerdos eadem nocte alias duas missas celebrare permittitur (4).

Feria VI. in parasceve et sabbato sancto nullus, nisi ad viaticum, est communicandus, ut ex consuetudine omnium ecclesiarum certum est (5).

Sacerdos in peccato mortali ministrans eucharistiam graviter offendit in reverentiam tanti sacramenti. Ex quo fit, ut, qui recipit ab illo sacramentum scienter, peccato ejus communicet, quæ est animadversio *s. Thomæ* (6). Ex quo infertur, peccare illum graviter, qui sacramentum suscipit a sacerdote schismatico vel excommunicato, ex eo quod ejus peccato communicet (7).

An unico peccato peccet sacerdos, qui lethali peccato infectus pluribus sacramentum eucharistiæ administrat, dissident inter se DD.: alii enim unicum agnoscunt, quando per continuatam actionem pluribus ministrat; alii totidem peccata multiplicant, quot sunt fideles (8).

Non licet uni ex fidelibus plures particulas vel majoris moduli hostiam præbere, quod vetuit S. C. concilii decreto approbato ab *Innocentio XI.* die 12. Febr. 1679. *Ib.*

(1) *ib. n. 7.* — (2) *de sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 10.* — (3) *ib. c. 18. n. 12.* — (4) *ib. n. 13.* — (5) *ib. n. 14.* — (6) *ib. c. 19. n. 2.* — (7) *ib. n. 3.* — (8) *ib. n. 3.*

Peccatori parato recipere in peccato sacramentum non licet offerre hostiam non consecratam pro consecrata, ob periculum idololatriæ tum respectu suscipientis tum adstantium (1).

Purgatio, quæ olim fiebat per eucharistiam, qua sacerdos fideli communicaturo denuntiabat, corpus Christi futurum illi ad probationem, licet forte non contineat tentationem Dei (ut non male ratiocinatur *Vasquez*), hodie tamen, cum abrogata fuerit per textum ex *cap. Ex tuarum*, in usum revocari non potest (2).

Consuetudo eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur neque refellitur; sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem et mortem, quo species eucharisticæ consumantur (3).

Si alicujus sacerdotis negligentia aliquid eucharistiæ in terram deciderit, rubricæ missalis servandæ sunt; quamquam fatendum est, canonicas pœnas absolevisse. Si vero fragmentum aliquod in fœminæ pectus deciderit, præstat, ut fœmina suis ipsa manibus levatum in os injiciat (4).

Parochus eucharistiam deferens vel cadaver associans, si impeditus sit, quominus eat per viam publicam, jus habet transeundi per agrum alienum nec impediri potest a domino; id enim jure communi concessum est cuilibet de populo (5).

Si quis sacerdos ægrotus viaticum suscipere vellet manibus suis atque in os suum inferre non renuente sacerdote, damnari non mereretur (6).

Si quis episcopus vetet, ne in missa in hoc vel illo altari celebranda eucharistia adstantibus ministretur, parendum illi est, nec turbæ ciendæ (7).

Si quis surripiat hostiam vel particulas ex tabernaculo vel e sacra pyxide vel ex ostensorio et extractum asportet, id sufficere censetur pro asserendo furto hostiæ consecratæ; quare reo competet demonstrare, non esse consecratas (8).

(1) *ib. c. 20. n. 4.* — (2) *de sacrif. miss. l. 3. c. 20. n. 3.* (3) *ib. c. 2. n. 6.* — (4) *ib. n. 7.* — (5) *inst. eccl. 89. n. 2.* — (6) *de syn. l. 13. c. 19. n. 27.* — (7) *encyclica die 12. Nov. anno 1742, et de sacrif. miss. l. 12. c. 22. n. 17.* — (8) *ita in bulla Ab augustissimo.*

Eo ipso autem, quod quis id sacrilegii egerit, præsumitur uti voluisse ad malum finem; quæ pariter præsumptio valet contra eum, qui in actu communionis vel post illum e suo vel alieno ore extractam particulam asportaverit. *Ib.*

Rei hujus sacrilegii etiam pro prima vice tradendi sunt brachio sæculari, præcedente in ecclesiasticis degradatione reali. *Ib.*

Si quis mane sumpserit eucharistiam, vesperi vero decidat in lethalem morbum, integrum erit parocho, si vel illum denuo communicet eadem die, sive abstineat, nec potest ab episcopo ad utrumlibet adigi (1).

Quoad eucharistiam pueris administrandam recte admonet Pontifex, non eamdem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis, qui recte valent. In morituris judicio parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget, num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant et adorent (2).

Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione et reverentia ad sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter et decimum quartum ætatis (3).

Extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante, potest et debet semel, iterum, tertio viaticum conferri, petente maxime ægroto; sed quoties et quantum temporis intercedere necesse sit inter unam et alteram communionem, nihil definiendum Pontifex censet (4).

Eucharistiam in oratoriis privatis administrare, quamvis multi vetitum non esse credant, tamen consonans praxis, quæ Romæ obtinet, vetat in diœcesi Bononiensi (5).

Sacerdotes omnes, cujuscumque sint collegiatæ, tenentur feria V. in cœna Domini sacramentum ss. eucharistiæ recipere e manibus celebrantis, ut dicunt decreta plura S. C. apud *Bissum* (6).

(1) *de syn. l. 7. c. 11. n. 2.* — (2) *lib. cit. c. 12. n. 3.* — (3) *ib. n 2.* — (4) *ib. n. 4.* — (5) *inst. eccl. 34. n. 12.* — (6) *v. communio n. 383.; inst. eccl. 38. n. 10.*

Eunuchus.

Nemo abscissionem potest in se permittere, nisi de consilio medici ad servandam vitam; et quamquam theologi quidam admittant, ut possit quis in evirationem suam consentire ad vocis suavitatem servandam, ut dulcius in ecclesia canat atque inde victum sibi honestum procurare possit, adhuc tamen theologorum id negantium opinio communis obtinuit. Disputant vero canonistæ, num (1) sacerdos, qui id in se commiserit, possit munus diaconi aut subdiaconi in missa exercere. Certum est (2), sacerdotem illum posse benedicere, sacramenta baptismi, pœnitentiæ ac extremæ unctionis administrare de licentia episcopi: constat tamen eunuchum hujusmodi incurrere notam irregularitatis, nec episcopo inesse facultatem, ut det licentiam se evirandi (3).

Examinatores.

Examinatores, si in synodo fuerint designati tantum nomine officii, ut sunt ex. gr. prior s. Dominici, non ex hoc intelligitur, quod successor in eodem munere habendus sit ut examinator synodalis; nam est electa industria personæ (4).

Electi in synodo examinatores si interim ante novam synodum decedant, tunc, si saltem sex remaneant, qui numerus de necessitate est ex definitione Tridentini, non possunt alii in eorum locum substitui ab episcopo. Si minores sint numero, tunc suffici possunt alii usque ad sex ab episcopo quidem approbante capitulo (5). Qui tamen examinatores suffecti cessant elapso anno, si interim synodus non celebretur, ut ex decreto *Clementis VIII.* In hoc casu, quo synodus post annum a priori synodo non celebretur, tunc, si non supersint saltem sex in priori synodo designati, omnium etiam superstitum munus cessat. Quare tunc necesse est, ut, si post annum concursus ad vacantes parochiales instituendus sit, petatur

(1) *ex vi cap. Significavit sub titulo de corpore vitiato.* — (2) *vi ejusdem cap.* — (3) *de syn. l. 11. c. 7. n. 4. et 5.* — (4) *de syn. l. 4. c. 7. n. 5.* — (5) *ib. n. 7.*

a S. C. facultas, ut novi examinatores extra synodum deputentur; quæ facultas si obtineatur, uti semper obtinetur, tunc episcopus debet, quos designavit, proponere capitulo a majore ejusdem parte approbandos. Capitulum vero tenetur illos approbare, si habeant qualitates a Tridentino requisitas (1).

Examinatores congruentius suffragia ferunt palam communicando secum invicem, tum indicendo notario, hunc vel illum esse approbatum. In quam sententiam, quæ est *Fagnani*, inclinat Pontifex (2).

In judicio examinatorum nulla fert suffragia episcopus vel vicarius loco episcopi præsidens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia; tunc enim potest episcopus, quibus censuerit, partibus accedere, sed hoc præstare debet tunc coram iisdem examinatoribus (3).

Excommunicatio.

A quibuscumque censuris excommunicationis, suspensionis et interdicti, etiam contentis in bulla cœnæ Domini, absolvere potest major pœnitentiarius, regulares quidem in utroque foro, reliquos vero in foro conscientiæ tantum; quamquam et illos potest absolvere in utroque foro a censuris publicis latis a jure, apostolicæ sedi reservatis, et etiam nominatim declaratis, vel latis nominatim ab homine, si expiraverit jurisdictio judicis delegati, a quo latæ fuerunt, vel quando absolutio remissa fuerit ad Romanum Pontificem, vel quando proprios judices adire rei non possunt. Obligandi sunt tamen rei isti, ut satisfaciant parti; alioquin recidunt in eamdem censuram. Si vero hæc satisfactio a parte recusetur, tunc major pœnitentiarius illi præscribat hanc satisfactionem, qua a parte recusata nihil ultra agendum est (4).

Si episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurrendam a transgressoribus declaretque, illos statim fore evitandos, licet publice ac nominatim denuntiati non sint, quia facti notorietate dignoscitur, illos in excommunicationem incidisse, excommu-

(1) *ib. n. 10.* — (2) *in syn. l. 4. c. 8. n. 4.* — (3) *ita ex Garcia ib. n. 5.* — (4) *bulla Pastor bonus bullar. t. 1. n. 95. §. 7.*

nicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet constitutioni *Martini V. Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat *Fagnanus* (1).

Excommunicatio in bulla cœnæ, qua vetatur fidelibus deferre arma etc. ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo iniquo nocendi fidelibus (2).

Ad postulata episcoporum Albanensium rescriptum fuit a congregatione de propaganda fide, mandante Pontifice, ne inquietarent fideles, si navibus suis ad Turcas, nullo bello inter christianos et Turcas furente, transvehant sclopos majores aut minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum et quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare atrocesque persecutiones evitare (3).

Exemptio.

Exemptio ecclesiastici a jurisdictione sui episcopi non conceditur a congregatione, nisi evidenter probetur sævities contra se exercita, aut justus timor, ne exerceatur, et nec tunc nisi prius audito ordinario, ipsoque fraterne admonito, ut mitius agat (4).

Tunc autem plerumque nihil fit aliud, nisi ut prohibeatur ordinarius, ne procedat ad censuras, carcerationem etc. nisi prius obtenta a congregatione vel a metropolitano facultate. Imo si reus in flagranti crimine deprehendatur, tunc non inteiligitur subtracta facultas ordinario procedendi adversus delinquentem, ut ex decreto S. C. *ibidem.*

(1) *in cap. Quod a prædecessore n. 55. de schismat.; de syn. diœc. l. 12. c. 5. n. 4.* — (2) *de syn. l. 13. c. 20. n. 6.* — (3) *ib. n. 7.* — (4) *c. lib. c. 10. n. 30.*

Executio provisionum curiæ Romanæ.

In bulla *Pastoralis regiminis*(1) feriuntur excommunicatione Pontifici Romano reservata laici impedientes executionem mandatorum, citationum aliarumque provisionum Romanæ curiæ: et illi pariter, qui impedientibus hujusmodi auxilium, consilium vel favorem præstant: regulares vero et ecclesiastici suspensionem ipso facto incurrunt tam ab exercitio ordinum quam officiorum, quæ ambæ censuræ sunt reservatæ Romano Pontifici. Notarii vero sive tabelliones, recusantes facere hujusmodi provisionum et executionum instrumenta publica ad instantiam partis, privantur officio notariatus et infames declarantur.

Exequiæ.

Si testator jusserit, sepulturæ mandari corpus suum sine precibus et psalmis et missis, associatione clericorum, candelis ardentibus, ejus voluntas non est attendenda, ut decidit s. rota coram Molines in Romana funeralium die 15. Junii 1699(2).

Clemens XI. mandavit(3), ut in associatione funeris cujuscumque serventur leges ritualis Romani(4). Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter, quam præscribat rituale; quod tamen fieri non debet absque episcopi scientia, ut ex. gr., si deferendum sit cadaver in curru tecto, quod sæpe alias prohibuit S. C.(5).

Parochi associantes funus ad ecclesiam regularium arceri non possunt ab ingressu ecclesiæ illius cum cruce et stola, ut ex bulla *Pretiosus Benedicti XIII.*(6).

Cadavera sacerdotum, diaconorum et subdiaconorum exponi non possunt in ecclesia alia induta veste quam sacra sui ordinis, ut ex decreto *Clementis XI. Ib.*

(1) *bullar. t. 1. n. 47.* — (2) *inst. eccl. 36. n. 22.* — (3) *in edicto legendo in ejus bull. pag. 317.* — (4) *in tit. de exequiis* §. *Constituto tempore.* — (5) *apud Petra in constit. apost. t. 2. n. 10.* — (6) *ib. n. 26.*

Exorcismus.

Non licet regularibus contradicente episcopo exorcisare in propriis ecclesiis (1).

In epistola ad episcopum Augustanum laudatur encyclica (2) *Clementis XI.*, data 21. Junii 1710, qua injunctum est, ut nemo exorcisans a norma ritualis Romani ulla ex parte discedere præsumat.

Expositio ss. sacramenti.

Expositio ss. sacramenti permitti non debet nisi ex publica causa ab ordinario approbata, etiamsi ecclesia sit regularium, quod ex Tridentino (3) evincit et statuit S. C. concilii; quamquam ex causa privata licet regularibus, in propriis ecclesiis exponere ss. sacramentum, dummodo non extrahatur e tabernaculo, et hostia sit velata, ut ex pluribus S. C. decretis firmatur (4).

Reprobatur apud frequentes scriptores usus exponendi palam ss. eucharistiam in festis sanctorum (5).

Si exponatur ss. sacramentum intra tabernaculum apertum et in pyxide tecta, sex saltem candelæ ardere debent ex sensu S. C. (6).

Verum si extra tabernaculum id fiat in ostensorio velato, tunc saltem duodecim candelæ ardentes apponendæ (7).

Extrema-unctio.

Extremam-unctionem verum esse novæ legis sacramentum a Christo Domino institutum, per apostolum Jacobum fidelibus commendatum et promulgatum, Tridentini Patres definiverunt. Materia ejus remota est oleum ex olivarum bacchis expressum, nulli alteri materiæ saltem ex perpetuo usu ecclesiæ immixtum; quæ tamen materia, si in parva quantitate fuerit, adeo ut non destruat olei speciem, validitati sacramenti nequaquam officit. Debet vero oleum istud episcopali benedictione ante sa-

(1) *encyclica ad episcopos Poloniæ Magno cum animi bullar. t. 3. n. 48.* — (2) *bull. tom. 1. n. 141.* — (3) *sess. 21. c. 8.* — (4) *inst. eccl. 30. n. 11. et 12.* — (5) *ib. n. 15.* — (6) *ib. n. 21.* — (7) *ib. n. 23.*

crari, ut ex antiquissima Patrum traditione colligitur. Ita tamen ab episcopo esse illud oleum benedictum oportet, ut nihilosecius possit ex commissione, sive expressa sive tacita, Romani Pontificis a simplici sacerdote consecrari, ut ex more vetustissimo ecclesiæ orientalis eruitur (1).

Unctionis-extremæ forma, in rituali Romano expressa, est deprecativa; numquam tamen definitum est ab ecclesia, an hæc ita necessaria sit, ut non æque ad sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat, formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen, aliter, quam in rituali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Partes ungendæ aliæ quidem necessariæ sunt, ut sacramentum fiat: aliæ necessitate, uti vocant, præcepti; aliæ vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum et renum unctio; hæc enim in fœminis omittitur; illa vero cum gravi incommodo præteriri potest. Cæteræ quinque sensuum unctiones saltem ex præcepto adhibendæ sunt; num vero singulæ ita sint necessariæ, ut absque illis sacramentum non consistat: alii aliter disputant. Si necessitas urgeat ægri, qui mox decessurus timetur, unicus sensus ungendus est, ea pronuntiata forma, quam rituale in his rerum eventibus assignat, caput tamen præferendum (2).

Sacramenti hujus ministros esse sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit, ita definiente Tridentino (3). Quamquam vero conferri a pluribus simul sacerdotibus valeat, modo tamen singuli suum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde pluribus sæculis in latinam ecclesiam invectus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat totumque perficiat sacramentum; cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest (4). Laudabile tamen fuerit, si, dum res sacra peragitur, plures assistant sacerdotes vel saltem probi viri, *ut oratio totius ecclesiæ* ad effectum hujus sacramenti coadjuvet, quæ verba sunt *s. Thomæ* (5).

(1) *ita docet Pontifex in tr. de syn. diœc. l. 8. c. 1.* — (2) *ib. c. 3.* — (3) *sess. 14. c. 4.* — (4) *ib. c. 4.* — (5) *c. 43. l. 4. contra gentes; ib. n. 5.*

Ministrare istud sacramentum valide omnes sacerdotes possunt; uni tamen parocho de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii si id audeant absque parochi facultate, contra statutum in catechismo Romano peccant. Quinimo religiosi ægrotum ungentes, minime a parocho petita venia, præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidunt, apostolicæ sedi reservatam in clementina 1. de privilegiis; excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum charitatis, non auctoritatis abusum exercent. Hæc dicta sint de latinis sacerdotibus, cum de græcis alia sit ratio: nam apud istos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatus, ut in hoc sacramento conferendo septem sacerdotes vel saltem tres præsto sint(1).

Unguntur vero fideles tali morbo laborantes, unde peritorum judicio mors proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est iis, quibus certum adest vitæ periculum, puta mare transgressuris, prælium inituris, ultimo supplicio afficiendis; cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum sacramentum vel nullum sit vel illicitum. Neque urget Græcorum consuetudo ungendi bene valentes; nam si id agant rati, se conferre verum sacramentum, increpandi acriter sunt et prohibendi; sicut tunc etiam, cum, ut apud illos interdum fit, loco satisfactionis per confessarios imponendæ pœnitentes inungunt(2).

Providendum est tamen a parocho, ne in hoc sacramento administrando supremum vitæ articulum expectet; sed maturius id agat, cum æger nondum sensibus destitutus precibus sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc sacramentum, quamquam non est de præcepto, petentibus deneget; id enim si vel illi negaret vel non offerret, gravem culpam committeret. Quin nec desunt plures, qui opinentur, ægrotum negantem recipere sacram unctionem reum haberi lethalis culpæ, cum ex contemptu sacramenti id renuere merito censeri possit(3).

Pueris ante usum rationis ex perpetua ecclesiæ doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, ætas illa

(1) *ib. n.8.* — (2) *ib. c.5.* — (3) *ib. c.7.*

firmior expectanda non est, qua sacramenti pœnitentiæ capaces censentur. Pueris accensendi sunt etiam perpetuo amentes et furiosi, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam; nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tum inciderunt in amentiam, cum aliquid criminis committere potuerint, utique inungendi sunt (1).

Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc sacramento juvari oportet, si præsertim sensibus destituti aliorum sacramentorum remedio juvari non possint (2).

Ordo in hoc sacramento conferendo, quamquam non idem fuerit semper in tota ecclesia, cum alii statim post sacramentalem absolutionem ante viaticum ægrotos inunxerint, alii post viaticum; cum tamen ecclesiæ Romanæ disciplina in catechismo concilii Tridentini expressa postremam hanc agendi rationem servaverit, æquitatis ratio postulat, ut ab ea non recedatur (3).

Eodem morbo et periculo perseverante repetere sacramentum istud non licet; si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat, et novum mortis periculum urgeat, tunc iterum unctio peragenda est. *Ib.* In dubio tamen, num morbi status sit mutatus, seu num idem perseveret, expedit, ut ad sacramenti iterationem parochus propendet. *Ib. Peccat graviter* ille, qui tamdiu differt extremam unctionem conferre, *cum jam ægrotus omni salutis spe, vita et sensibus carere incipiat.* Verba hæc sunt catechismi Romani de extrema-unctione (4).

An teneatur parochus sacramentum hoc administrare peste laborantibus, dictum est v. Parochus. An valeat, si instrumento, nempe penicillo, inungatur corpus ægroti peste infecti, nihil deciditur; asseritur tamen, hunc ritum in ecclesia hucusque fuisse inusitatum (5).

Non refert, utrum hoc sacramentum conferatur ab uno sive a pluribus presbyteris juxta morem Græcorum, dummodo illi credant, hoc fieri posse etiam ab uno valide

(1) *ib. c. 6.* — (2) *ib. c. 6.* — (3) *ib. c. 8.* — (4) *ib. n. 3.* — (5) *de syn. l. 13. c. 19. n. 17.*

et licite. Necesse tamen est, ut sacerdos græcus, qui ungit, idem et formam pronuntiet (1).

Festi dies.

Opera servilia diebus festis prohibentur, ne ruralibus quidem exceptis; conceduntur tamen, si urgeat vera et non affectata necessitas. Affectata vero illa diceretur, in qua opera, quæ diebus præcedentibus fieri possent, ad diem festum transferrentur. Petenda est tamen a superiore facultas, si quid insurgat necessitatis. Hanc vero facultatem dare solet episcopus parochis ruralibus in ordine ad opera agrestia, qualia se haberent oneratio plaustrorum, collectio frugum et fructuum, herbam secare, colligere fœnum, quando periculum imminet veræ tempestatis, vel quando die sequenti transferenda sunt in civitatem, nec posset id commode differri (2).

Molitores non possunt molitioni incumbere, etiamsi molendinum aqua seu jumentis seu vento volvatur: non possunt, inquam, secluso consuetudine vel necessitate: quæ necessitas si adsit, in diœcesi Bononiensi facultas non a parocho, sed a curia archiepiscopali conceditur (3).

Piscatio inter opera servilia die festo vetita referenda est; si tamen necessitas urgeat piscandi, eo quod statis anni diebus fiat transitus piscium, quo elapso temporis articulo piscatio eorum nulla fieret, tunc pauperibus piscatoribus datum est, ut operi illi incumbere possint, dummodo id non præstent die nativitatis Domini, epiphaniæ, paschatis, ascensionis, pentecostes et corporis Christi, juxta ac olim concessum fuit Trevirensibus ab *Alexandro III.* (4).

Fides.

Actus fidei, spei et charitatis debent per accidens elici, cum aliqua tentatione urgemur, nec illam superare valemus nisi efficacia illorum actuum (5).

(1) *bulla Etsi pastoralis bull. tom. 1. n. 57.* — (2) *inst. eccl. 55. n. 33. etc.* — (3) *ib. n. 37.* — (4) *de syn. l. 13. c. 18. n. 10.* — (5) *inst. eccl. 72. n. 20.*

Non sufficit ad implenda tria ista præcepta seu charitas virtualis, quæ in obsequendo divinis præceptis exercetur, nec etiam fides virtualis, ut ex pluribus damnatis propositionibus firmatur (1).

Si quis diuturno satis tempore negligit elicere actus fidei, spei et charitatis, illum versari in periculo æternæ salutis firmatur *ibidem* (2).

Non licet Christianis degentibus sub Turcarum imperio, vel Turcis, qui ibidem agentes convertuntur ad fidem, turcica sibi nomina vel retinere vel imponere; hoc enim pertinet ad externam fidei professionem: constitutio *Inter omnigenas* ad incolas regni Serviæ et finitimarum regionum: et congregatio universalis inquisitionis in rescripto ad postulata episcoporum Albanensium idem edixit (3).

Christiani ad Turcas apostatantes, deinde redeuntes ad fidem, tenentur coram fidelibus publice abjurare apostasiam: at coram infidelibus non est necessarium, sed sufficit, ut coram ipsis abstineant ab actibus infidelitatis, deponant vestem protestativam falsæ religionis, et curent, ut successu temporis infideles agnoscant vel ab ipsis vel ab aliis eorum abjurationem, etiam cum periculo vitæ. Ita ex decreto s. inquisitionis (4). At in decreto servato in archivio s. inquisitionis non legitur hoc additamentum: *curent*, *ut successu temporis etc.*; quare ad id non esse obligandos fideles additur (5).

Græci.

Græci in Italia degentes ordinem suscipere non possunt, nisi ab episcopo græco Romæ constituto, sive ab altero græco episcopo in Calabria in oppido s. Benedicti Ullani Bisimianensis diœcesis, ut ex constitutione 34. *Clementis VIII.*, quam et *Benedictus XIV.* confirmavit bulla 57. (6).

Quamquam vero habeant aliquando vicarios suos apostolicos ex Græcis assignatos, adhuc tamen et vicarius

(1) *inst. eccl. 72. n. 20.* — (2) *n. 21.* — (3) *de syn. l. 13. c. 20. n. 9.* — (4) *ib. n. 17.* — (5) *ib. n. 18.* — (6) *in bull. tom. 1.; de syn. l. 2. c. 12.*

et cæteri Græci omnimodo jurisdictioni latinorum episcorum subsunt (1).

Græci non tenentur in symbolo pronuntiare *a Patre Filioque*, quamquam id debeant credere. Ubi tamen viget consuetudo, sicut etiam a Græcis in quibuscumque Italiæ et insularum adjacentium regionibus commorantibus, si ab ordinariis locorum ob aliquam legitimam causam fuerint requisiti, illam addere omnino tenentur. Hæc omnia in bulla *Etsi pastoralis* (2).

Licet autem in fermentato eucharistiam conficere permittantur, credere tamen debent, etiam in azymo eam veraciter confici (3).

Item, qui in Dei charitate decesserint nondum plene per pœnitentiam purgati, purgatorii pœnis expiandos esse in altera vita, quibus suffragia fidelium viventium prosint.

Item animas purgatas statim in cœlum recipi ad intuitivam Dei visionem. Qui vero cum peccato mortali decesserint, hos in inferni carcerem protrudi pœnis imparibus puniendos pro imparitate delicti.

Item superioribus hisce adjiciendus est primatus Romani Pontificis in universam ecclesiam. *Ib.*

Hæretici.

Hæretici occulti absolvi possunt in foro conscientiæ a majori pœnitentiario vel de ejus mandato. Occulti vero sunt, qui, etsi hæresim suam extrinsecis actibus manifestarint, nemo tamen illos vidit. Ita in bulla *Pastor bonus* (4).

Potest etiam major pœnitentiarius in foro conscientiæ absolvere publicos hæreticos seu apostatas a fide, quando necesse non est complices denuntiare, illis nempe mortuis sive degentibus in locis palam infectis; non vero, si illi vivant, ubi inquisitionis officium viget. *Ib.*

Principes, vel qui vicarii nomine statui præsunt, dominia et respublicæ illarumque administratores, vel qui administrationem habere solent, episcopi et superiores prælati in casibus publicis contentis in bulla *cœnæ Domini* ab illo absolvi nequaquam possunt (5).

(1) *ib. n. 8.* — (2) *t. 1. n. 57.* — (3) *ib. n. 1.* — (4) *bull. t. 1. n. 95. §. 9.* — (5) *ib. §. 11.*

Sicut nec ab eo absolvi possunt ab incursa censura omnes quicumque, etiam S. R. E. cardinales, qui vivente Romano Pontifice de alio eligendo vel excludendo tractaverint, suffragia iniverint, ambitusque aut pactiones fecerint (1).

Nec potest absolvere eos, qui per astrologiam judiciariam per se vel per alios de statu reipublicæ christianæ sive de vita et morte Romani Pontificis tunc existentis inquisierint (2).

Denique neque potest in casibus publicis violatæ immunitatis seu libertatis ecclesiasticæ, etiam non deductis in judicium (3).

Tenetur episcopus etiam in locis, ubi officium s. inquisitionis viget, sedulo curare, ut creditam sibi diœcesim ab hæreticis purget, et si quem repererit, pœnis canonicis punire debet; cavere tamen debet, ne fidei inquisitores a suo munere obeundo impediat. Deductum vero hæreticum ad suum tribunal non minus episcopus quam inquisitor reconciliare possunt ecclesiæ et pro utroque foro absolvere. Quin et possunt hæreticum, postquam errores suos ejuraverit, ad simplicem confessarium pro absolutione remittere, quæ tunc data a confessario in foro sacramentali absolutio pro foro pariter externo valet (4).

Ab hæresi mere interna et mentali, nullo exteriori signo manifestata, simplex confessarius absolvere potest; cum hæresis sit summo Pontifici reservata per censuram annexam, quæ certe in eo casu nulla est. Potest etiam simplex confessarius eum absolvere, qui verbo aliquo vel facto fidei articulum negaverit, interiori tamen assensu fidem retinuerit; neque enim in ea rerum circumstantia censura illigaretur. Quamquam in foro externo tamquam hæreticus puniretur, et nequidquam obtenderet, se in corde fidem retinuisse (5).

Si vero agatur de hæresi externa occulta nondum deducta ad forum episcopi, olim quidem facultas facta fuit episcopis a concilio Tridentino (6), ut per se, non vero per vicarios suos ab illa absolverent in foro conscientiæ. Sed

(1) *ib.* §. *12.* — (2) §. *13.* — (3) §. *14.* — (4) *ita in tr. de syn. l. 9. c 4. n. 3.* — (5) *ib. n. 4.* — (6) *sess. 24. c. 6.*

cum in bulla singulis annis publicata reservetur Romano Pontifici absolutio inter cætera etiam ab hæresis crimine, et in ea bulla derogetur omnibus contrariis decretis cujusvis concilii, hinc quæstio agitatur apud theologos, num hodie pariter episcopo maneat facultas absolvendi hæreticos in foro conscientiæ. Neganda tamen est illis hæc facultas; nam illis verbis: *non obstantibus cujusvis concilii decretis*, omnis concilii Tridentini facultas episcopis adimitur. Quam in rem multa congregationis s. officii et congregationis concilii afferuntur decreta, et adjiciuntur *s. Pii IV.*, *Gregorii XIII.*, *Clementis VIII.* vivæ vocis oracula, ne quid dixerim de propositione 3. inter damnatas ab *Alexandro VII.*: *Sententia asserens, bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629 18. Julii in consistorio S. C. Em. cardinalium visa et tolerata est.* Ingenue quidem fatendum, hanc propositionem ideo confixam fuisse ex falsa assertione de approbatione S. C., quæ nulla fuit. Vix tamen creditur, Pontificem adeo se præbuisse sollicitum de amovenda hac S. C. approbatione ab ea propositione, nisi et eamdem ipsam propositionem improbabilem judicasset (1): sed nec credi potest, facultatem ab hæresi hujusce absolvendi gallicanis episcopis datam esse, quamquam eam sibi multi arrogent, ut multis argumentis cap. 5. evincitur. Quod vero negatur episcopis, negandum etiam est inquisitoribus Hispaniæ et Lusitaniæ, quibus si aliqua olim fuit in hanc rem auctoritas, modo ex bulla *cœnæ* sublata est (2).

Homicidium.

Cum homicidis et bannitis etiam in casu homicidii voluntarii major pœnitentiarius potest dispensare, ut religionem approbatam etiam tanquam clerici ingredi possint, additis tamen quibusdam clausulis, de quibus Pontifex in sua bulla *Pastor bonus* (3).

(1) *de syn. l. 9. c. 4. n. 9.* — (2) *ib. c. 5. n. 4.* — (3) *bullar. t. 1. n. 95.*

Jejunium.

Dispensatio impetrata in quadragesima vescendi carnibus non continuo deobligat ab unica comestione; quare sic dispensati declarantur ad eam teneri, nec miscere posse *epulas licitas atque interdictas* (1).

Hac vero admixtione vetita est comestio carnium cum piscibus. Ita declaravit Pontifex in epistola ad archiepiscopum Compostellæ (2).

In vespertina refectiuncula debent dispensati illi abstinere a carnibus, nec possunt quidquam aliud gustare, quam quod cæteri non dispensati. *Ib.*

Debent sicut cæteri horam jejunantibus præscriptam in commessatione servare. *Ib.*

Id, quod præscribitur de non miscendis carnibus cum piscibus, æque servandum est in dominicis quadragesimæ.

Utrumque hoc præceptum unicæ comestionis et cavendæ admixtionis carnium cum piscibus urget etiam in jejuniis extra quadragesimam. *Ib.*

Qui tamen ex dispensatione utuntur ovis et lacticiniis, a piscibus abstinere non tenentur. *Ib.*

In petendis a Pontifice dispensationibus generalibus a jejunii disciplina pro oppidis et diœcesibus monentur episcopi, ne faciles se præbeant, sed prius consulendi medicinæ peritiores, exquirendo ab illis, num morbus sit communis, ita ut nulla ætas libera et incolumis esse queat, adeoque ad præservationem a morbo multum conducere judicent, si dispensatio a carnibus concedatur, tunc vero illas petant. Alia, quæ servanda ab illis sunt, latius explicat encyclica *Libentissime* (3).

Potum chocolatis die jejunii tolerat Pontifex (4). Vix tamen admittit majorem longe cyathum, nec omnino tolerat sæpius eadem die iterare. *Ib.*

Filios seu famulos non servare jejunium quadragesimæ quoad abstinentiam a carnibus, eo quod cum patrefamilias dispensetur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur (5).

(1) *constit. Non ambigimus bull. t. 1. n. 19.* — (2) *ib. n. 89.* — (3) *bull. t. 1. n. 130.* — (4) *inst. eccl. 15. n. 10.* — (5) *inst. eccl. 15. n. 25.*

Benedictus XIV. in sua constitutione *Pias Christi fidelium* (1) concedit iterum singulis confratribus confraternitatis s. Mariæ de succursu, in civitate Januæ erectæ, commorantibus in Januensi ditione et dominio et complentibus statuta seu pia opera in ea præscripta, privilegium ovis et lacticiniis vescendi certis diebus quadragesimæ, nempe diebus dominicis, secundis, tertiis et quintis feriis. Hoc insuper privilegium antea concessum prorogat eadem bulla ad omnes feriales dies quadragesimæ, etiam dominicas, comprehensa pariter dominica in palmis et hebdomada majori, quam in priori privilegio exceperat. Sed ab hac exemptione excipit archiepiscopos, episcopos, inferiores prælatos, nec non regulares omnes, et quoad sæculares ecclesiasticos eos, qui ad ordinem presbyteratus fuerint promoti, nisi tamen illi sexagesimum ætatis annum compleverint. Vult tamen, ut illi omnes exempti legibus jejunii de unica comestione in die subjiciantur. Datur illis pariter privilegium, ut bis in vita tantummodo possint absolvi a simplici confessario a reservatis sedis apostolicæ, sicut etiam id possint in mortis articulo. Declarat vero (2), in eadem facultate absolutionis obtinendæ non comprehendi reservata ab ordinariis locorum.

Imagines sacræ.

Non est permittenda imago Spiritus sancti sub figura hominis, cum id numquam obtinuerit in ecclesia (3); *sicut nec imago trium hominum æqualium ad repræsentandam ss. Trinitatem* (4).

Immunitas localis.

Ab immunitate locali præter exemptos in bulla *Gregorii XIV.* alios etiam adjungendos censuit *Benedictus XIII.* in bulla *Ex quo divina*, scilicet sequentes:

1. Impedientes, ne quis recurrat ad locum immunem, vel ex eo violenter extrahunt.

(1) *bull. t. 4. n. 2.* — (2) *in §. 3.* — (3) *in epist. ad episcopum Augustanum.* — (4) *ib. n. 34. bull. t. 1. n. 14.1.*

2. Interficientes proximum animo præmeditato ac deliberato.

3. Adulterantes litteras apostolicas.

4. Reos furti seu quid falsi committentes in monte pietatis vel in loco publico, ubi pecuniæ deponuntur, vulgo *banco*; ex quo crimine arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit.

5. Vitiantes seu abradentes aureas argenteasque monetas cujuscumque principis, etiam externi, cursum in eo loco habentes, ubi delictum committitur; vel sic vitiatas monetas scienter ita expendentem, ut fraudis conscius et particeps censeri possit.

6. Illos, qui curiam simulantes insinuant sese in domo ad furandum, dummodo simul etiam committant homicidium aut mutilationem membrorum in eos, qui etiam per accidens in ea domo sunt, effectu tamen secuto.

7. Homicidium etiam in rixa, si ex processu reus sit deprehensus, seu in exilium eo nomine agitur. Quod valet tantummodo in ecclesiastica ditione(1).

In eadem bulla immunitate privatur ille, qui stans in ecclesia vel in cœmeterio interficit stantes extra illa loca, et vice versa.

Ab ea vero immunitate excluduntur non solum respectu ejusdem ecclesiæ violatæ, sed et aliarum omnium(2).

Declaravit etiam, eos censeri grassatores viarum; si unum tantummodo homicidium seu mutilationem commiserint etiam in via vicinali(3).

Extendit hoc pariter ad mandantes, qui certum præmium promiserint mandatario, etsi non dederint, homicidium tamen seu mutilatio commissa sit,

Clemens XII. hanc bullam confirmavit constitutione sua *In supremo* et extendit etiam ad ecclesiasticos homicidas, sicut etiam ad majores annis viginti, quod omnes comprehensos declarat, si etiam mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit. Adjecit, indicia ad tradendum reum judici sæculari sufficere, si talia saltem sint, quæ ad torturam valeant. Hæc tamen valere statuit tantummodo pro ditione ecclesiastica.

(1) *inst. eccl. 41. n. 21.* — (2) *ib. n. 22.* — (3) *ib. n. 23.*

Denique *Benedictus XIV.* in sua bulla *Officii nostri* (1) confirmavit ea omnia declaravitque, comprehendi etiam ecclesiasticos et mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo aut saxo. Exemit vero, quando commissum esset homicidium casu aut necessaria defensione; restringit enim, quando id agitur ex odio et nocendi animo.

Declaravit etiam, quod, si forte accidat, ut vulneretur quis ad mortem, et percussor statim confugiat ad ecclesiam nondum morte secuta, tunc, si chirurgi grave vitæ periculum adesse retulerint, tunc reus servatis servandis possit extrahi ab ecclesia et mancipari carceribus, ita tamen, ut, si vulneratus vivat ultra tempus a legibus constitutum, ecclesiæ iterum restituatur.

Confirmat constitutionem *Benedicti XIII.* in eo, quod privative ad episcopos pertineat facultas demandandi extractionem delinquentium ejusmodi e loco immuni (quæ facultas dari potest, cum adsunt indicia ad carcerationem), adeo ut, si locus sit nullius diœcesis, tunc recurrendum voluerit pro ea facultate ad episcopum viciniorem, et semper, cum fit extractio, adsit ecclesiasticus ab eo deputatus.

Facta extractione construitur processus de mandato episcopi; si indicia ad torturam sufficientia reperiantur, tunc consignandus est reus judici sæculari (obligando tamen illum sub excommunicatione latæ sententiæ, ut, si reus purgaverit indicia, restituatur ecclesiæ).

Si homicidium perpetratum est in locis a residentia episcopi remotis, mandat, ut de mandato episcopi vicarii foranei indicia ad extractionem necessaria juridice colligant statimque ad episcopum transmittant.

Transgressores sacræ immunitatis, etiam quoad pœnas, declarat eos, qui sine recursu ad episcopum extrahunt, sive etiam obsidere præsumunt loca immunia, ne alimenta ad reum deferantur, sive aliter cogunt reum, ut se dedat curiæ sæculari.

Qui sic egerint, privat eos jure asyli.

Si quæ viget consuetudo inter finitimos principes, ut homicidæ committentes delictum in alterutrius ditione,

(1) *bullar. t. 3. n. 29.*

capiantur et transmittantur ad principem loci, ubi delictum commissum est, ab episcopo loci homicidii exquiri jubet indicia et transmitti ad episcopum asyli, ad quem pertinet mandatum dare de extractione.

Hæc tamen bulla lata est tantum pro ditione ecclesiastica et pro illis principibus, qui eam postulaverint.

Hæretici aut de hæresi suspecti, Judæi post baptismum in apostasiam lapsi possunt ab inquisitoribus extrahi ab ecclesia, sed vel ante vel post capturam commoneri debet episcopus (1).

Qui e loco relegationis, sive e carceribus sive triremibus, in asylum se proripit, nisi reus sit criminum, quæ immunitate privantur, jure asyli potitur (2).

Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos, qui impediunt, ne judex ecclesiasticus cognoscat in causis, in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam (3).

Si quis reus dolose extrahatur ab ecclesia, et extra illam capiatur non per vim aut per salvum conductum, ista dolosa extractio reo non suffragatur, ut ex decreto S. C. die 22. Decembris 1716 (4).

Indulgentia.

Indulgentias plenarias solus Romanus Pontifex conferre potest, cui thesauri ecclesiæ clavium commissa est custodia (5)

Omnibus episcopis facultas a jure conceditur indulgentiam dierum quadraginta largiendi, et centum in eccesiæ dedicatione (6).

Cardinalibus vero centum dierum. Hanc vero indulgentiam etiam regulares lucrantur, cum eorum exemptio non debeat illis in damnum converti (7).

Vicarius capitularis, ne indulgentias quascumque conferat, abstinere debet. Ita ex decretis S. C. (8).

Pro lucranda indulgentia non sufficit opera injuncta

(1) *encyclica ad inquisitores Elapso proxime bullar. t.3. n.40.* — (2) *ib. n.5.* — (3) *inst. eccl. 40. n. 10.* — (4) *inst. eccl. 41. n. 9.* — (5) *de syn. l. 2. c. 9. n. 7.* — (6) *ex cap. Cum ex eo de pœnit. et remiss.* — (7) *inst. eccl. 63. n. 16.* — (8) *de syn. l. 2. c. 9. n. 7.*

præstare, ad quæ alias quis tenetur alio titulo, puta justitiæ etc. (1).

Indulgentiæ a Pontifice concessæ iis, qui cum confessione et communione ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut ecclesia visitetur post confessionem et communionem; sed sufficit, ut, si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi et communicandi, ut ex pluribus theologis firmatur (2).

Si quis pluries intra eamdem diem ecclesiam aliquam visitaverit, in qua est indulgentia, non ideo pluries indulgentiam acquirit, juxta decretum S. C. sub *Innocentio XI.* die 7. Martii 1678 (3).

Indulgentiæ concessæ fratribus et sororibus tertii ordinis sæcularis de pœnitentia s. Francisci, sive collegialiter viventibus sive in domibus privatis, reformavit Pontifex et singulas numeravit, cæteris omnibus revocatis in bulla *Ad Romanum Pontificem* de nova concessione ejusmodi indulgentiarum (4). Sunt autem ejusmodi:

Indulgentia plenaria confessis et sacra eucharistia refectis ea die, qua ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis et communione refectis die festo s. Francisci, die 4. Octobris, s. Claræ, Sancti titularis ecclesiæ, oratorii vel capellæ ejusdem tertii ordinis, die dedicationis s. Mariæ angelorum de Portiuncula, dummodo ecclesiam ipsam etc. devote visitaverint et de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis confessis et communione refectis, et ore vel, si non potuerint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus ecclesiam tertii ordinis seu oratorium sive capellam diebus stationum in missali Romano descriptis, ibique orantibus de more, indulgentiæ illæ conceduntur, quas prædictis diebus visitantes ecclesias Urbis et extra eam consequuntur.

Confessis et sacra communione refectis in festo stigmatum s. Francisci, s. Ludovici Galliarum regis, s. Elisabeth reginæ Portugalliæ, itemque s. Elisabeth Hungariæ reginæ, s. Margaritæ de Cortona, atque duodecim

(1) *encyclica Inter præteritos de quæst. injub. excit. bull. t. 3. n. 21. §. 4.* — (2) *inst. eccl. 48. n. 10.* — (3) *in dicta bulla Inter præteritos.* — (4) *bull. t. 3. n. 41.*

aliis anni feriatis vel dominicis diebus ad libitum eligendis et a superioribus ordinis approbandis, et visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiæ.

Itidem centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint missis aut divinis officiis in ecclesia ut supra celebrandis, seu congregationibus publicis vel privatis tertii ejusdem ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut processiones de licentia ordinarii faciendas, ss. eucharistiæ sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos defertur, vel saltem, si sint impediti, ad signum campanæ orationem dominicam et salutationem angelicam recitaverint. Item, si quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam sive pro ecclesiæ necessitatibus sive pro defunctis fratribus et sororibus recitaverint. Item, si peccantem ad pœnitentiam redegerint, doctrinam christianam rudes docuerint. Tandem quoties opus aliud pietatis vel charitatis exercuerint.

Indulgentiæ pro fratribus tertii ordinis s. Francisci de Paula conceduntur a Pontifice instar fere indulgentiarum pro illis, qui tertium ordinem s. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod indulgentiam plenariam consequantur in festo s. Francisci de Paula, s. Francisci Salesii, dedicationis s. Michaëlis archangeli, et in festo omnium sanctorum, si visitaverint ecclesiam aliquam ordinis, si ibi sit, et in defectu unam aliquam civitatis vel loci, ubi degunt. Cæteræ indulgentiæ eædem omnino sunt ac superiores pro tertiariis s. Francisci Assisiensis. Quoad cordigeros sancti Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo fratre ejus ordinis vel ab alio deputato a superioribus ejusdem ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt confessi et sacra communione refecti, plenariam indulgentiam consequuntur, sicut et plenariam in festo s. Francisci de Paula, visitantes ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo, quo tertiarii s. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem Domini Jesu Christi et ss. aposto-

lorum preces effuderint. Denique cordigeri illi, sicut et tertiarii, pro quolibet bono opere sexaginta dierum indulgentiam consequuntur, in quo differunt a tertiariis s. Francisci Assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes indulgentias applicare pro defunctis possunt (1), pro indulgentiis tertiariorum s. Francisci de Paula.

Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis ab episcopis per benedictionem impertiendæ: vide Episcopus.

Docentes rudes homines publice vel privatim orationis mentalis regulas et modum, itemque, qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes ac sacra communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos et totidem quadragenas de vera indulgentia. Item si assidue eo convenerint, semel in mense vere pœnitentes et sacra communione refecti orantesque pro more indulgentiis consueto indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur; quam pariter ita obtinent ii, qui toto mense unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere pœnitentes et confessi eucharistiam sumpserint et orent pro concordia etc. Concedente hæc omnia Pontifice in bulla *Quemadmodum* (2).

De validitate indulgentiæ Portiunculæ ejusque extensione ad omnes alias ecclesias ordinis s. Francisci ambigi non potest; nullo licet extante authentico documento, scientibus et non contradicentibus Romanis Pontificibus (3).

Item nec de indulgentiis ecclesiæ Lateranensis, quas approbavit et ex integro concessit *Benedictus XIV.* in bulla *Assiduæ sollicitudinis* (4).

Indulgentias *in forma jubilæi* concessas abrogavit *Clemens VIII.*, aliique quidam Pontifices: quare, si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia, videndum erit, num post ea decreta concessa fuerit (5).

Clemens XII. in suo brevi dato die 14. Aug. 1736. indulgentiam plenariam, die ad libitum quotannis eligendo, concessit iis, qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint psalmum *De profundis*, vel

(1) *bulla Inexhausti bull. t. 3. n. 56.* — (2) *bull. t. 2. n. 23.* (3) *de syn. diœc. l. 13. c. 18. n. 5.* — (4) *bull. t. 3. n. 85.* — (5) *ut ex tractatu de indulgentiis P. Theodori p. 2. c. 4. §. 2. ib. n. 9.*

semel orationem dominicam et salutationem angelicam, cum versiculo *Requiem* in suffragium defunctorum; dummodo ea die confessi et communione refecti, preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties easdem orationes ad signum campanulæ recitantes centum indulgentiarum dies consequuntur (1).

Infidelitas.

Signa protestativa infidelitatis hæc indicat Pontifex in suis decretis pro incolis regni Serviæ, incipientibus *Inter omnigenas* (2): Nomina Turcica assumere, infidelium templa, scilicet Moschæas frequentare, jejuniorum dies per carnium esum profanare ad effectum, ut Mahumetani credantur. Damnat etiam peccati illos, qui ex hac vita migraturi cadavera sua Turcarum sepulturæ demandarent, cum istorum assistentia et mahumeticis adhibitis ritibus.

Interdicti.

Interdicti ab ingressu ecclesiæ assistere non possunt missæ et divinis officiis; neque coram illis potest missa celebrari in ecclesia. Spectat vero ad ministros ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex *Suarez* docetur, missam jam inceptam non esse omittendam (3).

Interdicti ab ingressu ecclesiæ, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter DD. *Ib.*

Interdicti ab ingressu ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione paschali, si contumaces se præbuerint, ab episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur (4).

Irregularitas.

Major pœnitentiarius in casibus occultis et pro foro conscientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocumque

(1) *inst. eccl. 61. n. 5.* — (2) *bull. t. 1. n. 89.* — (3) *inst. eccl. 55. n. 11.* — (4) *inst. eccl. 55. n. 11.*

delicto vel defectu proveniente tam cum laicis quam cum ecclesiasticis vel sæcularibus vel regularibus ad hoc, ut possint initiari ordinibus vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates, etiam cathedralis, et quæcumque beneficia ecclesiastica quandocumque ante dispensationes alioquin canonice obtentas retinere; nec non, ut hujusmodi beneficia et dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario vel alio gravissimo excessu, ecclesiis cathedralibus et metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant. Bulla *Pastor bonus* (1).

Ubi additur, in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcumque officia et beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen ordinis *generalatu* in irregularitate ex defectu natalium (2). Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis, in publicis vero in utroque foro, auditis tamen superioribus (3).

Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio et pensione, ut ex decisione rotæ Romanæ (4). Quoad hanc irregularitatem hæc accipe: Clericum in sacris constitutum militantem et arma ferentem in servitium alicujus laici principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilius est, incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit, se neminem mutilasse vel occidisse: ut ex decreto S. C. in Iprensi *irregularitatis* eruì posse videtur (5).

Idem forte affirmari potest de clerico in minoribus beneficiato, cum ea, quæ vetantur ordinatis in sacris, etiam beneficiatos clericos comprehendant (6).

Clerici in minoribus, si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint vel mutilaverint, si tamen ala, in qua militant, homicidia commiserit seu mutilaverit, inducit in eos clericos irregularitatem: in eo enim casu clericus facit unum corpus cum sociis, et ulterius dat operam rei illicitæ (7).

(1) *bull. t. 1. n. 95.* §. *15.* — (2) *ib.* §. *31.* — (3) *ib.* §. *32.* (4) *inst. eccl. 101. n. 18.* — (5) *ib. n. 10.* — (6) *ib. n. 23.* — (7) *ib. n. 8.*

Porro, si ille militaverit sub suo principe, nec certo sciverit, bellum esse injustum, non tenetur per se indagare, num justum sit necne, sed potest credere, bellum esse justum (1). Idem probabiliter dici potest de clerico militante sub alieno principe, quia impossibile esset illi indagare, num sit bellum istud justum injustumve (2).

Si vero bellum esset justum, clericus militans, si certus sit moraliter, se neminem occidisse vel mutilasse, etiamsi hoc factum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem (3).

Demum si bellum sit justum et defensivum, si clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem laici, non incidit in irregularitatem, etiamsi occiderit (4).

Illegitimi sunt irregulares ex defectu adeoque ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus et beneficiis non habentibus annexam animarum curam potest episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero Romanus Pontifex in aliis omnibus (5).

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia et pensiones in ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quæ ab eorum parentibus possessa sunt (6). Sicut et nullæ sunt reciprocæ resignationes a parentibus clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur (7). Quin nec filius illegitimus parochi jam defuncti munus confessarii obire potest in ea ecclesia, quam pater parochus obtinuit, ut ex verbis congregationis vetantis, ne filii illi in ea ecclesia *quoquo modo ministrent*, et ex responso S. C. habetur (8).

Vicissim autem, si pater in aliqua ecclesia munus gessit capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim est hoc beneficium seu pensio, ut ex responsione S. C. *ibidem*.

(1) *ib n. 17.* — (2) *ib. n. 17.* — (3) *ut ex c. Petitio de homicidio voluntario, ib. n. 10.* — (4) *ib. n. 9.* — (5) *ut ex c. Is, qui de filiis presbyter. in 6.; de syn. l. 13. c. 24. n. 11.* — (6) *ex Tridentino sess. 25. cap. 15. de ref.* — (7) *de syn. l. c. n. 13.* — (8) *ib. n. 14.*

Si vero pater dignitatem in ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps emolumentorum, quæ sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex responso S. C. *ib.*

Si patronus beneficii rectorem interfecerit, ejus filii et descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares (1): intellige tamen de filiis natis post homicidium, non vero ante; quæ est interpretatio ab ipsa etiam S. C. admissa (2), et ipse ac reliqui ad patronatum vocati ab eo jure cadunt. *Ib.*

Si pater in hæresim inciderit, etiam filius erit irregularis (3). At relicta a patre hæresi, non quidem ejus, sed filii irregularitas solvitur, ut ex responsis S. C. *Ib.*

In dispensationibus, quæ dantur pro irregularitate filiorum illegitime natorum, apponi solet clausula: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit;* ex quo fit, ut episcopus debeat inquirere in illum et quærere, numquid per decennium moribus integrum se præbuerit; et si toto decennio nihil indignum admisisse compertus sit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex decretis S. C. (4).

Jubilæum.

In jubilæo anni 1750 *Benedictus XIV.* suspendit toto eo anno indulgentias omnes, etiam non plenarias; exceptis indulgentiis alias concessis in articulo mortis, tam illis, quas ex concessione apostolica impertiuntur episcopi, quam aliis quibuscumque communiter aut personaliter concessis pro eodem articulo: item illis, quas lucrantur fideles recitantes salutationem angelicam ad sonum campanæ. Item excepta indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, toties quoties, quas lucrantur ex concessione *Benedicti XIII.* durante præterito anno jubilæi, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti, vel saltem vere contriti, visitaverint

(1) *ex c. In quibusdam de pœnis.* — (2) *ib. n. 21.* — (3) *ex c. Quicumque et c. Statutum de hæretic. in 6.* — (4) *de syn. l. 13. c. 24. n. 22.*

ecclesias, in quibus expositum est sacramentum eucharisticum, et oraverint de more. Item illis, quas concessit *Innocentius XII.* comitantibus seu mittentibus facem, cum sacramentum eucharistiæ ad infirmos defertur; illis quoque, quas concedunt legati de latere et nuntii apostolici, ac episcopi in usu pontificalium aut in benedictione impertienda. Item perseverare concedit indulgentias altarium privilegiatorum pro defunctis; pro quibus etiam valere statuit alias quascumque indulgentias pro vivis concessas, adeo ut pro defunctis acquiri possint, etiamsi in brevibus earum extensio ad defunctos expressa non fuerit.

Suspendit etiam toto eo anno facultates omnes absolvendi a casibus apostolicæ sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota et in eis dispensandi et tollendi irregularitates alias concessas ecclesiis, monasteriis etc., piis locis, magistris, superioribus, tam sæcularibus quam Mendicantibus, adeo ut etiam toto eo anno nec valeant largiri indulgentias, quas solebant coronis, granis, imaginibus et numismatibus ex metallo etc. (1). Excipit tamen facultates episcoporum et cæterorum supremorum antistitum quoad diœcesanos in iis, quæ obtinent ex vi Tridentini et Pontificum concessione in ordine ad dispensandum et absolvendum, quod etiam extendit ad prælatos regulares erga regulares subditos.

Quoad opera præscripta in hoc jubilæo mentem suam ita exponit Pontifex in sua encyclica *Inter præteritos* (2): Pro sacra communione accipere se dicit non sacramentalem tantummodo, sed sacramentalem simul et spiritualem.

Confessionem sacramentalem inter opera injuncta reponit, adeo ut necessaria prorsus sit, etiamsi peccato gravi quis careat.

Diem, intra quem basilicarum visitatio compleri debet, liberum est incipere sive a vesperis diei præcedentis usque ad vespertina crepuscula sequentis diei, sive a media nocte ad mediam noctem.

Qui iter Romanum susceperunt, vel qui pervenerunt Romam, et subita impedimenti vel mortis incursione

(1) *vide bullam Cum nos bull. t. 3. n. 18.* — (2) *bull. t. 3. n. 21. §. 2.*

opera injuncta præstare non valuerant, confessione expiati et sacra communione refecti jubilæum lucrantur.

Facultates absolvendi a reservatis et dispensandi omnes se suspendisse declarat, sive quæ quarumdam indulgentiarum occasione conceduntur, sive quæ alia de causa collatæ sunt.

Regularium confessiones excipere possunt Romæ pœnitentiarii basilicarum, licet alias obstent eorumdem regularium constitutiones vel privilegia a s. sede approbata.

Minores pœnitentiarii Romæ commutare possunt dispensando, non solum vota nuda, sed et, quæ confirmata sunt juramento.

Item absolvere possunt sacerdotes reos censurarum et dispensare in irregularitate contracta ob violationem censurarum tantummodo; quod et præstare possunt cum aliis etiam clericis non sacerdotibus.

Si quis est dispensatus a visitatione basilicarum, non continuo est dispensatus ab aliis operibus injunctis, neque etiam a precibus, *quæ a basilicarum visitatione separari possunt.* Nec sufficiunt ea opera injuncta, quæ quis ex alio titulo præstare alias tenetur, puta titulo justitiæ.

Confessarius neque in jubilæo potest absolvere illum, qui secum fuit reus criminis in re venerea.

Concessis sibi facultatibus uti nequeunt pœnitentiarii extra basilicas seu ecclesias sibi assignatas, nec nisi in actu confessionis, neque cum iis, quibus sincera voluntas jubilæi acquirendi deest. Quos tamen absolvunt, illis pœnitentiam sacramentalem imponere debent diversam ab operibus pro lucrando jubilæo.

In censuris absolvendis præmitti vel saltem promitti cum juramento debet satisfactio parti læsæ. Læsa vero pars non est judex, sed ille, qui damnum passus est.

In constitutionibus jubilæi alia opera præscribuntur Romanis vel Urbis incolis, alia peregrinis. Priori nomine designantur illi, qui intra quintum ab Urbe lapidem habitant: sicut et incolæ Urbis dicuntur, qui Romam advenerunt animo ibi majorem anni partem transigendi; sicut et intra eorum numerum comprehendi vult Pontifex, qui alia quam jubilæi consequendi causa Romam adve-

nerint. Cæteri omnes peregrini aut exteri ad hunc effectum vocantur.

Censet Pontifex, valere communem opinionem theologorum, quæ non obligat præmitti confessionem ad opera præscripta; sufficere enim ad lucrandam indulgentiam credit, si postremum opus fiat in gratia.

Si quis confiteatur, deinde ante completa opera recidat in lethale peccatum, non sufficere illi vult, si conteratur et sic contritus opera perficiat. Vult igitur, ut, quamvis non teneatur præstitas visitationes repetere, debeat iterare confessionem; idemque ab eo præstandum esse dicit, qui in priori confessione invincibiliter oblitus sit subjicere clavibus peccatum aliquod mortale.

Puberes, qui de jure incapaces censentur communionis, dispensari permittit, commutatione facta in aliud opus.

Ad indulgentiam lucrandam non requiritur, ut per portam sanctam quis ingrediatur et egrediatur. Si quis visitationes aliquas basilicarum præmisit, dein per indultum, quod emitti solet intra spatium anni sancti, quo visitationes ad minorem numerum rediguntur, potest computare visitationes præcedentes et indulto uti; sicut etiam eadem indulgentia utendum cum illis, qui ante indultum numerum totum implessent visitationum ab indulto dein emanato præscriptarum.

Mentem esse suam dicit, ut vocalis fiat oratio in basilicis, nec sufficere, si mente tantum oretur.

Si quis intra annum pluries opera injuncta repetierit, acquirere denuo potest indulgentiam; sed alios favores et gratias, quibus prima vice factus est particeps, iterum consequi minime potest, puta iterum absolvi a reservatis aut novorum votorum commutationem obtinere.

Quamquam concessa sit pœnitentiariis minoribus et confessariis, a cardinali vicario Romæ deputatis, facultas absolvendi a peccatis reservatis in bulla cœnæ, non ideo tamen ea facultate generali data est facultas absolvendi ab hæresi externa.

Declaravit insuper in sua constitutione, quæ incipit *Convocatis* (1), illum, qui ex intentione recipiendi jubilæum absolutionem a censuris et votorum commutationem

(1) *bull. t. 3. n. 20. ib. §. 54.*

obtinuit, si postea mutata intentione jubilæum non recipit, non ideo incurrere iterum censuram et votis prioribus obstringi; sed inclinat in sententiam, ut reus habeatur peccati mortalis, qui ita voluntatem suam mutat: censet enim, hic quemdam tacitum contractum celebrari, ut confessarius ex sua parte illum participem reddat gratiarum jubilæi, et ex parte altera pœnitens se obliget ad reliqua opera præstanda.

Præter pœnitentiarios basilicarum et alios a cardinali vicario deputatos pro anno sancto, sunt etiam Romæ alii confessarii ordinarii, ex quibus alii regulares sunt; et ex regularibus alii a suis superioribus destinantur ad suos conregulares auscultandos in confessione; alii vero regulares a cardinali vicario pro excipiendis sæcularium confessionibus approbantur. His postremo a cardinali vicario approbatis respectu suorum conregularium concessæ sunt facultates, quæ dantur confessariis sæcularium, adjecta insuper illis facultate dispensandi ab irregularitate ob violationem censurarum incursa, dummodo sit occulta; quæ tamen facultas non suppetit illis regularibus, qui tantum a superiore suo deputati sunt.

Qui vero a cardinali vicario consuetam facultatem habent audiendi confessionem, nec sunt specialiter deputati pro anno sancto, illis eadem facultas quoad sæculares remanet, quam prius obtinebant; neque enim suspensio facultatum, quæ fit in anno jubilæi, confessarios urbis Romæ comprehendit; quod habet locum etiam in regularibus.

Hæc omnia Pontifex late explicat et exponit in sua encyclica ad pœnitentiarios et confessarios Urbis *Inter præteritos* (1). Ad hanc encyclicam recurrendum, edicit Pontifex in altera encyclica *Celebrationem magni* pro extensione jubilæi ad universum orbem (2).

In altera bulla, quæ continetur in bullario (3), conceditur infirmis utriusque sexus, monialibus, oblatis, tertiariis in communitate viventibus, novitiis et educandis in eisdem communitatibus degentibus; item anachoretis et eremitis, viventibus cum clausura et solitudine, sub regimine saltem ordinariorum; item captivis et carceratis

(1) *bull. t. 3. n. 21.* — (2) *ib. n. 26.* — (3) *ib. n. 24.*

quocumque in carcere; denique infirmis tam sæcularibus quam regularibus, senibus ultra septuagesimum annum, ut possint bis lucrari indulgentiam, dummodo episcopi et superiores commutent illis opera injuncta. Insuper concedit monialibus, etiam novitiis, ut possint pro prima vice dumtaxat ad effectus jubilæi consequendi eligere sibi confessarios, seu regulares seu presbyteros sæculares ex approbatis ab ordinariis ad audiendas moniales. Anachoretis vero, oblatis, tertiariis, mulieribus etiam in conservatoriis degentibus, captivis in carcere detentis, infirmitate ac senectute impeditis, omnibus etiam regularibus facultas datur ad hunc effectum, ut possint sibi eligere in confessarium sive presbyteros sæculares sive regulares cujuscumque ordinis ad confessiones sæcularium audiendas approbatos; a quibus absolvi possunt a reservatis etiam apostolicæ sedi et in bulla cœnæ. Vult tamen, ut in carcere detenti, quorum criminales causæ nondum conclusæ sunt, moneantur de obligatione, qua tenentur, judicibus sæcularibus juridice interrogantibus veritatem aperire.

Vult etiam, ut confessarii illi a monialibus, oblatis aliisque puellis supradictis electi, possint dispensare in votis a monialibus emissis post professionem, quorum observantia cum professione religiosa componi potest. Quoad vero novitias educandas, sicut et quoad tertiarias et in conservatoriis degentes, concedit, ut possint confessarii dispensare quoad vota, etiam jurata, exceptis apostolicæ sedi reservatis.

Alia etiam bulla, quæ incipit *Pastoris æterni* (1), concedit apostatis et fugitivis cujuscumque ordinis, qui citra montes intra quatuor, et ultra montes intra octo menses a publicatione (publicata est die 19. Januarii 1750) ejusdem bullæ redierint ad suam religionem, remissionem omnium pœnarum propter apostasiam incursarum et infligendarum, et insuper impunitatem, dummodo coram superiore suo culpam deprecentur et ab eo absolutionem obtineant.

Jubilæi extensio per universum orbem ita facta est: Intra sex menses a publicatione bullæ suæ incipientis

(1) *bull. t. 3. n. 25.*

Benedictus Deus (1), a publicatione, inquam, in qualibet ecclesia facienda, concedit Pontifex jubilæum instar Romani, quod obtineri etiam ab iis possit, qui anno præcedenti jam Romæ illud lucrati fuerant.

Deputandam vero edicit ab ordinariis locorum ecclesiam cathedralem seu majorem ejusdem civitatis cum aliis tribus ejusdem civitatis seu loci sive suburbiorum, quas teneantur fideles semel saltem in die per quindecim dies continuos vel interpolatos visitare, die incepta a primis vesperis diei præcedentis usque ad vespertinum crepusculum diei sequentis, ubi orent modo consueto.

Navigantes et iter agentes, etsi redierint elapso jubilæi termino ad sua domicilia, seu alio diverterint ad certam stationem, si visitaverint assignatis vicibus ecclesiam cathedralem vel majorem et confessionem ac sacram communionem exceperint, eamdem indulgentiam consequantur.

Concedit etiam impeditis, ut pro visitationibus alia opera præstando designentur a superioribus suis per se vel per prudentes confessarios. Communionem etiam sacramentalem permittit commutari cum pueris nondum admissis ad communionem.

Cum communitatibus vero tam regularium quam sæcularium, capitulis, congregationibus, sodalitatibus, universitatibus, collegiis processionaliter visitantibus ecclesiam, visitationum hujusmodi numerum restringi permittit.

Quoad moniales et novitias concedit, ut eligere sibi possint ad hunc effectum confessarium quemcumque ex approbatis ad moniales ab ordinario actuali loci.

Quoad cæteros omnes etiam regulares concedit, ut possint sibi eligere quemcumque confessarium tam regularem quam sæcularem ab actuali ordinario loci approbatum: a quo absolvi possint in foro conscientiæ ab omnibus censuris a jure vel ab homine latis, etiam apostolicæ sedi reservatis, etiam in bulla cœnæ, et commutari eorum vota, etiam jurata et apostolicæ sedi reservata, excepto voto castitatis et religionis et iis, quibus jus tertio acquisitum est, et dispensare quoad irregularitatem, eam solummodo, quæ contracta est ob censurarum

(1) *ib. n. 27.*

violationem. Reservat vero de more absolutionem complicis in re venerea. Ac tandem declarat, eum, qui prædictis facultatibus compos voti factus fuerit, si dein mutet voluntatem lucrandi jubilæum, non ideo incidere in priores censuras seu votis astringi, quamquam *a peccati reatu vix immunem censeri posse* judicat. Tandem eos, qui morte præventi visitationum numerum complere nequiverint, confessos et sacra communione refectos indulgentia eadem donat.

Absolutio ab hæresi, etiamsi expresse non reservetur in bulla jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi bulla absolutionem a criminibus, in bulla cœnæ expressis, in genere permittat, ut decrevit S. C. s. officii die 23. Martii 1656 sub *Alexandro VII.* (1).

In jubilæo confessarii ab ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi, qui ab ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt, sed modo cessavit. Ita ex pluribus decretis S. C. instit. eccles. 84. n. 27.; ubi tamen ex sensu ejusdem congregationis additur, fideles sic bona fide ab ejusmodi confessariis absolutos non esse inquietandos. *Ib.*

Judæi.

Si Judæus conjugatus ad fidem venerit, uxore in infidelitate perseverante, non potest illi libellum repudii mittere, etiam extra Judæorum domicilium, et coram notario testibusque christianis. Sanctioni huic contravenientes, si forte repudium confecerint intra Judæorum domicilium, et ritibus superstitionis adhibitis, subjacent eisdem pœnis ac judaizantes; mitioribus tamen puniendus est, qui id confecerit extra Judæorum domicilium. Puniuntur pœna pecuniaria notarii christiani; ita in constitutione *Apostolici ministerii* (2), ubi dicitur etiam, ne uxor hebræa ad fidem conversa libellum repudii mittat viro in judaismo perseveranti.

Christianis vetitum est sub excommunicatione, cum Hebræis cohabitare (3); sicut nec accepta mercede servitium illis assiduum impendere. *Ib.*

(1) *inst. eccl. 48. n. 15.* — (2) *bull. t. 2. n. 38.* — (3) *ex c. 5. de Judæis; de syn. l. 6. c. 4. n. 2.*

Hebræi ad fidem conversi suis bonis privandi non sunt, nec a successione et parentum hæreditate excludendi, ut ex bulla *Clementis XI. Propagandæ. Ib.*

Descendentes a Judæis, nisi aliter cautum fuerit in beneficiorum fundatione, vel nisi aliter summus Pontifex statuerit, arceri non possunt, etiam ex constitutionibus privatarum ecclesiarum, a consecutione beneficiorum (1). Idem pariter dicendum de illis, qui ex infidelibus descendunt (2). Idem etiam dicendum de ordinibus sacris (3).

Judices synodales.

Synodales judices, quibus a Romana curia committuntur judicandæ causæ in partibus a curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab episcopis in synodis; et si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab episcopo cum consensu capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero, sive in synodis sive extra, nomina secretario supplicum libellorum Pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacumque diœcesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet (4).

Jurisdictio.

Inferior prælatus ad hoc, ut territorium separatum et jurisdictionem ordinariam et quasi episcopalem in clerum et populum obtineat, cum ipsius episcopi exclusione, non juvatur per quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato; sed requiritur clarum et subsistens apostolicum privilegium aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi: quæ fuit olim decisio S. C. concilii die 7. Januarii 1721, dein approbata a *Clemente XI.* die 14. Januarii et confirmata a *Benedicto XIV.* in suo bullario (5). Tunc autem dicetur consuetudo rite inducta, dum in aliquo loco

(1) *ut ex c. Eam te de rescriptis.* — (2) *de syn. l. 12. c. 1. n. 4. et 5.* — (3) *ib. n. 5.* — (4) *const. Quamvis paternæ bull. t. 1. const. 28.* — (5) *t. 2. const. 33.*

ab immemorabili tempore inferior prælatus omnem omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhibuerit, ut episcopus, in cujus diœcesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, nec in iis se umquam miscuerit (1).

Episcopi, licet habeant capitula quantumcumque exempta, possunt per seipsos sine adjunctis de capitulo visitare ecclesiam, canonicos et beneficiatos, ut decisum a S. C. concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non possint committere hoc munus alteri (2).

Si tamen extra visitationem velint contra canonicum procedere, tenentur duos ex capitulo canonicos adjunctos habere, a capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo canonici constituunt unum tantummodo suffragium; et si ambo conveniant in sententiam episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Tridentino (3) præscriptam (4).

Legitimatio.

Per sequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, et proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet, prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero, num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est (5).

Lex ecclesiastica.

Lege episcopali vel synodali non tenentur illi, qui in diœcesi quidem degunt, sed extra diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines diœceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se et immediate territorium respicit. Verum si quis e diœcesi se absentet

(1) *de syn. l. 13. c. 8. n. 18. et 21.* — (2) *ib. c. 9. n. 6.* — (3) *sess. 25. c. 6. de ref.* — (4) *ita ex pluribus decretis S. C. concilii, et ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in sess. 6. c. 4., altero in sess. 25. c. 6.; de syn. diœc. l. 13. c. 9. n. 7. et seq.* — (5) *epistola ad archiepiscopum Hispaniolæ Reditæ nobis bull. t. 1. n. 133.*

animo declinandi synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum; quare tunc peccat contra eamdem legem. Ita *Clemens X.* in constitutione *Superna* edixit, pœnitentes recedentes a territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii (1).

Lex ab episcopo lata extra synodum, audito tamen consilio capituli, longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem episcopi; neque enim habet quid diversum a lege in synodo lata, quam etiam defuncto episcopo perseverare satis constat (2).

Lex synodalis, si non acceptetur a populo, quamvis peccent non acceptantes, tamen, si id sciat superior, post paucos actus ab eo neglectos et non punitos ligare desinit ex quadam ejus conniventia (3). Si vero id nesciat episcopus, tunc decennium sufficere censetur. Hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur. *Ib.*

Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium: neque enim agitur de præscriptione, qua aliquod jus proprietatis ab ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen, ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, et adsit consensus legislatoris juridicus saltem et legalis, qualem scilicet leges requirunt (4).

Lex synodi dicœcesanæ obligans totam provinciam, si obtinuerit confirmationem a sede apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: *Si juste, canonice ac provide facta sunt, et dummodo sacris canonibus, concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non adversentur:* tunc utique abrogari ab episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, et in confirmatione addatur: *ex motu proprio atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex Pontificis, in qua episcopus dispensare non potest (5).

(1) *de syn. l. 13. c. 4. n. 9. et 10.* — (2) *ib. c. 5. n. 1.* — (3) *ib. n. 3.* — (4) *ib. n. 5.* — (5) *ib. n. 11.*

Matres.

An mater teneatur lactare proprium filium sub gravi culpa? Theologi quidam affirmarunt, cum onus istud impositum ipsis a natura animadvertant. nec ulla sint bruta, quæ natis suis id non præstent; alii tamen melius culpam ea in re levem agnoscunt. Occurrere tamen plures legitimas causas eximendi ab hoc onere matres ultro fatendum (1).

Matrimonium.

Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus (2).

Abstinendum Pontifex ab ea censet quæstione inter theologos agitata, num parochus sit hujus sacramenti minister, seu potius ipsi contrahentes simul materia, forma et ministri hujus sacramenti habeantur. Utriusque sententiæ fundamenta late exposita videnda sunt in synodo diœcesana libro 8. capite 13. n. 1. et seq. Quamquam non obscure inclinare visus est in sententiam, quæ contractus et sacramenti totum, quidquid est, contrahentibus vindicat. Merito tamen reprehendendi sunt illi, qui a contracturis matrimonium non exigunt scientiam doctrinæ christianæ, saltem eorum, quæ ad salutem necessaria sunt. Mandavit enim *Clemens XI.* et ipse etiam *Benedictus XIV.* in quadam encyclica, quæ est in ejus bullario (3), ut parochus ab inituris matrimonium exquirat interrogando, quæ ad salutem necessaria sunt, et si deprehenderit ignorasse, matrimonio jungendi non sunt. Monet insuper cum *Giribaldo*, illos, qui præcipua fidei mysteria sciunt, ea vero, quæ sunt de necessitate præcepti, rudi solum modo tenent, illos quidem posse aliquamdiu retineri a matrimonio celebrando, atque interim parochus illos diligenter doceat; et si deprehenderit, rudiores esse ingenio et exilis memoriæ, ut doctiores effici non valeant, tenetur tandem conjungere (4).

(1) *de syn. l. 11. c. 7. n. 10. et 11.* — (2) *in encyclica ad episcopos Poloniæ Nimiam licentiam bull. t. 1. n. 85.* — (3) *t. 1. n. 42.* — (4) *de syn. l. 8. c. 14. n. 1. et seqq.*

Matrimonium coram parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus celebrari debet, quæ verba sunt Tridentini (1). Reprehendendam vero censet Pontifex episcoporum quorumdam oscitantiam, qui in synodis suis edixerunt, celebrandum esse *coram legitimo ministro*, ex quo ansa data est theologis nonnullis opinandi sententiamque suam ex eorum mente, ut hi quidem arbitrantur, firmandi, parochum esse legitimum sacramenti matrimonii ministrum.

Si episcopus generatim interdicat parocho, ne matrimoniis assistet, adhuc tamen matrimonium valere definit S. C. concilii et firmat Pontifex (2).

Si vero interdictum istud venerit a Pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valet conjugium, cum Pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet: cum impedimentum illud impediens, non irritans censendum sit (3).

Parochus, coram quo celebrari potest matrimonium, est parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum et sensu S. C. constat (4). Quare, si quis habeat duo domicilia in duplici parœcia, in alterutra matrimonio jungi potest: attamen ad habendum duplex domicilium requiritur, ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat (5). Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis et ad rusticana negotia; ita enim perpetuo censuit S. C. (6).

Nullum est matrimonium ejus, qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se conjungendi in matrimonio, non adepto novo domicilio seu quasi domicilio; ita ex sensu perpetuo S. C. (7).

Vagorum parochus quoad matrimonium est parochus loci, ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium theologorum (8).

Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi, qui relicto proprio domicilio aliud

(1) *de ref. matrim. sess. 24. c. 1.* — (2) *in tr. de syn. l. 12. c. 5. n. 2.* — (3) *ib. n. 3.* — (4) *inst. eccl. 33. n. 6.* — (5) *inst. eccl. 33. n. 6.* — (6) *ib. n. 7.* — (7) *ib. n. 8.* — (8) *ib. n. 10.*

quæsituri vagantur; peregrini vero, qui non relicto domicilio peregrinantur alicubi (1).

Scholares, judices, medici etc., qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasi domicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. Ita ex DD. et decreto S. C. (2).

Quoad matrimonia eorum, qui in carcere adstricti detinentur, si detineantur in carcere ex sententia judicis, sive deputati in perpetuum sive ad certum tempus, respectu illorum parochus loci, ubi carcer situs est, est parochus matrimonii. Si vero detineantur in carcere, donec causa eorum expediatur, tunc parochus eorum est ille, ubi habent domicilium. Ita ex sensu S. C. et DD. (3).

Parochus eorum, qui expositi sunt et in hospitali aluntur, quoad matrimonium non est capellanus ejusdem hospitalis, sed parochus, ubi situm est hospitale, ut ex decretis S. C. (4).

Educandæ in monasterio degentes habent pro parocho matrimonii illum, in cujus loco est domicilium paternum, maternum vel fraternum, ut ex multis theologis (5). Si eo careant, est parochus loci, ubi est monasterium.

Famuli habentes domum et familiam in alia parœcia diversa ab ea, quam habet domus heri, parochum matrimonii habent illum, in qua est domus et familia. Ita ex statutis cleri Romani (6) disponitur. Si vero domicilium familiæ habeant extra urbem, et in urbe famulatum, tunc coram parocho urbano contrahunt (7).

Si episcopus mandet alicui parocho, ut assistat matrimonio, reputans, hunc esse verum parochum alterutrius ex contrahentibus, et si postea reperiatur, vere non esse parochum illorum, adhuc tamen mandatum episcopi valet, ut consensus iste sustineatur; ut semel et iterum decisum a S. C. refertur (8).

Matrimonium etiam bona fide contractum coram parocho et unico teste non valet, ut ex responso S. C. concilii constat (9). Vicissim valet contractum coram duobus testibus sine parocho in loco, ubi non est nisi hæreticus, vel si est, illum adeundi libera potestas deest. *Ib.*

(1) *ib. n. 10.* — (2) *ib. n. 11.* — (3) *ib. n. 12.* — (4) *ib. n. 14.* (5) *ib. n. 16.* — (6) *ib. n. 20.* — (7) *inst. eccl. 88. n. 5.* — (8) *ib. n. 4.* — (9) *de syn. l. 12. c. 5. n. 5.*

Parocho præsente, ita tamen, ut neque videat contrahentes, neque auribus verba eorum percipiat, matrimonium est nullum: uti definitum est a S. C. concilii post diligens examen in causa Romana die 7. Martii 1700. At si parochus *affectaverit non intelligere* verba contrahentium, matrimonium valere respondit alio decreto anni 1593 in causa Ulyssiponensi S. C. (1).

Tunc vero *non audire affectat* parochus, si invitus adhibeatur ad contractus celebrationem, et data opera neque videre vult neque percipere, cum tamen facile posset, et testes audierint et viderint: quæ sane ratio fuit decreti S. C. in Carthaginensi matrimonii anno 1753, lati pro similis matrimonii validitate (2).

Parochus, cui interdictum est ab episcopo, ne interveniat matrimonio contrahendo, adhuc tamen non reddit matrimonium invalidum. Ita ex decisione S. C. (3). Idem dicas, si ordinarius tantum vetet vicario parochi, ne assistat, et ille contra mandatum assistat. Item pariter judicandum est, si vel parochus vel ejus vicarius prohibiti ab episcopo nolentes et inviti assistere cogantur. *Ib.* ex eodem decreto.

Matrimonio jungendi non sunt sponsi a parocho, si comperiat illos ignorare necessaria ad salutem (4).

In impedimento disparitatis cultus animadvertendum est, conjugem, qui ad fidem transiit, altero in infidelitate relicto, teneri quidem admonere infidelem, num velit cohabitare absque contumelia Creatoris, et sine ista admonitione fidelis non potest ad secunda vota transire. Verum Pontifex cum neophytis baptizatis pii loci catechumenorum Venetiis dispensat, ut possint contrahere, etiam consensu alterius conjugis infidelis non requisito, dummodo constet summarie et extrajudicialiter, illum moneri minime posse, quamvis postea compertum sit, infideles illos tempore secundi matrimonii fidelis baptizati ad fidem fuisse conversos (5).

Si infidelis conjux veniat ad fidem, et alter consentiat habitare cum illo absque injuria Creatoris, quamvis in

(1) *ib. l. 13. c. 23. n. 1.* — (2) *ib. n. 11.* — (3) *ib. n. 1.* — (4) *encyclica Etsi minime bull. t. 1. n. 42.* — (5) *constit. In suprema ib. n. 117.*

infidelitate perseverare velit (quod judicandum pertinet ad episcopum) tunc decrevit S. C., non posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem adsciscere. At eo ipso, quod alter velit in infidelitate perseverare, censent theologi plures, satis esse periculi in neophyto. Verum hujus dubii solutionem, recte monet *Cabassutius*, ex moribus regionum et casuum circumstantiis pendere (1).

Accidit, ut infidelis plures uxores in infidelitate accipiat, tum veniat ad fidem, et fidem pariter una ex his uxoribus recipere sit parata, non tamen illa, quæ prior ducta est, quæ propter distantiam locorum, vel ignorando, ubinam sit, requiri judicialiter non possit. Demum post renovatum cum illa, quæ venit ad fidem, matrimonium (quod fieri non potest absque renovatione consensus coram parocho et testibus, eo quod prior consensus in infidelitate datus fuisset nullus propter matrimonium prius cum altera celebratum), comparet uxor prior et probat, se non fuisse præmonitam, vel fuisse impeditam, ut suam voluntatem manifestaret; nunc vero paratam se dicit ad fidem amplectendam, vel jam fuisse amplexam, antequam conjugium neophyti cum neophyta celebraretur. In hoc rerum eventu *s. Pius V.* concessit missionariis, ut cum Judæis baptizatis dispensare possent, ad effectum remanendi tamquam cum uxore legitima cum ea uxore, quæ fuerit pariter baptizata. Eamdem dispensandi facultatem concessit *Gregorius XIII.* episcopis, parochis et e societate Jesu presbyteris, ad sacramentales confessiones in iis regionibus approbatis, quoad eos, qui ab Anglia, Aethiopia ac Brasilia in captivitatem adducti et in remotas regiones delati fuerant, ut non expectato nec requisito consensu conjugis in infidelitate ducti matrimonium inire possint cum quocumque fideli, etiamsi conjuges infideles declarare possent, se juste fuisse impeditos ad manifestandam suam voluntatem, vel etiamsi probarent, se fuisse conversos ad fidem tempore secundi matrimonii. Has constitutiones certe emanare potuisse ab iis Pontificibus fuse demonstratur; sed eas extendi non posse ad alias regiones, quantumvis similes rationes suppetant,

(1) *de syn. l. 13. c. 21. n. 1.*

clare constat. Quare, si forte casus accidat, petenda est facultas dispensandi a summis Pontificibus (1).

Si infidelis unam conjugem infidelem duxerit, ita matrimonium valet, ut, si ea vivente alteram superinducat, secundum matrimonium nullum sit, cum matrimonium institutum sit, ut unicam habeat (2).

Si matrimonium ineatur inter duos, qui pravum habent errorem substantiæ matrimonii repugnantem, ut inter Græcos, qui censent conjugii vinculum dissolvi per alterutrius conjugis adulterium, prava hæc opinio non officit validitati matrimonii. Ita resolvit S. C. concilii die 15. Januarii 1724 (3).

Verum si hæc opinio deducatur in pactum tamquam conditio in actu ineundi matrimonii, tunc matrimonium nullum est, uti semper accidit, cum matrimonio est apposita conditio substantiæ matrimonii repugnans, ex decretali *Gregorii IX. cap. De appositis* (4). Hinc, quem subdo, casus resolutus est a S. C. die 20. Maji anni 1754.

In formula, quam Calvinistæ in conjugiis ineundis adhibent, minister sponsum interrogat: *Accipisne illam in uxorem?* respondit ille: *Accipio.* Eadem verba interroganti ministro repetit sponsa. Tum minister iterum ad sponsum: *Personam, quam manu tenes, amas et accipis eam in perpetuam uxorem, nec in ulla illius ærumna deseres, quoadusque in sua honestate et puritate permanserit?* Tantumdem dicit sponsæ. Porro illud: *quoadusque in sua honestate et puritate permanserit*, in sensu Calvinistarum denotat, virum accipere sponsam in uxorem, quoadusque adulterium non contraxerit, eoque commisso vinculum conjugii solvi. Celebrant igitur hæc conjugia cum conditione opposita perpetuitati matrimonii, quæ sane perpetuitas essentiæ conjugii annexa est, ut ex concilio Florentino in decreto de unione Armenorum et instructione *Clementis VIII.* pro Italo-Græcis, confirmata a *Benedicto XIV.* sua constitutione *Etsi pastoralis* (5), constat. Quare optime definitum in congregatione s. officii die 20. Maji 1754, conjugium illud nullum extitisse, adeoque integrum fuisse alterutri sponso ad alia

(1) *ib. n. 3. et seq.* — (2) *ib. n. 8.* — (3) *ib. c. 22. n. 4.* — (4) *ib. n. 5.* — (5) *quæ est 57. bullarii t. 1.*

vota transire (1). Neque obstare judicatum est, prius dixisse utrumque sponsum : *Accipio hunc in conjugem*, deinde ad novam interrogationem utramque conditionem subdidisse ; quia et prior et secunda interrogatio unus idemque actus judicatus est.

Ex his etiam resolutus est a S. C. casus alter die 8. Julii 1724. Vir et fœmina convenerunt ad celebrandum matrimonium coram ecclesia, ut illud nequaquam consummare deberent, sed post quindecim dies mulier monasterium ingrederetur et post probationis annum profiteretur ; interim vero omni juri renuntiabat, quod in mariti personam ex matrimonio sibi acquirere potuisset, consenseratque, ut, si ab his pactis defecisset, matrimonium nullum irritumque declararetur. Ita conventum inter illos, pactaque hæc scriptis consignata sunt ac significata testibus et parocho, coram quibus ineundæ erant nuptiæ. Hoc matrimonium nullum esse declaravit S. C. ex *cap. Si conditiones de condit. apposit. ;* nam abdicatio facta ab utroque de potestate in corpus alterius aperte contraria est substantiæ matrimonii. Quamvis enim in ipsa matrimonii celebratione actu expressæ non essent pactiones istæ, constabat tamen ex antecedentibus et sequentibus simul junctis, conjuges ab iis non recessisse (2).

Matrimonium infidelis in infidelitate contractum non statim resolvitur, ex quo alteruter conjugum baptizatur et alter renuit, sed tunc, cum baptizatus ad altera vota transit (3).

Hebræi cum hæretica non valet, obstante cultus disparitate. Epistola ad cardinalem ducem Eboracensem, data die 9. Febr. 1749 (4).

Num in casu, quo alteruter ex conjugibus ad fidem venerit, relicto altero, qui non vult cohabitare sine injuria Creatoris, dein vero et ipse ad fidem conversus sit, atque interim, postquam secundus, licet ad fidem conversus est, prior conjux secundas nuptias iniverit : in eo casu suadendum sit Pontifici, ut matrimonium in infidelitate consummatum dissolvat in favorem secundi conjugii, ambigit merito Pontifex et censet, id fieri non debere, nisi adsint causæ gravissimæ (5).

(1) *de syn. l. 13. c. 22. n. 9.* — (2) *ib. n. 10.* — (3) *epistola ad vices-gerentem de baptismo Hebræorum etc. Postremo mense ; vide de syn. l. 6. c. 4. n. 4.* — (4) §. *11. et seqq. bullar. t. 3. n. 2.* — (5) *de syn. l. 6. c. 4.*

Catholici, qui cum hæretico matrimonium celebrant etiam in locis hæreticorum, gravissime peccant, quia hoc agendo cum illis in divinis communicant, quod, nisi forte cum gravissima causa, illicitum est. Si vero, postquam sic contraxerint coram parocho catholico, possint iterum coram ministro protestante conjungi ad evitanda gravia damna, quæstio est: ad quam S. C. respondit, minister hæreticus, si assistat hisce matrimoniis ut minister politicus, tunc a catholicis peccatum non committitur; secus vero, si assistat ut minister sacris addictus (1).

Conjugia hæretici protestantis cum fœmina hæretica coram parocho non catholico in Belgio confœderato celebrata valida habenda sunt. Decretum a Pontifice approbatum die 4. Nov. 1741 (2). Item valet ita et in iis regionibus celebratum, si hæreticus catholicam ducat, quamquam postremum hoc illicitum haberi debet. *Ib.* Idipsum reperitur in epistola ad cardinalem ducem Eboracensem data die 9. Febr. 1749 (3).

Nuptiæ inter catholicum et hæreticum conjugem multo rectius non sunt benedicendæ, neque missa in præsentia hæretici celebranda, nec tandem connubii ritus inter ecclesiæ ambitum peragendus, quod et vetitum fuisse a *Clemente VIII.* circa benedictiones quidam referunt (4).

Matrimonia inita a Græcis catholicis in ecclesia orientali post susceptum sacrum ordinem dubium est, num valeant, an tantummodo illicita habenda sint; quare, si forte id accidat, petenda est dispensatio a sede apostolica; sed in dispensatione non exprimitur conditio, ut consensus inter conjugatos repetatur.

Quoad Italo-Græcos matrimonia post ordinem sacrum inita nulla sunt (5).

Impedimentum ex adoptione proveniens ita explicatur a Pontifice (6): Connubium iniri non potest inter adoptantem et adoptatum atque ab isto descendentes; quod impedimenti genus semper durat quoad adoptantem tantum et adoptatum. Secundo inter adoptatum et filios naturales adoptantis. Sed impedimentum istud tamdiu durat, quam-

(1) *ita censet Pontifex cit. lib. c. 5. n. 4. et 5.* — (2) *bull. t. 1. n. 34.* — (3) *bullar. t. 3. n. 2.; vide tr. de syn. l. 6. c. 6. n. 12.* — (4) *de syn. l. 6. c. 5. n. 5.* — (5) *constit. Etsi pastoralis bull. t. 1. n. 57.* — (6) *in tr. de syn. l. 9. c. 10. n. 4.*

diu perseverat adoptio, seu filii remanent sub patria potestate; nam ea soluta, sive per mortem adoptantis, sive per emancipationem filii sive adoptivi sive naturalis cessat impedimentum. Tertio inter adoptantem et uxorem adoptati, seu vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, idque semper durat. An vero hæc impedimenta obtineant tam in adoptione perfecta quam imperfecta, lis est inter DD. Porro adoptio perfecta tunc fit, cum persona extranea sui juris ex principis rescripto ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus fiat ejus hæres necessarius tam ab intestato quam extra. Adoptio imperfecta dicitur, cum persona extranea, constituta sub patris seu avi potestate, solius magistratus alteriusve judicis competentis auctoritate in filium aut nepotem adsciscitur; non tamen in familiam et potestatem adoptantis transit, et succedit solum ab intestato. *Ib.*

Matrimonia filiorum-familias sine parentum consensu contracta, etiamsi in Galliis habeantur invalida quoad effectus civiles, ut de dotis invaliditate et communitate inter virum et uxorem, valida tamen habenda esse in ratione sacramenti censet Pontifex, et oppositum sentientes rejiciendos omnino judicat (1).

In matrimonio puberis cum impubere, malitia ætatem supplente, episcopus potest jure suo licentiam contrahendi largiri (2). Ad pronuntiandum in ea causa cumulativum jus est inter sedem apostolicam et judices ordinarios. *Ib.*

Quoad matrimonia inter impuberes nondum conjugio aptos solus Romanus Pontifex dispensat. *Ib.*

Impedimenta matrimonium impedientia ab episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis, et illud, quod ex voto perpetuæ castitatis et ingrediendi religionem, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Cætera vero matrimonium irritantia tollere, nisi Romanus Pontifex, nemo potest. Excipitur tamen casus, quem statim subdo.

Si forte accidat, ut matrimonium jam fuerit contra-

(1) *ib. c. 11. n. 2.* — (2) *encyclica ad episcopos Poloniæ Magnæ nobis bull. t. 2. n. 51.*

ctum in facie ecclesiæ cum omnibus solemnitatibus, initumque fuerit bona fide ex ignorantia impedimenti juris et facti, et sit consummatum, occultum sit tamen impedimentum, et adiri non possit Pontifex, seu ab eo dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam etc., nec possit separatio fieri sine scandalo; dum simul omnes istæ circumstantiæ adfuerint, tunc ab episcopo ea dispensatio tuto conceditur, quam potest major pœnitentiarius Papæ, sed in foro tamen conscientiæ tantum. Quare, si impedimentum illud postea detegatur et deducatur ad forum contentiosum, impetranda est a summo Pontifice dispensatio (1).

Forte etiam episcopus dispensare poterit in impedimento dirimente occulto, cum matrimonium proxime contrahendum est, in casu, quo tales urgeant rerum circumstantiæ, ut nec ss. Pontifex consuli possit, nec matrimonium differri sine scandalo aut infamia contrahentium. Tunc censendus est ss. Pontifex tacite delegare episcopo potestatem dispensandi (2).

His præcisis rerum circumstantiis nemini fas est episcopo dispensare in impedimentis publicis matrimonium dirimentibus. Neque enim verum est et sanum axioma illud a nonnullis adoptatum: *Quidquid potest Pontifex in universo orbe, si excipias, quæ totius ecclesiæ statum respiciunt, velut fidei articulum definire, potest episcopus in sua diœcesi, nisi Papa sibi illud reservaverit.* Non enim potest inferior legem a superiore latam relaxare. Sunt, qui consuetudinem prætendant; at considerent attente, cum res sit de minuendis juribus, Romano Pontifici unice competentibus, num 100 ad minus annorum spatium sine ulla interruptione perseveraverit. Considerandum insuper est potissimum, num per eam consuetudinem *disrumpatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ*: tunc enim numquam contra legem præscribitur (3).

In contractis matrimoniis pro eorum revalidatione non dispensat s. pœnitentiaria in gradibus primo et secundo consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita, nisi forte in secundo gradu per decennium duravit occultum impe-

(1) *de syn. l. 9. c. 2. n. 1.* — (2) *ib. n. 2.* — (3) *c. Cum inter de consuet.; ib. n. 3.*

dimentum, et conjuges ut legitimi reputati fuerint. In reliquis vero dispensat, sicut et in gradibus tertio et quarto publicis revalidat matrimonia ex causa occulta subreptionis et obreptionis litterarum apostolicarum nulliter contracta, nisi si falsitas consistat in narratione falsa præcedentis copulæ (1).

Si in dispensatione a dataria obtenta quoad gradus prohibitos reticeatur copula ex causa infamiæ, tunc sacra pœnitentiaria dispensat in matrimonio contrahendo, et etiam contracto; at cum agitur de primo in secundum gradum, exigit compositionem 50 ducatorum auri de camera, nisi gratia prior fuerit expedita in forma pauperum (2).

Si in dispensatione a dataria petita in impedimentis graduum expressa fuerit copula, tacita tamen mala intentione facilius obtinendæ dispensationis, tunc, si mala intentio sit occulta, dispensat s. pœnitentiaria cum miserabilibus personis absolute, cum reliquis taxa definita. Si vero copula habita fuerit affinitate seu consanguinitate non agnita, tunc pro dispensationibus non est necessario exprimenda (3).

In impedimentis occultis affinitatis ex copula illicita, absente etiam periculo scandalorum in contracto et contrahendo matrimonio, in foro conscientiæ dispensat.

Dispensat etiam in impedimento criminis tam pro contracto quam pro contrahendo, ubi nulla adest machinatio. Potest etiam dispensare, quando agitur de machinatione ex parte tantum alterutrius; id tamen rarius præstat (4).

In impedimentis dispensat, etiam si fuerint multiplicia; sicut et dispensat in foro conscientiæ pro legitimatione prolis, nisi illa concepta fuerit in adulterio (5).

In dispensationibus pro impedimentis matrimonii super gradibus vetitis impetrandis, si taceatur copula antecedens, sicut (si adfuerit) intentio facilius obtinendæ dispensationis, rescriptum vitiatur, ut DD. (6). In contractis tamen matrimoniis, si hoc vitium occultum perseveret, dispensat pœnitentiaria (7).

(1) *bulla Pastor bonus bull. t. 1. n. 95. n. 40.; vide inst. eccl. 87.* — (2) *ib. §. 41.* — (3) *inst. eccl. 87. n. 23.* — (4) *ib. n. 44.* — (5) *ib. n. 45.* — (6) *inst. eccl. 87. n. 13.* — (7) *ib. n. 14.*

Clausula illa in dispensationibus matrimonialibus: *absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur*, eam vim habet, ut, si impedimentum ex occulto fiat publicum, possit ordinarius conjuges separare a toro. Si tamen illi occulte sine scandalo debitum invicem reddant, non peccant, ita sentiente *Navarro* (1).

Si ordinarius subodorans impedimentum velit procedere in cognitionem delicti, id potest, imo debet facere, etiamsi reus protestetur de obtenta dispensatione. Si vero certioretur ea de re ab aliquo fide digno, ut a confessario seu parocho, qui possunt id clam testificari episcopo, tunc debet episcopus acquiescere, nec debet ad delictum puniendum procedere, ut ex *Clericato* monet Auctor (2).

Postrema clausula sic enuntiatur: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute etc.* Rejicitur sententia opinantium, hanc non esse conditionem; sed ut confessarius instruatur, quo certior sit contractus, ac veram esse conditionem ex *ablativo absoluto*, quo enuntiatur, ut est juristarum sensus, demonstratur (3).

Nec admittitur sententia asserens, quando fieri non possit revelatio impedimenti, sufficere. ut pars illud sciens habeat copulam cum parte ignorante affectu maritali; cum prior consensus partis insciæ fuerit nullus, adeoque ex parte illius nullus sit, unde debet innovari. Aliorum sententia pariter rejecta est, eorum nempe, qui suadent, ut sciens impedimentum proponat alteri, se adeo illam amare, ut denuo cum illa velit ligari; si alter respondeat affirmative, consensus censetur innovatus. Hæc tamen opinio rejicitur, eo quod consensus præstitus a parte inscia sit consensus junctus cum errore; quare non adimpletur conditio: *dicta muliere certiorata.*

Præfertur cæteris quarta ratio certiorem reddendi partem ignaram, et tunc fit, cum parti ignaræ dicitur, in priori matrimonio defuisse consensum validum; adeoque suasu confessoris se proponere, ut iterum innovetur ex parte utriusque (4).

Sed quid, si timor occurrat, ne parte ignara certiorata

(1) *ib. n. 50.* — (2) *ib. n. 50.* — (3) *inst. eccl. 87. n. 68.* — (4) *ib. n. 78.*

de nullitate consensus futurum sit, ut illa renuat novam celebrationem, adeoque sic soluto matrimonio timeatur, ne nata antecedenter proles declaretur illegitima? Tunc utique de prole non est, cur dubitetur; nam semper habetur ut legitima, cum impedimentum est occultum, et unus saltem ex conjugibus in bona fide versatur. Verum si adhuc perseveret metus scandalorum ex resolutione hujus matrimonii, suadet Auctor, ut per novas litteras exponatur s. pœnitentiariæ casus, vel recurratur ad episcopum, qui id suadebit, quod erit opportunum (1).

Causæ matrimoniales a curia Romana commissæ in partibus non delegantur nisi episcopis, vel si nullus sit in diœcesi, saltem vicinioribus; et si vel illi abfuerint, judicibus synodalibus (2). Mandat insuper Pontifex, ut in singulis diœcesibus defensor matrimoniorum designetur, qui semper adsit in judicio et citetur in omnibus actibus. Si vero judex in partibus pro validitate matrimonii sententiam ferat, ab ea sententia appellatio nulla intercedat. Secus, si pro invaliditate, defensor appellare debet intra tempus legitimum, sive pars instet sive non. Pendente vero appellatione ad novas nuptias transire conjuges vetantur sub pœnis contra polygamos constitutis.

Post duas sententias conformes de nullitate matrimonii licitum est conjugibus transire ad alias nuptias, dummodo pars seu defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, *ib.* Pacta prævia inita inter conjuges de non appellando a sententia de nullitate matrimonii irrita declarat Pontifex in encyclica ad Polonos (3).

Matrimonia inter hæreticos sine præsentia parochi in provinciis fœderati Belgii, cum non sit ibi receptum concilium Tridentinum, tenent; quemadmodum etiam matrimonia inter hæreticam et catholicum ab incolis illorum locorum sustinentur. Idem statuitur, si uterque contrahens pertineat ad militias ordinum fœderati Belgii, addictas muniendis arcibus, vulgo dicti *di barriera*. Extenditur ad contrahentes in civitate Mosæ Trajectensis. Sed si contrahentes habentes domicilium in provinciis fœderatis velint contrahere in regionibus catholicis, seu vicissim

(1) *ib. n. 80.* — (2) *constit. Dei miseratione bull. t. 1. n. 33.* — (3) *bull. t. 1. n. 85.*

velint contrahere in provinciis fœderatis, cum habeant domicilium in regionibus catholicis, nihil de illis decernitur (1).

Denuntiationes matrimoniales non sine gravi causa dispensentur ab episcopo, mandat Pontifex (2). In eo vero casu, quo fiat dispensatio, jubet, ut nomina contrahentium et fides celebrati matrimonii a ministro deputato facta, in libro secreto adnotentur, quem sigillis clausum servandum esse in episcopali cancellaria edicit. Si proles nascatur, ejus parentes et fides collati illi baptismatis in eodem libro adnotanda est; quapropter moneri jubet contrahentes in actu contrahendi matrimonii, ut intra triginta dies a nativitate numerandos moneant de his omnibus episcopum, et si secus fecerint, sciant, occultum matrimonium fore revelandum ab episcopo.

Matrimonio celebrato non promissis denuntiationibus, nec obtenta ea de re ab episcopo facultate, si assistat parochus, suspensione ad triennium plectendus est (3), a qua suspensione toto eo triennio absolvi ab episcopo nequit, ut ex *Sanchez* firmatur (4).

Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo et pompa nuptiarum, ut (5) monent theologi et notatur inst. eccles. 70. n. 5.

Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur, et quidem potissimum, benedictiones in missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex *Sanchez* aliisque notatur (6). Quare cum temporibus feriatis celebrari nuptias permittit episcopus, numquam licet benedictiones illas conferre (7).

Imo et tota missa pro sponso et sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est missa de tempore (8).

Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quamquam illa sint de se licita), quia in synodis vel ex consuetudine introducta vetita illa habentur; quare requiritur, ut episcopi facultas intercedat (9).

(1) *constit. Matrimonia bull. t.1. n.34.* — (2) *constit. Satis vobis ib. n.35.* — (3) *ex c. Cum inhibitio de clandest. despons. §. final.* — (4) *in tr. de syn. l. 12. c. 6. n. 2.* (5) *ex c. Capellanus de feriis.* — (6) *inst. eccl. 80. n. 7.* — (7) *ib. n 2.* — (8) *ib. n. 11.* — (9) *ib. n. 4.*

Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis consummari possunt, ut ex sensu DD. theologorum statuitur (1).

Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex congregatione firmatur (2).

Matrimonia per procuratorem contracta valent, ut communis est theologorum, etiam post Tridentinum scribentium, sententia. Quamquam cautius est, ut, quæ sic conciliata sunt, iterum præsentibus conjugibus coram parocho renoventur: quæ tamen dicta sunt ad cautelam, non autem ad necessitatem (3).

Matrimonia occulta, antequam ab episcopo permittantur, debet ille exquirere qualitatem, gradum et conditionem petentium, an sint sui vel alieni juris, an sint filiifamilias, et num illæ nuptiæ sint tales, ut pater juste illis possit dissentiri. Cum vero omnia repererit ad formam, debet deputari ad assistendum eisdem nuptiis parochus alterutrius ex contrahentibus, nec, nisi ex gravi causa, id muneris demandari debet sacerdoti a parocho diverso; qui sacerdos vel parochus debet exhibere episcopo documentum celebrati matrimonii cum nota loci et temporis et testium, qui interfuerunt. Id vero documentum transcribatur in libro diverso ab illo, in quo reliqua publica matrimonia annotantur, idemque liber clausus et sigillis obsignatus in episcopali cancella caute servetur, non aperiendus, nisi cum alia similia matrimonia annotanda sunt. Mandat Pontifex, ut proles inde nata denuntietur episcopo vel per litteras parentum manu propria signatas vel per personam fide dignam a parentibus designatam, eademque attestatio scribatur in libro diverso ab eo, in quo matrimonia occulta describuntur, utriusque parentis nominibus appositis. Qui liber custodiendus est ea diligentia, qua liber matrimoniorum occultorum. Verum in celebratione matrimonii hujusmodi ille, qui parochi nomen et vices gerit, debet monere conjuges, ut prolem ex eo conjugio natam denuntient episcopo, eo modo, quo supra; alioquin, si hæc omittantur, denuntiet, episcopum, secreti fide neglecta, matrimonium illud occultum revelaturum, ne filiis natis jactura inferatur (4).

(1) *ib. n. 17. et 18.* — (2) *ib. n. 21.* — (3) *de syn. l. 13. c. 23. n. 9.* — (4) *ita in bulla Satis vobis bull. t. 1. n. 35.*

Cum petita fuisset a Pontifice dispensatio de tertio in quartum consanguinitatis, et contracto matrimonio non jam consummato repertum fuerit inter conjuges, intercedere non unum, sed duplex impedimentum itidem de tertio in quartum; ideo supplicatum fuit pro dispensatione in eodem secundo impedimento, et vir, cujus nomine oblata est supplicatio, significavit, uxorem suam esse insciam novi hujus impedimenti, quia, si hoc scivisset, institisset pro nullitate matrimonii, et si hoc dissolvetur, magna scandala oritura essent; Pontifex concessit novum breve, in quo dispensavit in radice matrimonii. Uxor in nova supplicatione demonstravit, se consciam fuisse secundi hujus impedimenti ante concessionem secundæ hujus dispensationis, et dum parabat se opponere huic matrimonio ratificando, obtentam fuisse a viro, se inscia, dispensationem. S. C. resolvit pro invaliditate ejusdem matrimonii: cujus resolutionem *Benedictus XIV.* confirmavit in sua bulla *Etsi matrimonialis* (1).

Matutinum.

Matutinum non est segregandum a laudibus sine causa, quæ optima suppetit ecclesiæ, sejungendi matutinum a laudibus nocte natalis domini (2).

Peccat etiam venialiter, qui sine ulla legitima causa horam non servat, ut ex *d. Thoma* (3).

Hora recitandi matutini die præcedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in calendario Romano annotatum est (4).

Medicus.

Medici tenentur sub gravi monere infirmum, cum vocantur ad eum curandum, ut vocet confessarium, ut provideat de salute animæ suæ: ita præcipiente concilio Lateranensi (5). *S. Pius* (6) jubet, medicum ante omnia id monere; neque tertio die ulterius illum visitare, si vocare confessarium recusaverit: transgressores medicos

(1) *bull. t. 4. n. 50.* — (2) *inst. eccl. 24. n. 9.* — (3) *ib. n. 9.* (4) *ib. n. 10.* — (5) *in c. Cum infirmitas de pœnit. et remiss.* (6) *in sua constitutione 3. in bullario Romano.*

incurrere pœnam infamiæ et privationem omnium privilegiorum ejus professionis. Mandat insuper, ut nemo deinceps lauream medicinæ obtineat, nisi prius juret coram publico notario et testibus ejus bullæ observantiam. Neque ab his servandis excusantur medici de consuetudine jam per longum tempus introducta, cum ob singulorum juramentum consuetudo ista induci non potuerit. Sufficit tamen, si medicus id moneat per alium virum gravem (1).

Non tamen tenentur sub gravi monere ægrotum in quocumque morbo, sed quando ita aliquo morbo corripitur, ut attentis omnibus judicari possit, periculum esse, ut evadat mortalis (2). Consultius est tamen, ut moneatur ægrotus, etiamsi non timeatur periculum illud (3).

Si tamen ægrotus renuat confessionem, et morbus sit adeo periculosus, ut desertus a medico timendum sit, ne moriatur, docent tunc theologi, deserendum a medico non esse, ne ægrotus amittat spem sanitatis recuperandæ adeoque resipiscendi (4).

Laici artem medicam vel chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non tamen incurrunt irregularitatem; attamen *ad cautelam* petunt et obtinent dispensationem, si promoveri ad ordines sacros postulant; attamen ejusmodi brevia non conceduntur, nisi prius audito episcopo, cui injungitur, ut distincte referat casus omnes animadversione dignos eorumque peculiares circumstantias, simulque exponat, cujus rei gratia orator ad ordines sacros promoveri poscat (5).

Sacros vero ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum ecclesiastico beneficio, ex præscripto sacrorum canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere. Hoc vero indultum non obtinetur nisi exposita causa, nempe quod locus, in quo orator degit et profiteri cupit, vel sit pene destitutus, vel non satis illi provisum sit ex medico laico, vel denique ejus familia tantæ sit egestatis, ut providendum illi sit ex honesto lucro ex arte medica percipiendo (6).

Regulares vero in missionibus agentes privilegio do-

(1) *inst. eccl. 22. n. 16.* — (2) *ib. n. 18.* — (3) *ib. n. 22.* — (4) *ib. n. 17.* — (5) *de syn. l. 13. c. 10. n. 4.* — (6) *ib. n. 6.*

nantur (1), ut possint exercere artem medicam. Hoc tamen privilegio frui non possunt, nisi in ea arte sint periti et gratis remedia præscribant, ac tandem abstineant ab incisione et adustione. Denique requiritur, ut non adsint medici laici; vel sint quidem, at hæretici vel Hebræi, ut ex decreto congregationis de propaganda fide (2).

Regulares ex instituti sui ratione hospitalium curam et administrationem obtinentes, medicam artem exercere non possunt extra illa hospitalia. *Ib.*

In prædictis indultis apostolicis, monachis vel clericis concessis, semper apponitur hæc limitatio: *absque incisione et adustione* (3).

Clericis sæcularibus, sacris ordinibus insignitis, si concessum fuerit indultum, ut provideant familiæ indigenti, illud durat, quoadusque orator certos ecclesiasticos reditus vel residentiale beneficium obtinuerit.

Insuper affertur limitatio, ne quid exposcat ab ægrotis; neque enim ecclesiastico sæculari medico vetatur, ut sponte oblata recipiat, præterquam a veris egenis, a quibus nihil penitus potest accipere. *Ib.* Regularibus vero indultariis semper datur cum modificativa, ut nihil penitus ab ægrotis recipiant. *Ib.*

Porro indulta illa ecclesiasticis vel regularibus concedi non solent, nisi prius audito episcopo, testante de viri peritia in ea arte et de indigentia medici in ea civitate vel oppido. Præterea exquiritur etiam pro regularibus testimonium superioris regularis circa mores illius, qui indultum petit. Si vero non præmittatur testimonium episcopi, adhuc tamen pontificii brevis executio episcopo committetur, qui commissum munus impleturus de his omnibus certiorem se reddere tenetur (4).

Chirurgiam vero exercere ecclesiasticis sæcularibus et regularibus longe difficilius conceditur, et tunc solum, cum omnis omnino chirurgus laicus deest; quin et tunc sine adustione et sectione (5).

(1) *ex bulla potissimum Clementis XII. Cum sicut.* — (2) *ib. n. 7.* — (3) *ib. n. 8.* — (4) *ib. n. 9.* — (5) *ib. n. 11.*

Meditatio. Vide Oratio.

Missa.

Missæ sacrificium est *latreuticum* et *eucharisticum*, i. e. laudis et gratiarum actionis pro beneficiis acceptis; est *propitiatorium*, quo expiantur peccata, non eo tamen modo, quo baptismus et pœnitentia, peccata remittentes per gratiæ infusionem; sed Deus intuitu hujus sacrificii pœnitentia donum largitur seu peculiarem gratiam donat, qua quis excitetur ad contritionem vel ad absolutionem in sacramento pœnitentiæ utiliter consequendam. Quoad remissionem tamen pœnæ, abolita jam culpa, immediate illam remittit. Remittit, inquam, illi, pro quo offertur, ea tamen mensura, quæ Deo placuerit (1). Est denique *impetratorium* spiritualium et temporalium bonorum (2).

An ejusdem sit efficaciæ, sive a bono sive a malo sacerdote missa celebretur: respondendum est, fructum provenientem ex opere operato numquam minui, et si applicetur, semper operari, dummodo impedimentum nullum obstet (3).

Alius est fructus, qui oritur ex universa ecclesia offerente sacerdotum suorum ministerio. Ecclesia vero est semper sancta, pulchra, sine ulla ruga aut macula.

Tertius tandem est fructus ex ipso celebrante veniens, diciturque pariter *ex opere operantis*, atque iste ex majori vel minori sacerdotis sanctimonia minuitur augeturve. *Ib.*

Missæ fructus triplex est: *generalissimus*, cujus fideles omnes sunt participes; *specialissimus*, quo sacerdos fruitur; *medius*, quem sacerdos applicat pro iis, pro quibus sacrificium offert (4).

Materia sacrificii missæ est panis triticeus et vinum ex uvis. Si vero magna esset permixtio farinæ ex aliis frugibus, et permixtio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi (5). Nec post consecrationem novus liquor et præsertim aqua in calicem in-

(1) *de sacrif. miss. l. 2. c. 13. n. 17.* — (2) *ib. n. 19.* — (3) *ib. n. 20.* — (4) *de sacr. miss. l. 3. c. 8. n. 1.* — (5) *de sacr. miss. l. 3. c. 10. n. 15.*

fundendus est (1). Alioqui censet *s. Thomas*, corruptionem sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æque a scholasticis omnibus probatur.

Ad essentiam sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est; ex quo fit, ut nemini permitti umquam possit consecratio sub unica tantum specie; quamquam si hoc fieret a sacerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, et sacramentum quidem, non vero sacrificium, conficeret; deesset enim tunc mystica victimæ mactatio (2).

Sacerdos verba consecrationis proferens super panem et vinum, sed extra missam, valide quidem, sed illicite consecrat; nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit (3).

In forma consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, et defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim* et verbum *est;* item si loco vocis *hoc* dicatur *istud*. Invalidam, si pro *hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est, an invalida sit consecratio calicis, illis tantummodo verbis prolatis: *Hic est calix sanguinis mei*, cæteris omissis; ideoque si id forte contigerit, repetenda sunt sub conditione verba consecrationis vini (4).

Sacerdos valide consecrat, etsi lethali crimine sit infectus, excommunicatus, hæreticus, degradatus. Licite tamen ut celebret, debet esse in statu gratiæ et a lethali peccato liber (5).

Alioqui duplicis culpæ reum se constituit, conficiendo scilicet vel suscipiendo indigne sacramentum, et infideliter sibi ipsi ministrando (6).

Vetat Tridentinum (7), ne sacerdos peccati mortalis reus, quantumvis contritus, nisi prius sacramentali confessione expiatus, ad celebrandum accedat (8). Permittit tamen sacerdotibus celebrationem prævio tantum actu con-

(1) *ib. n. 16.* — (2) *ib. n. 19.* — (3) *ib. c. 11. n. 11* — (4) *ib. c. 15. n. 15.* — (5) *ib. c. 11. n. 1.* — (6) *ib n. 2* — (7) *sess. 13. c 7. de eucharistia.* — (8) *de sacrif. miss. l. c. n. 3.*

tritionis, dummodo gravis necessitas urgeat, nec sit copia confessarii; simul vero in eo rerum eventu mandat, ut qui ita celebraverit, quamprimum confiteatur (1). Atque ita explicat præceptum divinum ab Apostolo traditum: *probet autem seipsum homo.* In casu vero urgentis necessitatis non sufficit attritio, sed omnino contritio requiritur, vel saltem attritio, quam sacerdos sine culpa contritionem existimaverit. Illud vero præceptum, *ut quamprimum confiteatur*, verum est præceptum, et non consilium; nec ita intelligendum est, ut sacerdos non teneatur crimen suum confiteri, nisi quando rursus est celebraturus. Hæc omnia ex variis damnatis propositionibus eruta latius explicantur (2).

Urgens necessitas, de qua hic, ea censetur, si sacerdos eo die non celebrans offensioni esset et scandalo. Item, si parocho celebrandum est ad ministrandum viaticum. Sunt, qui addunt, sufficere ad celebrationem in eo rerum statu, si nuper decessit anima probabiliter sacrificio indigens; quod tamen ab aliis, et merito, minus probatur, cum omnes animæ in purgatorio sacrificio indigeant (3).

Sed quid, si sacerdos cœpta missa recordetur peccati lethalis non expositi in confessione, vel se obstringi aliqua censura, vel jejunium non servasse? Profecto, si ante consecrationem peccati seu jejunii non servati recordatur, missam deserere tenetur, nisi aliud suadeat justus de gravi scandalo timor. Si vero post consecrationem, perficiat et sumat sacramentum præmissa contritione, si occurrat grave peccatum nondum pœnitentia deletum, et (elicito proposito) satisfaciendi postmodum præcepto confessionis et absolutionis. Si vero nequeat conteri, satius est scandalum potius permittere, quam sacramentum conficere et indigne recipere.

Scandalum vero an causaret recedendo ab altari ille, qui in loco privato celebrans cum unico ministro peccati gravis, inchoata missa, recordetur, quæstio est anceps; sunt enim, qui minimum esse scandalum censent, si adsit tantummodo minister puer vel celebrantis servus aut amicus (4).

(1) *ib. n. 4.* — (2) *ib. n. 5.* — (3) *ib. n. 6.* — (4) *ib. n. 9.*

Si ea die, tempore missam præcedente, grave peccatum commissum a sacerdote fuerit, de quo tamen doluit et confessus est, non decet sacerdotem eadem ipsa die celebrare; quia tollitur quidem reatus culpæ, sed non continuo immundities corporis adimitur (1). Idem dicas de eo, qui pollutionem proprii corporis sensit, nec tamen consensum apposuit. Quamvis nulla sit in eo culpa, indecens est tamen ad sacrificium accedere; præsertim si menti tenacius inhæreant pravæ cogitationes (2).

Quid statuendum, si contingat defectum aliquem deprehendi vel in pane vel in vino consecrationis? Ex rubrica repetatur, quæ mandat, si forte accidat, ut post sumptionem sanguinis animadvertatur primo hostia inepta sacrificio, resumendum esse novum panem et vinum cum aqua, et verba consecrationis super utrumque repetenda, sumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie, quam paterētur*, facta tamen prius utriusque oblatione. Sunt quidem, qui putent, sufficere hostiæ tantummodo consecrationem; at tunc *debitus ordo non servaretur;* quæ altera est ex duabus causis, ex quibus rubrica utriusque consecrationem mandat. Quare rubricæ parendum (3).

Si vero post consecrationem sumpta jam hostia cognoscat, vinum ineptum fuisse ad consecrationem: tuncne nova hostia novumque vinum apponendum est, novaque utriusque consecratio facienda? Id utique censent *s. Thomas* ejusque discipuli. Sed post reformatas sub *Clemente VIII.* rubricas missalis legitur in illis expressum, si missa celebretur in loco publico coram multis, ad scandalum evitandum sufficere, si tantummodo apponatur novum vinum cum aqua, et facta oblatione consecretur statimque sumatur (4).

Defectus si occurrat in pane et vino deprehendaturque ante consecrationem, nova materia apta apponatur; si post consecrationem, missa omitti tuto potest; si post sumptionem, necessario omittitur, nisi forte multitudo adesset missæ audiendæ: quo in casu posset sacerdos submissa voce preces aliquas recitare, quæ ad illam partem missæ non pertinerent, et benedictionem populo impertiri (5).

(1) *ib. n. 11.* — (2) *ib. n. 12.* — (3) *ib. c. 15. n. 2.* — (4) *ib. n. 3. 4. etc.* — (5) *ib. c. 15. n. 9.*

Si aqua infusa calici non sit, idque ante consecrationem agnoscatur, infundatur statim; si post consecrationem, missa peragenda est(1).

Si musca vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, effundatur vinum et novum apponatur. Si post consecrationem illud, quidquid est, extrahatur, lavetur et comburatur, et ablutio cum cineribus in sacrario reponatur. Ita *s. Thomas*(2).

Si venenum immixtum deprehendatur ante consecrationem, idem, quod prius, servandum est; si post consecrationem, in aliud vasculum transfundatur, et tamdiu servetur, donec species vini fuerint exsiccatæ, et aliud vinum consecretur; ut ex *s. Thoma. Ib.*

Vinum acescens non est adhibendum in missa; si tamen id fiat, conficitur sacramentum; nec peccant regulares, qui celebrare debent, nec habent auctoritatem vinum commutandi; id enim peccati ligat eorum superiores, ut ex *Quarto* et *Merato* annotatur(3). Vinum, quod ex aqua conficitur botris superinjecta, quale a Latinis priscis lora seu lorea dicebatur, ineptum est ad sacrificium, ut ex theologis firmatur(4).

Vetitum est sub peccato gravi adhibere vinum illud dilutum, quod ex musto et aqua æquali vel fere æquali quantitate conficitur, ut ex theologis(5).

Licitum est tamen adhibere in eam rem vinum, quod ex modo illud conficiendi in regionibus aliquibus habet aliquid aquæ admixtum; est enim vinum usuale(6).

Si guttæ vini reperiantur extrinsecus in cuppa calicis, censeantur non consecratæ et abstergantur purificatorio. Si interius, tutius censeantur consecratæ, et per secundam purificationem assumantur(7).

Generatim monet *s. Thomas*, in dubiis, num aliquid omissum in missa sit, vel si certe constet omissum, nec illud sit de necessitate sacramenti, negligendum esse; si sit vero de necessitate sacramenti, illud iteretur, et reliqua omnia ex ordine deducantur(8).

Cum novi sacerdotes cum episcopo celebrant, non debent intentionem suam ita conformare, ut intelligant, se

(1) *ib. n. 10.* — (2) *ib. n. 11.* — (3) *inst. eccl. 77. n. 2.* — (4) *ib. n. 4.* — (5) *inst. eccl. 77. n. 6.* — (6) *ib. n 7.* — (7) *de sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 7.* — (8) *ib. c. 15. n. 16.*

consecraturos eodem momento, quo episcopus extrema verba protulerit, sive ipsi ante sive postea formam compleverint. Tunc enim effectus formæ remaneret in suspenso; sed debent esse ita animo comparati, ut omne studium ponant proferendi ultima verba cum episcopo, atque ita una cum eo consecrent; ex quo fit, ut, si non ita jungant sua verba cum episcopo, non consecrent, cum non habuerint intentionem consecrandi (1).

Sacerdotes missam cum episcopo celebrantes eleemosynam pro sacrificio illo accipere minime valent, quia dans eleemosynam petit missam modo consueto (2).

Intentio applicationis missæ sufficit, si habitualis fuerit: est enim veluti quædam donatio, quæ semper valet, etiamsi multo ante intercesserit (3). Tempus applicationis, num sit sufficiens post consecrationem, ambiguum est. Præstat, ut sacerdos missam applicet, cum se ad eam præparat (4).

Beneficiatus, cui injungitur a testatore celebratio missæ certis diebus, non explicata applicatione pro se vel pro aliis, debet illis diebus missam applicare pro fundatore ejusdem beneficii; ut S. C. concilii sæpius respondit (5).

Idem dicas, si fundator mandaverit, ut oraretur pro se in missa; nam præsumitur nomine orationis applicationem designasse; nisi tamen ex aliis conjecturis deducatur, aliam fuisse ejusdem fundatoris voluntatem: ut, si pluribus capellaniis fundatis, in aliis mandaverit applicationem, in aliis orationem, ut ex resolutionibus S. C. (6).

Si superior sacerdoti præcipiat, ut missam certo alicui applicet, at ille pro alio offerat, reus est quidem sacerdos inobedientiæ, sed applicatio a sacerdotis voluntate pendet, cum ille sit minister et dispensator sui sacrificii (7).

Missæ applicatio quoad parochos, vide Parochus.

Missa conventualis in collegiatis quotidie celebranda est et applicanda pro benefactoribus in genere; nec sufficit, si pro uno benefactore applicetur, neque satisfit, si beneficiatus seu canonicus teneatur aliunde ex alio debito illam applicare. Si vero præbenda beneficii tenuis

(1) *ib. c. 16. n. 6.* — (2) *ib. n. 10.* — (3) *ib. n. 8.* — (4) *ib. n. 9.* — (5) *de sacrif. miss. l. 3. c. 9. n. 2.* — (6) *ib. n. 3.* — (7) *ib. n. 4.*

sit, nihilo tamen secius supplendum est ex distributionibus: quod si et distributiones et præbenda tenuissimæ sint simul sumptæ, tunc recurrendum est ad congregationem concilii. Ita Pontifex in encyclica ad episcopos Italiæ, incipiente *Cum semper* (1). Sufficit tamen prioris missæ applicatio, etiamsi plures cantentur in collegiata (2).

Si sacerdos sumpta purificatione animadvertat, remansisse in corporali vel patena fragmenta, sive illa magna sint sive parva, illa absumantur; sicut et absumenda sunt fragmenta, si quæ remanserint post distributionem eucharistiæ in adstantes peracta missa (3).

Si tamen, quod remanet, non fragmentum, sed integra est hostia, magna seu parva, hæc post sumptam purificationem non est absumenda, sed vel recondenda in tabernaculo vel ponenda in patena, ut alteri sacerdoti mox celebraturo reservetur: quod si fieri non potest, absumatur. Ita ex rubricis (4).

Particula illa hostiæ, quæ separatur in inferiori parte hostiæ in duas partes fractæ, si cum vino non diffluat in os, sed remaneat in calice, potius, quam digito redigatur ad orem calicis, præstat, ut mediante novo vino hauriatur (5).

Sacerdoti in sacristiam jam restituto post missam et nondum sacris vestibus exuto absumenda sunt fragmenta, si quæ adverterit remansisse in patena. Si vero sacras vestes exuit, quidquid superfuerit e sacrificio, reponendum est in tabernaculo, si adsit: sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est. Ita ex *s. Thoma* (6).

Peccaret graviter sacerdos, si hostiam in missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sumeret hostiam, quæ in eodem tabernaculo antea continebatur (7).

Sacerdos celebrans, si habeat hostiam parvi moduli, melius faceret, si populum doceret, ne miraretur, si illam adhibet pro majori, quæ tunc non suppetit; potius quam utatur sententia aliquorum, qui censent, posse tunc extrahere e tabernaculo hostiam majorem, quæ forte ibi adest, et adhibere illam ad elevationem (8).

(1) *bull. t. 1. n. 103.* — (2) *ib. n. 22.* — (3) *de sacr. miss. l. 3. c. 17. n. 3.* — (4) *ib. n. 4.* — (5) *ib. n. 1.* — (6) *ib. n. 5.* — (7) *ita ex c. Relatum de consecr. dist. 11.; ib. n. 8.* — (8) *ib. n. 9.*

Si pyxis hostiis parvis plena sit præsens moraliter sacerdoti, sed non fuerit aperta ante oblationem et consecrationem, illicite quidem id fieret, sed cum moraliter præsens esset sacerdoti, valida esset consecratio; quod verum est, etiamsi, quando consecravit, actu de particulis non cogitaret. Moralis vero præsentia ea dicitur, cum ita præsens est, ut verificari censeantur illa verba formæ *hoc* vel *hic* (1).

Si particulæ afferantur ad altare post peractam oblationem, non debet sacerdos illas consecrare sine legitima causa, ut si magna multitudo populi, parata ad recipiendam eucharistiam, alias careret sacramento; tunc vero sacerdos deberet prius illas ante consecrationem mente offerre. Cœpto jam canone, si afferatur particula, non est consecranda, neque pro dando viatico infirmo; tunc enim sufficeret, si sacerdos ex sua hostia parvam portionem separaret (2).

Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad altare, nec sacerdos illam advertat, adeoque proferens verba consecrationis nihil cogitet de pyxide, tunc utique, si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse sacerdos consecrare; alioqui enim censeretur voluisse istud, quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint DD., qui contrarium censent, cum tamen in sacramentis conferendis sequi teneamur opinionem tutiorem relicta probabili, ideo in eo casu particulas illas non esse populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia missa sub conditione consecrentur, satis constat (3).

Si celebranti sint præsentes undecim hostiæ, et ille habeat intentionem consecrandi solum decem, nec determinet quales, nulla ex illis esset consecrata, ut ex rubricis discimus. Quare debet sacerdos intentionem suam ita dirigere, ut velit omne consecrare, quidquid ante se positum est. Ex quo intelligitur, sacerdotem, qui cum hac intentione habet in manu duas hostias, unam se tenere putans, utramque revera consecrare (4).

Missam bis eodem die celebrare, quamvis adsit causa necessitatis, nemo potest, etiamsi parochus sit, nisi sal-

(1) *ib. c. 18. n. 2. et 3.* — (2) *ib. n. 5.* — (3) *ib. n. 6.* — (4) *ib. n. 7.*

tem episcopi licentia accedat; quæ tamen datur ob causas singulares, non tamquam privilegium. Ita Pontifex in bulla *Declarasti* (1).

Sacerdos, qui sacrum facere quotidie per seipsum debet, potest aliquando illud omittere, tum quia ea præsumitur voluntas fundatoris, tum ad majorem pietatem sibi comparandam (2); non tamen potest, qua die vacat, sacrum agere et alicui attribuere, percepta eleemosyna (3).

Sicut nec potest duplicatum stipendium pro eadem missa accipere, applicando uni fructum medium, alteri specialissimum; et contrariam sententiam proscripsit congregatio s. officii, ac dein *Alexander VII.* propositione *9.* inter damnatas (4).

Sacerdos, qui beneficium possidet, in cujus fundatione expresse cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, num possit pro applicatione novum stipendium exigere, non vetatur; sed neque reprobatur contraria sententia id negans, et decreta S. C. concilii non apparent (5).

Si tamen nihil expressum sit in fundatione ejusdem beneficii, quod demonstret, testatorem remittere applicationem sacrificii arbitrio sacerdotis, tunc semper standum est pro obligatione applicationis pro testatore, ut ex decretis S. C. *Ib.*

Missæ in altari privilegiato celebrandæ semper debent esse de *requiem*, nisi cum aliud festum duplex vel dominica dies occurrerit; tunc enim acquiritur indulgentia, etiamsi missæ de festo agantur. Perinde est autem, sive altare istud privilegium habeat perpetuum, sive ad septennium, vel certis solum diebus in hebdomada. Si igitur testator jusserit celebrari sibi missas certis hebdomadæ diebus ad altare privilegiatum, et in dies istos incidat aliquod festum duplex, satisfit testatori cum missa de festo. Idem dicas de diebus, in quibus duplex quidem non currit, sed missæ pro defunctis vetantur. Hæc omnia ex decretis variorum Pontificum, quorum postremus est *Clemens XI.* (6).

Missæ altaris privilegiati debent esse de *requiem*, nisi

(1) *bull. t. 2. n. 3.* — (2) *ut ex c. Significatum de præbendis.* — (3) *de sacrif. miss. l. 3. c. 22. n. 3.* — (4) *ib. n. 5.* (5) *ib. n. 7.* — (6) *ib. c. 23. n. 8.*

cum inciderint in diem, in qua missæ illæ celebrari non possunt, sive ratione festi duplicis sive alia quacumque. Ita ex plurimis Pontificum decretis (1).

Missæ privatæ de *requiem* celebrandæ non sunt in festis duplicibus et dominicis diebus, sicut nec infra octavas epiphaniæ, paschæ et pentecostes, prima die quadragesimæ, tota hebdomada sancta, in vigiliis nativitatis Domini, epiphaniæ et pentecostes; denique ex decretis S. C. infra octavam Corporis Christi et natalis Domini, sicut nec, cum expositum est venerabile sacramentum (2).

Solemnes et cantatæ pro defunctis missæ, qua die a testatore præscriptæ sunt, et illa sit vere annua illius obitus, celebrari possunt, etiamsi officium sit de duplici majori vel minori. Ita ex decreto S. C. (3). Non vero in dominicis et festis de præcepto, nec in iis, in quibus nec de duplici agi potest (4).

Præsente corpore canitur quidem missa pro defunctis, exceptis tamen duplicibus primæ classis. Quæ verba sunt decreti S. C. R. die 5. Julii 1698. Attamen non satis constat, an id vetitum sit in omnibus duplicibus primæ classis, et non tantum in magis solemnibus (5).

Dies tertia, septima et trigesima, quæ habent missam cum oratione propria in missali, nihil habent privilegii supra reliquas privatas. *Ib.*

Si parochus duas regat parœcias, nec populi unius possint in templum alterius convenire, ac desit alius sacerdos, potest duas missas eodem die celebrare (6). Debet tamen episcopus saltem cognoscere, num revera sit tanta necessitas, ut bis celebrari opus sit.

Hic vere unicus est casus, in quo bis celebrare liceat; neque enim fas est sacrificium repetere sive propter adventum hospitum etiam nobilium, etiam principum aut episcopi, qui die festo missam non audierint, nec alius adsit sacerdos; neque enim hæc est tanta necessitas, quanta requiritur in *c. Consuluisti de celebratione missarum.* Item ex eadem ratione non licet ob benedicendas nuptias, quæ differri in aliam diem non pos-

(1) *inst. eccl. 34. n. 27.* — (2) *ib. 28.* — (3) *de sacrif. missæ l. 3. c. 23. n. 5.* — (4) *instit. eccl. 5. n. 24. et seq.* — (5) *de sacr. miss. l. 3. c. 23. n. 5.* — (6) *de sacr. miss. l. 3. c. 5. n. 1.*

sint. Tunc enim celebrari possunt nuptiæ sine missa, et benedictiones in sequentem diem transferri (1).

Sed quid, si ministrandum sit viaticum infirmo? Profecto, si sacerdos jam missam absolvit, tunc utpote non jejuno non licet ei rursus celebrare. Si missam non absolvit, potest necessitati illi provideri, dando partem hostiæ suæ. Si vere sacerdos eucharistia quidem, non vero ablutione percepta, moneatur de viatico infirmo ministrando, tunc utique potest aliam missam celebrare. *Ib.*

Cum in alicujus forte ecclesiæ capella tam multas missarum ibidem celebrandarum eleemosynas receperit, ut non possit infra hebdomadam illis satisfieri, mandavit S. C. concilii, ut, quæ supersunt, in aliis altaribus ejusdem ecclesiæ celebrentur, injunxitque simul, ut deinceps fideles eleemosynas oblaturi ea de re moneantur, scripta tabella in loco visibili ecclesiæ exposita (2).

Quamvis a S. C. sæpius decisum fuit, in oratoriis publicis sitis intra fines parochi juris non esse parocho prohibere, ne missæ celebrentur ante missam parochialem; si tamen episcopus in synodo id prohibeat, ne populus retrahatur a missa parochiali et concione, constitutio illa valet, et episcopo parendum est (3).

Missa celebranda est ab aurora usque ad meridiem; toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis, sicut et prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto *Benedicti XIII.* (4). Jus habet episcopus vetandi etiam sub pœnis canonicis, ne regulares ultra consuetas horas celebrent, ut ex decretis S. C. firmatur (5).

Nemo ignotus, sive sæcularis sive regularis, admittendus est ad celebrandam missam, nisi adductis testimonialibus iisque visis et approbatis ab episcopo; idque præcipi posse ab eodem episcopo, saltem quoad sacerdotes regulares exteros, etiam regularibus censuit S. C. (6).

Tridentinum (7) monet episcopos, curent, ut sacerdotes non habentes animarum curam diebus saltem dominicis vel festis solemnioribus missam celebrent. An committant peccatum grave sacerdotes illi, si monito Triden-

(1) *ib. l. 3. c. 5. n. 3.* — (2) *de syn. l. 12. c. 7. n. 5.* — (3) *ib. n. 7.* — (4) *inst. eccl. 12. n. 4.* — (5) *inst. eccl. 68. n. 12.* — (6) *inst. eccl. 34. n. 4. et de syn. diœc. l. 9. c. 15. n. 5.* — (7) *sess. 23. c. 4.*

tino non se submiserint, quæstio est anceps. Profecto peccaret graviter, qui numquam per annum sacrificium offerret; esset enim hoc indicium vitæ corruptæ et pareret scandalum (1). Teneretur etiam celebrare, ut ægroto viaticum deferretur, si alio modo fieri non posset. *Ib.*

Missam quotidie celebrare melius est, quam ab ea abstinere: negandum tamen non est, quin optime præstet sacerdos, si aliquando abstineat ex reverentia, seu ad hoc, ut ferventius celebret. Id vero eruitur ex eo, quod ad spiritum ecclesiæ propius accedit, qui quotidie sacramentum recipit. Addendum, quod munus sacerdotis est non privatum, sed publicum, estque ejus opus ecclesiæ utile; et ex assidua celebratione validius auxilium obtinebit a Deo, ut dignius celebret. Quare statuendum, sacerdoti ut plurimum quotidie celebrandum esse, si discussa conscientia sua persuadere sibi moraliter possit, se esse in statu gratiæ. Nec obstat minor fervor, cum illum persæpe patiamur inviti (2).

In oratoriis privatis, in quibus pro infirmo conceditur unica missæ celebratio, die natalis Domini fas est tres missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex decretis S. C. (3).

Episcopi, quamquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam, ut in oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatum oratorium habere et permittere aliis sacerdotibus, ut in eo celebrent; ut ex decretis S. C. (4).

Hæc etiam celebratio præstari rite ibidem potest, etiam absente episcopo; atque ibi audientes missam quicumque fideles præcepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique, quod hic dicitur de episcopis, valet etiam pro cardinalibus non episcopis. Animadvertendum est tamen, valere hæc pro oratoriis episcopi in suis domibus, in quibus certus fixusque locus est assignatus (5).

Si missa omnino celebranda sit, nec possit in templis vel etiam in oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicumque tandem ille sit, ut planum fit exemplo capellanorum in castris; eorum etiam,

(1) *de sacr. miss. l. 3. c. 1. n. 10.* — (2) *de sacr. miss. l. 3. c. 2.* — (3) *ib. c. 4. n. 8.* — (4) *ib. c. 6. n. 1.* — (5) *ib. n. 6.*

qui per infidelium regiones iter faciunt, et etiam in littore maris respectu navigantium (1).

Ut celebretur missa in mari, peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas fit celebrandi *in loco honesto ac tuto.* Non conceditur autem nisi cum conditione, ut tutum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem assistat celebranti alter vel sacerdos vel diaconus. *Ib.*

Sacerdos missam celebrans, etiam in necessitate dandi viatici infirmo, absque uno e sacris indumentis, peccat graviter ex irreverentia; neque enim urget viatici præceptum, si ministrari non possit eo modo, quo decet. (2)

Idem dicas, si absque luminibus, quæ sint oportet sive ex cera sive ex oleo, et si desint, in necessitate saltem e sebo; sufficit tamen, si necessitas urgeat, unicum lumen. Idem dicas, si celebret absque missali libro, in quo sit saltem canon. Hæc ex DD. (3).

Peccat etiam sacerdos celebrans sine ministro, ut eruitur ex *c. Proposuit de filiis presbyterorum.* Si tamen sit ministrandum viaticum, potest sacerdos sine ministro missam celebrare et sibi ipsi respondere. Alias præstat omittere missam, quamvis, si hoc agat, sunt, qui negent, illum peccare (4).

In templo polluto celebrans sacerdos, quamvis peccet graviter (5), nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa; quin nec desunt, qui credant, eum minime peccare, si adsit episcopi consensus.

Vicissim autem irregularitatem summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat (6).

Sacerdos ratione beneficii obstrictus, bis vel ter singulis hebdomadibus celebrare, potest anticipare tempus, nisi appareat, testatorem voluisse in qualibet hebdomada bis vel ter celebrari, ne pagus aut altaria quædam singulis hebdomadibus missa carerent (7).

Si conferens eleemosynam missæ tempus præscripserit ob causam, quæ differri non possit, sacerdos non ser-

(1) *ib. n. 7.* — (2) *ib. c. 7. n. 1.* — (3) *ib. n. 2.* — (4) *ib. n. 3.* (5) *ut ex c. Is, qui de sent. excomm. in 6.* — (6) *ut ex eodem cap. Is, qui ib. n. 4.* — (7) *de sacrif. miss. l. 3. c. 9. n. 8.*

vans illud tempus deest obligationi suæ ac tenetur eleemosynam restituere (1).

Sacerdos onus habens missæ quotidianæ, unicam tantum missam applicare cogitur in festo natalis Domini. An vero parochus itidem teneatur tres ejus diei missas pro populo applicare, numquam decisum a S. C. reperitur; tenetur tamen, ut obviet scandalo, tres ea die missas celebrare (2).

Sunt, qui doceant, die commemorationis defunctorum cessare onus capellaniæ quotidianæ, adeoque integrum esse capellano, ea die vel pro defunctis omnibus, quod esset optimum, vel pro privato quodam defuncto applicare (3).

Canonici in cathedralibus et collegiatis, qui juxta præscriptum rubricæ certis quibusdam diebus plures missas canere tenentur, an omnes debeant applicare pro benefactoribus, numquam a S. C. decisum est (4).

Eleemosyna pro missis a regularibus celebrandis in eorum ecclesiis taxanda est ab ordinario loci; ut ex decreto S. C. (5).

Missarum eleemosynam ultra quantitatem ab episcopo taxatam exigere non possunt sacerdotes tam sæculares quam regulares; nam debet dari quædam proportio inter id, quod datur et quod accipitur; hanc autem proportionem definire ad episcopum spectat; quare justitiam commutativam lædit ille sacerdos, qui plus exigeret. Potest tamen dans ultra plus dare, et petens minus accipere, quamquam fieri possit, ut aliquando prohibeatur sacerdos minus accipere, ne hinc consuetudo introducatur minus dandi in præjudicium aliorum. Hæc omnia late in synodo diœc. l. 5. c. 9.; et id, quod postremo dixi, confirmatur ex decreto congregationis concilii, lato in una s. Severini die 16. Julii 1689.

Missarum stipendia, si quæ accepta sunt pro curanda celebratione missarum, retineri non possunt, parte eorumdem tradita sacerdoti celebranti, etiamsi pars illa contineat consuetam eleemosynam. Secus, qui fecerit, et laicus, qui colligat missas in loco, ubi datur majus sti-

(1) *ib. n. 6.* — (2) *ib. n. 9.* — (3) *ib. n. 9.* — (4) *ib. n. 9.* — (5) *inst. eccl. 56. n. 10.*

pendium, ac committat easdem missas celebrandas alteri sacerdoti minori stipendio, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, incidit in excommunicationem, sacerdos vero seu clericus in suspensionem ipso facto; quæ excommunicatio et suspensio Pontifici Romano est reservata (1).

Vetitum est, accipere novas missarum eleemosynas iis, qui veteres habent satisfaciendas: *dummodo*, ut legitur in decreto *Urbani VIII.*, *infra modicum tempus non possit omnibus satisfieri*. Modicum tempus definivit S. C. concilii esse unum mensem (2).

Si ecclesia et loca pia careant reditibus, adeo ut non possint licite illos erogare in expensas pro missarum celebratione, fas ejus administratoribus est, aliquid subtrahere de consueta eleemosyna, quantum necesse est pro celebratione illius missæ, ut ex decreto *Urbani VIII.* certum est. Sed ex pluribus decretis S. C. eruitur, detrahi in eo casu aliquid posse ex eleemosyna in missis perpetuis: tunc autem videndum est, num adsit aliquis, qui sit obligatus supplere, et num potius supplendum sit recurrendo pro diminutione numeri missarum.

Sive autem ecclesia sit paupercula sive non, non potest aliquid exigi ab iis sacerdotibus, qui sponte religione ducti veniunt in aliqua ecclesia celebraturi, sicut etiam ab iis, qui ab administratoribus ecclesiæ eleemosynam nullam recipiunt.

Jure tamen exigitur hæc detractio ab iis, qui omnino ibi celebrare volunt, nec ecclesia habet de suo, quomodo utensilibus provideat, nec de suo providet ille, qui eleemosynam suppeditavit (3).

Eleemosynas receptas pro missis sacristæ regulares tenentur ponere in arca duabus clavibus obserata, quarum alteram tenere debet superior localis, alteram unus ex regularibus a capitulo deputatus, ac dein de satisfactione earumdem missarum tenentur reddere rationem coram patribus discretis, ut ex decreto *Urbani VIII.* ab *Innocentio XII.* confirmato constat (4).

Missæ nec ita breves esse debent, ut saltem horæ ter-

(1) *constit. Quanta cura bull. t. 1. n. 22.; vide inst. eccl. 56. n. 4.* — (2) *de sacrif. miss. l. 3. c. 24. n. 14.* — (3) *hæc omnia de sacrif. miss. l. 2. c. 24. n. 13.* — (4) *inst. eccl. 72. n. 29.*

tiam partem non attingant, neque ita longæ, ut horæ dimidium excedant (1).

In missæ celebratione, ne quis episcopus concedat licentiam tegendi caput coma fictitia, vetuit *Innocentius XI.* (2); idque pariter locum habere in parvo pileolo ex theologis docetur (3): gyro tamen capillitio, vulgo *girello*, uti passim etiam Romæ sacerdotes, ibidem notatur.

Annulum etiam in digito gerere, dum missa celebratur, cujuscumque dignitatis, nemo potest, vetante S. R. C. (4).

Nec licet etiam protonotariis non participantibus adhibere in missa instrumentum argenteum cum candela (5), quod etiam superioribus ordinum Mendicantium et parochis vetuit S. C., cujus litteræ hic referuntur n. 16. Quin et juxta decreta *Alexandri VII.* abbatibus regularibus consecratis id non licet nisi in missa solemni, cum pontificalibus utuntur, ut ex decretis S. C. *Ib.*

Pari passu cum hoc argenteo instrumento procedendum est cum assistente, ut ex decreto S. C. R. (6).

Missæ privatæ feria V. in cœna Domini et sabbato sancto prohibentur non decretis tantummodo S. C. R., sed etiam edicto *Clementis XI.* die 15. Maji 1712. (7).

Novus sacerdos in celebratione primæ missæ vetatur ecclesiam circuire sacris vestibus indutus, ut recipiat oblationes; potest tamen se vertere ad altare et ibi eas accipere, ex decreto S. C. (8).

Sacerdos in alia diœcesi celebrans missam non potest nomen episcopi sui nomini episcopi illius diœcesis substituere, ex *Pouget* et *Merato* (9).

Sacerdos die natali Domini non tenetur ex præcepto tres missas celebrare, sed potest unicam (10).

Missa cantata in eo distinguitur a solemni, quod cantata fiat cum cantu chori, sed unico ministro assistente; solemnis vero habet adjunctum diaconum cum subdiacono; idcirco, si testator mandat cantari sibi aliquam missam, non requiritur diaconus et subdiaconus (11).

(1) *de sacrif. miss. l. 3. c. 24. n. 2.; vide inst. eccl. 34. n. 19.* — (2) *in sua encyclica apud La Croix l. 6. p. 2. n. 401.* (3) *inst. eccl. 34. n. 14.* — (4) *ib. n. 15.* — (5) *ut ex decreto apud Monacellum ib. n. 17.* — (6) *ib. n. 18.* — (7) *instit. eccl. 38. n. 9.* — (8) *inst. eccl. 56. n. 7.* — (9) *de sacrif. miss. l. 2. c. 17. n. 4.* — (10) *de sacrif. miss. l. 3. c. 4. n. 5.* — (11) *inst. eccl. 105. n. 119.*

Commentitia est distinctio inter rubricas præceptivas et instructivas (1); sed omnes sunt præceptivæ, sed aliquæ ex materiæ parvitate sub veniali tantummodo obligant. *Ib.*

Nulla urgente causa leve peccatum est, celebrare missam privatam non recitatis matutino et laudibus. At si de missa conventuali agatur, mortalis criminis reus videri posset ille, qui ante matutinum et laudes eam celebraret (nempe ante eam partem officii in choro celebratam). Sicut et peccato gravi se obstringeret, qui perpetuo et quasi animo statuisset, numquam missam celebrare matutino cum laudibus recitato (2).

Nemini licet, ab altari recedere cœpta missa, relicto alio sacerdote, ut reliqua suppleat: ut statuitur in canone *Nullus episcopus de consecr. dist. 1.* Quod ibi vetatur sub pœna suspensionis; quæ tamen est ferendæ, non latæ sententiæ; nec locum habet, si sacerdos ante consecrationem ab altari sine causa recesserit (3).

Si contingat, ut sacerdos, dum missam celebrat, subito morbo corripiatur vel mortuus concidat, vel hoc accidit ante consecrationem, nec tunc opus est missam ab alio continuari; si vero post consecrationem unius vel utriusque speciei, tunc supplenda est missa, et quidem ex præcepto, a sacerdote initio inde sumpto, ubi alter sacerdos desierit; et si prior ille sacerdos adhuc vivat et capax sit sacramenti, nec alia præsto sit hostia consecrata, ex hostia sacerdotis secundi pars infirmo ministranda est: ut in rubricis missalis (4).

Sacerdos missam suppleturus præstare id potest, si alius non adsit, etiamsi non sit jejunus, quin etiam, si in statu gratiæ non versetur; tunc enim quærendus ab illo est confessarius, et si non reperiatur, eliciendus actus contritionis, atque ita comparatus missam perficiat. At si neque conteri posset, neque missa ab altero perfici ante meridiem, tunc hostia et calix recondendi sunt in tabernaculo, ut ad alteram diem reserventur. Hæc omnia ex rubricis et DD. (5). Ex hoc conficitur, quod laico, si fuerit præsens, hostia illa et calix dari non possit (6).

(1) *de sacrif. missæ c. 11. n. 3.* — (2) *ib. n. 4.* — (3) *ib. c. 14. n. 2., ubi id definitum a S. C. affertur.* — (4) *ib. n. 4 et 5.* — (5) *ib. n. 7. et 8.* — (6) *ib. n. 6.*

Si sacerdote missam celebrante violetur vel polluatur subito templum ante incœptum canonem, missa intermittenda est; eo vero incœpto perficienda, ut ex rubricis (1).

Si, dum celebratur, incidat subita irruptio hostium vel imminens alluvio aut ruina templi ante consecrationem, deserenda est missa; post consecrationem, sumendum statim sacramentum, omissis aliis cæremoniis. Si vero casus isti incidant, hostia quidem, sed nondum sanguine consecrato, potest sacerdos hostiam statim sumere, et abire, nisi forte in casu, quo christianæ religionis hostes in contemptum ejusdem religionis minitentur sacerdoti mortem, nisi sacrificium imperfectum relinquat (2).

Superveniente excommunicato non tolerato missa, si nondum perventum est ad canonem, vel, ut quidam volunt, ad consecrationem, nec ille possit abigi, deserenda est; post consecrationem perficienda. Sed sumpta communione reliqua perficienda sunt vel in sacristia vel in alio loco decenti (3).

Rite pariter interrumpitur missa, etiam interruptione longa, vel ad baptizandum infantem moriturum, qui alioqui sine baptismo moreretur, vel ad audiendam confessionem infirmi, qui alioqui non confessus obiret, vel etiam ad extremam-unctionem administrandam. Curandum tamen tunc esset a sacerdote, ut sacramentum interim diligenter custodiatur, et cum redierit, resumenda missa est ex eo loco, ubi fuerit intermissa (4).

Si recitato jam evangelio et symbolo superveniat vir princeps, laicus seu ecclesiasticus, qui missam die festo non audierit, negant plures DD., posse ex integro missam resumi (5).

Benedictus XIII. in Romano concilio, uti Pontifex *Innocentius XIII.* præfectis regularium ante præscripserat, monuit, ne in taxanda pecuniæ summa pro missis perpetuis sexaginta scuta Romana definirent, non excedendo nec minuendo (6).

Missæ *s. Gregorii*, quæ a S. C. olim prohibitæ sunt, erant quædam missæ peculiares, ineptiis refertæ. Cæ-

(1) *ib. n. 12.* — (2) *ib. n. 13.* — (3) *ib. n. 14.* — (4) *ib. n. 15.* — (5) *ib. n. 16.* — (6) *de sacrif. miss. l. 3. c. 22. n. 9.*

terum triginta missas continuatas juxta consuetudinem a *s. Gregorio* inductam non vetuit; quas tamen celebrare debet sacerdos juxta ritum ecclesiæ, quare tribus diebus majoris hebdomadis intermittendæ sunt (1).

Episcopus potest quidem visitare parochiales ecclesias regularium; sed num possit etiam recognoscere de oneribus missarum, an sint impleta, requisita fuit S. C., et nondum prodiit responsum. Potest tamen episcopus inquirere, num parochus regularis singulis diebus festis pro populo celebraverit, cum id concernat curam animarum, de qua jus est inquirendi episcopo in visitatione (2). Fas est tamen episcopo, visitare confraternitates laicorum in ecclesiis regularium erectas, et altare, si illis incumbit onus manutenendi, et onera missarum, ad quæ confraternitates illæ tenentur, ut ex decreto S. C. (3).

Si testator missas reliquerit quotannis celebrandas in ecclesiis regularium, et hæredi suo permiserit, ut designet sacerdotem, per quem celebrari debeant, non possunt regulares exigere, ut unus ex suis designetur; quin et præstare debent patientiam, ut ab eo, quem hæres designarit, in suis ecclesiis celebrentur, dummodo tamen dentur frustatoriæ, ut ex responso S. C. (4).

An mandatis et monitoriis etc., per quæ retardetur executio provisionum et statutorum pro divino cultu conservando et augendo, præsertim circa missæ celebrationem, ad executionem decretorum Tridentini (5), ne recipiantur in tribunali actus judiciales, per quos eorum executio impediatur, sancitum est a Pontifice in bulla *Ad militantis* (6).

Eucharistiam fidelibus administrare infra actionem missæ non sunt obligandi sacerdotes, si parochi seu episcopi censuerint præstare, ut hæc administratio fiat in altari, ubi ss. eucharistia asservatur extra missam (7).

Missam auscultare diebus festis in quacumque ecclesia, etiamsi non sit propria parochialis, cuicumque fideli, ut præcepto satisfaciat, fas est, ut consuetudo ubique

(1) *ib. c. 25. n. 3.; inst. eccl. 34. n. 21.* — (2) *de syn. l. 13. c. ult. n. 5.* — (3) *ib. n. 6.* — (4) *ib. n. 7.* — (5) *sess. 21. de ref. c. 8. et sess. 22. in decret. de observand. et evitand. in celebr. miss.* — (6) *bull. t. 1. n. 48. §. 6.* — (7) *encyclica ad episcopos Italiæ Certiores effecti bull. t. 1. n. 64.*

obtinens, quæ proinde induit rationem juris communis, demonstrat (1).

Sacerdotes sæculares in ecclesiis regularium illorum missam legere vetantur, sed utendum est illis Romano missali, ita tamen, ut possint de sancto, de quo regulares illi agunt officium, missam recitare, eam desumendo ex communi missalis Romani: ut pro capellanis et confessariis monialium decrevit S. C., *Clemente XI.* decretum approbante (2).

Missarum onera a fundatore beneficii præscripta non licet episcopo diminuere, quoties fructus relicti decrementum subierint; non enim posse ab episcopo reduci missas semper tenuit S. C. concilii; facultas vero ad hoc data in concilio Tridentino (3), ut episcopi possent missas in testamento vel dispositione inter vivos assignatas reducere in synodo diœcesana, et generales ordinum in suis capitulis generalibus, intelligitur tantummodo de oneribus missarum impositis ante concilium Tridentinum, et de reductione facienda in diœcesana synodo vel capitulo proxime post expletum concilium Tridentinum habendis, ut exposuit S. C. (4).

Modo insuper non licet episcopis etc. id præstare in suis synodis etc., quia id vetuit *Urbanus VIII.* et *Innocentius XII.* in sua constitutione, de qua ib.: ex vi quorum neque licet episcopo reducere eadem onera, antequam acceptentur ab iis, ad quos pertinent, uti definitum est a S. C. (5).

Cum datur episcopis facultas reducendi *pia legata et missarum onera*, adhuc tamen ex contextu totius dispensationis constat, nihil illis concessum esse quoad reliqua legata, sed tantum quoad onera missarum (6).

Si aliqua dispositio missarum onera et alia pia opera comprehendat, et ob tenuitatem redituum reductio aliqua facienda sit, reducenda esse prius reliqua opera quam numerum missarum, censuit S. C. (7). Quamquam hæc vera sunt, nisi ex toto contextu dispositionis aliam fuisse

(1) *de syn. l. 11. c. 14. n. 10.* — (2) *de sacrif. miss. l. 3. c. 23. n. 1.; inst. eccl. 34. n. 20.* — (3) *sess. 25. de ref. c. 4.* (4) *de syn. l. 13. c. ult. n. 18.* — (5) *ib. n. 19.* — (6) *ib. n. 22.* (7) *ib. n. 23.*

mentem fundatoris deprehenderetur. *Ib.* At si episcoporum auctoritas quoad hanc reductionem profluxerit ex ampliatione indulti concilii Romani sub *Benedicto XIII.*, vel ex instructione quadam tradita a S. C., et res fuerit, vel ut numerus missarum vel alia opera pia sint imminuenda, tunc præstat recurrere ad S. C. concilii (1).

Insuper ex vi concessionis prædictæ non possunt redigi missæ, quarum celebrationi ecclesia etc. per contractum sese obstrinxit; hoc enim cavetur expressis verbis in præmemorata constitutione (2).

Si testator missas aliquot annuas pro se reliquerit celebrandas, et in eum finem hunc vel illum fundum addixerit, et fundus ille diminuatur, ut non sufficiat ad consuetam missæ eleemosynam, non est locus reductioni, sed cogendus est hæres, ut suppleat, quod deest; præsumitur enim testator semper voluisse hunc missarum numerum in favorem animæ suæ. Porro si verba dispositionis incipiant ab impositione oneris, et postea descendant ad assignandum fundum, tunc utique, cum particula ista sit demonstrativa, fundus si deficiat, supplendus est ab hærede. Si vero dispositio illa incipiat a designatione fundi, et subinde descendat ad onera missarum, tunc utique interpretanda est *taxative*, adeoque locus est reductioni, nec cogendus est hæres, ut suppleat. Quæ omnia exprimi solent in instructione, de qua supra (3).

Si testator mandet hæredi, dare fundum legatario, ut ex ejus reditibus celebrentur missæ, hæres facta fundi assignatione ad nihil aliud tenetur, ut ex DD. et decisione rotæ (4). Si vero testator mandasset hæredi, ut tot præstaret fructus sufficientes ad injunctam missæ celebrationem, et ipse fundum idoneum dedisset, si fructus ille dein non sufficiat, supplendus est ab hærede. *Ib.*

In reductione missarum perpetuarum per ampliationem concilii Romani facienda stabiliri solet eleemosyna sexaginta scutorum monetæ Romanæ: quoad missas vero cantatas assignanda est eleemosyna consueta pro iis missis in qualibet diœcesi vigens, ut ex decreto S. C. (5). At si celebrandæ sint simul aliquot missæ cantatæ et

(1) *ib. n. 24.* — (2) *ib. n. 25.* — (3) *ib. n. 32.* — (4) *ib. n. 33.* (5) *ib. n. 34.*

aliquot privatæ, nec sufficiant reditus, erogandi sunt illi in celebratione missarum privatarum, deleto onere missæ cantatæ, ut ex decreto S. C. *Ib.*

At si reductio fiat ab episcopo vigore facultatis in instructione contentæ, statuendum est, ut missæ celebrentur, non quidem eleemosyna, quæ ex indulto concilii Romani præfixa est, sed ad rationem eleemosynæ manualis in diœcesi obtinentis; ita enim constat ex verbis ipsius instructionis (1).

Si episcopus ab apostolica sede obtinuit facultatem reducendi missas in sua diœcesi, potest etiam reducere pro regularibus, ut delegatus sedis apostolicæ, si ad illum recurrant. *Ib.*

Ne novæ aut inusitatæ orationes in missa recitentur, vetitum est in bulla *Quemadmodum preces* (2).

Non promoti ad presbyteratum, si missam celebrent, tradendi sunt a judicibus s. inquisitionis curiæ sæculari puniendi ex constitutionibus *Pauli IV.*, *Sixti V.* et *Clementis VIII.* Item *Urbanus VIII.* in constitutione *Apostolatus officium* iis pœnis subjicit etiam minores annis 25, dummodo 20 expleverint. Has constitutiones innovat *Benedictus XIV.* in bulla *Sacerdos in æternum* (3) et addit, singulas testium depositiones, nempe quando testes in suis depositionibus sunt singulares, valere ad reorum torturam. Valere autem ad pœnam, si ordinarius declaraverit per simplices litteras, reum a se non esse promotum. In eadem bulla iisdem constitutionibus subjicit hos reos celebrantes unam tantum missæ partem, dummodo elevationem peregerint. Si reus has exceptiones, sic a Pontifice sublatas, prætenderit, sive illæ conjunctim considerentur sive singulatim, non tamen satis est hoc, quominus tradantur brachio sæculari, si sint laici; et si clerici, quominus procedatur ad degradationem et traditionem brachio sæculari. Declarat insuper Pontifex, eisdem pœnis submitti quoscumque non sacerdotes sacramentalem confessionem audientes et absolutionem impertientes. Si tamen non sit prolata absolutio, tunc a judice ecclesiastico minor pœna est injungenda (4).

(1) *ib. n. 35.* — (2) *bull. t. 1. n. 82.* — (3) *bull. t. 1. n. 97.* (4) *ib. n. 8.*

Benedictus XIV. concedit presbyteris latini ritus in Russia Polonica a degentibus missas celebrantibus in ecclesiis Ruthenorum unitorum, ut deficientibus altaribus seu lapidibus consecratis et calicibus aureis vel argenteis, missam celebrare possint super antimensia eorumdem Ruthenorum, latino tamen ritu (1).

Moniales.

Monialium professio religiosa ante decimum sextum ætatis annum expletum et exactum annum novitiatus emissa irrita est (2). Excipiuntur tamen mulieres, quæ pœnitentes aut convertitæ appellantur; cum quibus constitutiones earum circa probationem servandæ sunt, non obstante conciliari decreto de monialium professione, ut ex decreto S. C. concilii (3).

Hæc conciliaris sanctio de anno probationis valet etiam pro illa, quæ, usa privilegio bimestris post conjugium, religionem ingreditur, et quamquam id cedat in incommodum illius, qui in sæculo remanet, ut non possit transire ad alias nuptias, nisi postquam conjux religiosa anno probationis exacto professionem emittit (4). Quin et accidere potest, ut biennium expectandum illi sit, si conjux religiosa anno probationis fere exacto religionem mutaverit et in ea novam probationem instituerit.

Si novitia ordinis Prædicatorum in mortis articulo professionem emiserit ante expletum annum probationis, quod ex bulla *s. Pii V.* illis concessum est, nec facile derogatum illi est ex posteriori bulla *Gregorii XIII.*, qua professio ante expletum annum probationis irritatur, ea quidem professio valet ad spirituales gratias lucrandas, non vero ad vindicandum monasterio dotem et reliqua bona professæ, ut ex sæpius decisis a S. C. concilii (5).

Sponsa per verba de futuro alteri oppignorata, addito utrinque juramento de contrahendo et consummando matrimonio, potest ante initum conjugium religionem ingredi, juxta illud: *Promissum non infringitur ab eo, qui in melius illud commutat*, cap. *Pervenit de jurejur.* Et de-

(1) *bulla Imposito nobis bull. t. 3. n. 43.* — (2) *ex Trid. sess. 25. c. 15.; de syn. l. 13. c. 12. n. 1.* — (3) *de syn. l. c.* (4) *ib. n. 2.* — (5) *ib. n. 6.*

finitur in *cap. Commissum de sponsalibus*, quamvis ibi dicatur, tutius esse, si ineat matrimonium, tum religionem ingrediatur, quod tamen vel est de consilio tantummodo, vel sponsalia tunc non inferebant aliam promissionem nisi de conjugio celebrando; non vero de celebrando et consummando, uti nunc ferunt (1).

Matrimonio rato, non consummato, integrum est mulieri religionem approbatam ingredi, et per professionem in ea conjugii vinculum dissolvitur. Hæc tamen valent pro veris et approbatis religionibus, in quibus tria vota substantialia emittuntur: ut est etiam ordo equestris Hierosolymitanus, non vero cæteri equestres ordines, ut ex Tridentino (2) et traditis a DD. (3).

Consummato jam conjugio, si liber utriusque conjugis consensus intercesserit, potest utique mulier religionem ingredi (idem de viro dixeris) et in ea profiteri; si tamen et alter conjux consentiat in religionem ingredi, si junior est, vel si senex extiterit, emittat votum simplex castitatis. Si vero ab alterutro vel revocetur consensus libere præstitus ante alterius professionem, vel etiam post professionem valide emissam, si non adimpletæ fuerint conditiones superius expressæ, conjux religiosus eo petente egredi e religione tenetur (4).

Non vero sufficit, si muliere religionem ingressa alter conjux non senex sacros ordines suscipiat (5).

Si vero legitime probatum fuerit adulterium uxoris, quæ dein transit ad religionem, tunc integrum viro est in sæculo manere, dummodo tamen castitatis votum emittat. Ita ex decisis a S. C. (6).

Quin et in eo casu, si ex episcopi testimonio constet, virum in sæculo manentem vitæ esse probatæ, conceditur illi per indultum, ut nullo se castitatis voto obliget, adeo ut post uxoris mortem possit ad alias nuptias transire. Ita ex resolutis a congregatione. *Ib.*

Concessum est etiam aliquando indultum viro saxagenario majori, ut sacerdotio initiari posset, dummodo uxor

(1) *ib. n.8.* — (2) *sess.24. de matrim. c.6.* — (3) *de syn. l.c. n.9.* (4) *ut definitum in cap. Præterea de convers. conjug., c. Quia Agatho causa 27. q.2., c. Cum sis de convers. conjug.; ib. n.10. et 11.* — (5) *ex constitut. Joannis XXII. Antiquæ tit. de voti redemptione ib. n.14.* — (6) *ib. n.16.*

fere sexagenaria perpetuam castitatem voveret. *Ib.* Concessum est etiam, ut vir septuagenarius de consensu uxoris acciperet sacros ordines, et uxor paris ætatis Tertiariæ habitum indueret, dummodo diversas omnino ædes incolerent.

In ingressu monialium in monasterium dotis solutio approbatur ea, quæ datur non ad ingressum in religionem, sed pro contractu, quem facit religio cum illa, quæ ingreditur, obligans sese ad ejus sustentationem. Si vero monasterium per se sit dives, ut sufficere ex suis possit monialium sustentationi, tunc utique præstaret dotem imminuere, quin etiam penitus remittere, quamquam id agendum non est, nisi prius consulta S. C. concilii (1).

Quoad prandia, cœnas et munera, quæ ab ingrediente moniales exigunt, perseverare censet Pontifex prohibitionem factam ab *Urbano V. extrav. 1. de simonia inter communes 7.*

Modum tamen imponendum sumptibus apparatuum et comessationum ac pomparum, quæ fiunt in ingressu monialium, censet Pontifex, usus opportune hac in re doctrina *Navarri* (2).

Moniales regularibus subjectæ ex Tridentino (3) ordinario loci tamquam delegato subjiciuntur quoad clausuram. Id vero declarans *Gregorius XV.* in constitutione sua n. 18. statuit, confessarios earum regulares ab ipsis suis superioribus deputatos pro confessionibus monialium ab episcopo approbandos esse. Eidem etiam episcopo reddendam esse rationem ab iis, qui bona illarum administrant, accitis tamen tunc etiam superioribus regularium; qui si renuerint, tunc id præstet per se episcopus. Datur etiam episcopo auctoritas præsidendi una cum superiore regulari, cum antistites monasterii eliguntur. Denique conceditur episcopo, ut, si regulares forte in ordine ad clausuram deliquerint, puniat illos et corrigat usque ad censuras. *Alexander VII.* in sua constitutione 153. concedit superioribus regularibus jus ingrediendi septa monasterii earumdem monialium semel quotannis occasione visitationis. Sæpius vero ex causa ur-

(1) *de syn. l. 11. c. 6. n. 6.* — (2) *in tr. de redd. eccl. in fine 1. quæst. ibid. n. 7.* — (3) *sess. 25. de regul. c. 5.*

genti vetuit, ne ingrederentur, nisi præsente episcopo vel alio ecclesiastico ab eodem deputato (1). Contraria quoad hæc omnia consuetudo, etiam immemorialis, a S. C. sæpius reprobata est (2).

In visitationibus monasteriorum sanctimonialium non tenetur episcopus denuntiare illis diem et horam visitationis, sicut nec tenetur ducere secum superiorem regularem ejusdem ordinis (3): potest etiam episcopus monialibus regularibus subjectis sacram eucharistiam ministrare, si ipsæ velint (4).

In monasteria monialium introduci pueros et puellas tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente (5).

In electione abbatissarum, quæ præsint monasteriis regularibus subjectis, tenentur regulares monere episcopum, si velit interesse per se vel per alium, ut ex constitutione *Gregorii XV.* n. 18., quibus debet episcopus manifestare suam voluntatem. At potest episcopus in synodo generaliter edicere, velle se interesse omnibus istis electionibus, ex quo satis manifestat suam voluntatem (6).

Monialium transitum de uno ad aliud monasterium cum monialibus ultra montes concedit summus pœnitentiarius; qui tamen facultatis hujus executionem ordinarii arbitrio committit (7).

Translatio monialium ab uno ad aliud monasterium fieri jure nequit nisi de licentia Romani Pontificis, nisi exigente aliquo repentino casu, in quo rei necessitas exigat repentinum egressum; tunc enim etiam pro monialibus regularibus subjectis, præter facultatem prælati regularis, episcopi licentia in scriptis requiritur (8).

Casus repentini indicantur in eadem bulla magnum incendium, infirmitas lepræ ac epidemiæ sive pestis (9).

Non licet autem absque facultate sedis apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possint occurrere casus alii, qui videantur æquipollere iis, quos *s. Pius V.* in sua constitutione expressit: ut si ex. gr. sit aliqua monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandali et perversionis aliarum. *Ib.*

(1) *inst. eccl. 29. n. 5.* — (2) *ib. n. 7. etc.* — (3) *ib. n. 18.* (4) *ib. 9.* — (5) *ib. n. 24.* — (6) *de syn. l. 5. c. 12. n. 4.* — (7) *bulla Pastor bonus bullar. t. 1. n. 95.* — (8) *bulla s. Pii V. Decori et honestati.* — (9) *de syn. l. 9. c. 15. n. 8.*

Superiores monialium tenentur bis aut ter singulis annis exhibere confessarios extraordinarios monasteriis sibi subjectis; quibus tamen sic oblatis non tenentur moniales confiteri peccata sua, sed solummodo se præsentare, ut saltem accipiant ab illis monita salutaria.

Si vero aliqua monialis graviter ægrotat, ut sit in mortis periculo, petatque alium sacerdotem, qui non sit ordinarius monasterii confessor, huic a respectivo superiore annuendum est. Si vero superior regularis illum concedere noluerit, potest id præstari ab episcopo. Quin etiam, si aliqua monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium confessarium ab ordinario diversum, debet illi dari a suo superiore. Quod si superior regularis id renuerit, tunc potest episcopus satisfacere ejus petitioni, etiamsi requirat alterius ordinis regularem vel etiam sacerdotem sæcularem ex approbatis a superiore ad confessiones monialium. Demum suadentur superiores earumdem monialium, ut, si aliqua ex illis petat pro majori animi sui quiete et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones jam approbato, etiamsi sit alterius ordinis regularis vel sacerdos sæcularis, non sint difficiles ad præbendum assensum. Requiritur tamen semper, ut confessarius iste extraordinarius sit ex approbatis ab ordinario ad confessiones monialium audiendas. Postremo, si superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in confessarium extraordinarium vel sacerdotem sæcularem vel regularem alterius ordinis, in eo casu devolvitur hæc electio ad episcopum. Hæc oblatio confessarii extraordinarii bis vel ter in anno, sicut et cætera omnia, quæ superius præscripta sunt, præstari debent etiam cum aliis mulieribus, sive regularibus sive sæcularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent confessarium. Hæc omnia ex variis S. C. decretis olim stabilita confirmat Pontifex in bulla *Pastoralis curæ* (1).

Durante munere confessarii extraordinarii pro tota communitate non licet confessario ordinario audire confessiones alicujus ejusdem monasterii monialis neque alte-

(1) *bullar. t. 2. n. 56.*

rius cujuscumque intra septa monasterii aut piæ domus commorantis. *Ib.*

Quoad censuras seu pœnas in casibus occultis, etiam violatæ clausuræ, vel in dispensando ab aliquo occulto defectu major pœnitentiarius confessarium monialibus concedit. In casibus publicis clausuræ a monialibus vel ab aliis quibuscumque ad malum finem delinquentibus non absolvit, nisi prius ordinarius supplicarit, et casus a congregatione super episcopos et regulares ad pœnitentiarium delatus fuerit (1).

Annuæ præstationes, quas consanguinei solvunt designatis monialibus, vitæ communi minime repugnant; sed requiritur, ut omnia in manibus præpositæ consignentur, quæ prius consulere debet indigentiis illius monialis, in cujus gratiam collatæ sunt; et si quid reliquum, in cæterarum levamen erogetur. Ita ex pluribus decretis (2).

Ingressus in monasteria monialium, quæ regularibus subduntur, fieri debet de licentia episcopi, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante *Urbano VIII.* (3); in quo etiam decreto statuitur, licentias, moniales illas alloquendi, petendas esse ab episcopo, non vero a superiore regulari.

Mons pietatis.

In montibus pietatis de novo erigendis nihil ultra sortem exigi potest ab iis, qui mutuum ab eo accipiunt, etiam titulo expensarum, *nisi apostolicæ sedis dispensatione*, ut ex decreto S. C. concilii in causa Neapolitana die 7. Februarii 1637 (4). Sicut neque absque beneplacito ejusdem sedis plus exigi potest, quam antea fuerit consuetum, etiamsi hoc augmentum necessarium censeatur pro sustentatione ministrorum, ut ex alio decreto S. C. (5). Si vero plus exigatur, quam opus sit ad expensas necessarias, tenetur episcopus moderari istas usuras; tutius est autem, quod consulat de hac re S. C. (6).

(1) *bulla Pastor bonus bullar. t. 1. n. 95. §. 37. et 38.* (2) *de syn. l. 13. c. 12. n. 19.* — (3) *ib. n. 23.* — (4) *de syn. l. 10. c. 5. n. 2.* — (5) *ib. n. 2.* — (6) *ib. n. 3.*

Mulcta.

Mulctas pecuniarias episcopus sibi addicere non potest, quantumvis pauper sit, sine licentia sedis apostolicæ, ut ex pluribus argumentis S. C. evincitur(1), sed debent in usus pios expendi. Multo magis non possunt nisi in pios usus applicari illæ mulctæ, quas Tridentinum inflixit clericis non residentibus aut concubinariis. *Ib.*

Si quas vero mulctas diœcesana synodus alicui certo loco applicaverit, episcopi non possunt illas sibi obtinere ab apostolica sede, etiamsi sint pauperes, quia sedes apostolica juri alteri quæsito præjudicium non infert(2).

Has vero mulctas, antequam applicentur suæ destinationi, deponendas esse penes administratorem fidelem jussit S. C. in sua encyclica ad omnes episcopos die 5. Februarii 1678(3).

Negotiatio.

Constitutiones adversus clericos negotiatores innovantur et extenduntur ad clericos sub laici nomine quomodolibet negotiantes.

Extenduntur item ad negotia a laicis inchoata, dein ad clericos devoluta, sive hæreditario jure sive quocumque alio titulo, sive singulariter sive communiter, sive separatim sive conjunctim cum aliis bonis, cohæredibus vel sociis laicis existentibus.

Comprehendi etiam censentur illi clerici, qui per seipsos suoque nomine proprio, vel per alios aut alieno nomine, etiam per suos cohæredes ac socios negotium exercent.

Hos omnes subjicit Pontifex quoad bona sic ab eis acquisita pœnis in constitutione *Pii IV.*, quæ incipit *Decens esse*, quæ est 19. inter bullas ejusdem Pontificis. Pœnæ illæ sunt, ut bona sic acquisita sub spoliis debitis cameræ apostolicæ comprehendantur.

Si qui vero exempti sunt a pœna spoliorum ex constitutionibus *Pii IV. Romanus Pontifex*, et *Pauli V. In*

(1) *in tr. de syn. l. 10. c. 10. n. 2.* — (2) *ib. n. 3.* — (3) *ib. n. 4.*

eminentis, illos pariter non exemptos quoad bona ex negotiatione provenientia decernit atque declarat in constitutione *Apostolicæ servitutis*, quæ est in bullario (1).

Negotiatio tamen impropria non est clericis interdicta, ut ex. gr. manuum suarum labore et honesto artificio victum sibi comparare, quod et apostolus Paulus suo exemplo docuit, et a sanctis etiam monachis præstitum est (2).

Licitum est etiam clericis vendere res collectas ex propriis prædiis, sicut et eas, quas coemerunt ad familiæ suæ sustentationem; quæ si superfuerint, possunt vendere carius quam emerint, intra limites tamen justi pretii. *Ib.*

Nundinæ.

Nundinæ a mercatis sedulo distinguendæ sunt; nam illæ semel in anno fiunt vel raro in eodem loco, et de longinquo eo conveniunt populi; mercatus vero est, quo exponuntur venales res ad quotidianos usus necessariæ, et fiunt singulis hebdomadis, currentibus populis e viciniis. Posteriores isti si incidant in festum de præcepto, transferendi sunt; priores vero non sunt; quamvis apothecæ ea die claudendæ, sicut nec contractus fieri oportet matutinis et vespertinis horis, quibus divina officia in ecclesia celebrantur. Ita pro ditione ecclesiastica jussit *Benedictus XIV.* in constitutione *Ab eo tempore* (3).

Oblati monasteriorum.

Oblati, et qui donati appellantur, quamvis non sint religiosi, si tamen bona sua, ne minima quidem parte excepta, quoad proprietatem et usumfructum sibi non retinuerint, sed transtulerint in monasterium, sunt personæ ecclesiasticæ, gaudent privilegio fori et immunitate ab exactionibus sæcularibus. Verum ut subtrahantur a jurisdictione episcopi, requiritur, ut actu inserviant suæ religioni, ut late docet Pontifex (4).

(1) *tom. 1. n. 13.* — (2) *de syn. l. 10. c. 6. n. 2.* — (3) *bull. t. 1. n. 144.* — (4) *de syn. l. 6. c. 3. n. 4.*

Obstetrix.

Debent obstetrices diligentius examinari a parocho, num sciant ea, quæ necessaria sunt ad baptismum conferendum. Tunc autem si baptizaverint, in templo supplendæ sunt cæremoniæ; non tamen sub conditione iterandus est baptismus indiscriminatim ex eo, quod ab obstetrice aliisve similibus tinctus sit puer, sed inquirendum, numquid aliquid necessarium omiserint (1).

Officium divinum.

In recitatione divini officii pro aliqua morali difficultate dispensando commutare potest major pœnitentiarius (2).

Oratio.

Indulgentiæ jam concessæ pro orationibus seu vocaliter seu mentaliter confirmantur in bulla *Quemadmodum* (3).

Qui rudes homines pie orandi seu meditandi exercitationem docuerint, quique institutionibus hisce interfuerint, toties quoties lucrantur indulgentiam septem annorum et totidem quadragenas, dummodo vere pœnitentes sint ac sacra communione refecti. *Ib.* Item qui id præstiterint assidue, semel singulis mensibus, vere pœnitentes et sacra communione refecti, et pro consueto indulgentiarum more orantes, plenariam indulgentiam animabus etiam purgatorii applicabilem consequi possunt. Quod itidem obtineri ab iis potest, qui quotidie toto mense uno saltem horæ quadrante orationi mentali operam dederunt, dummodo sint vere pœnitentes et confessi ac sacra communione refecti, et oraverint pro concordia etc. Quapropter suadet Pontifex, ut episcopi injungant singulis præcipuarum ecclesiarum præpositis in civitatibus et singulis parochis in oppidis, ut certa diei hora ad campanæ sonum invitent fideles, sive ut in ecclesiam ad hoc exercitium conveniant, sive ut id privatim in domibus præstent.

(1) *inst. eccl. 8. n. 6.* — (2) *bulla Pastor bonus t. 1. n 95. §. 30.* — (3) *bull. t. 2. n. 23.*

Peccatorum orantium tria sunt genera. Alii scilicet in statu peccati mortalis degunt et se credunt contritos, quamvis non sint; eorum oratio rite instituta a Deo exauditur. Alii dolent quidem de peccato, sed non ita, ut ab eo se expediant; hi vero, ut eniti ac se liberare valeant, si ideo Deum deprecentur, ea saltem impetrabunt, quæ ad æternam suam salutem pertinent. Sunt tandem, qui nec dolent de peccato, nec enituntur. ut e statu illo exeant, imo nec volunt; si quid illi petierint a Deo vel spirituale vel temporale, raro exaudiuntur (1).

Oratorium privatum.

Non obstante decreto *Clementis XI.* fas est episcopis, altaria erigere, ibique celebrare vel celebrari facere extra suas domos in domibus laicorum, quando ibi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis vel itineris, vel hospitio ibidem recepti (2).

Indultarii, coram quibus celebrari potest missa in oratoriis privatis, sunt illi, qui nominantur in fronte seu in inscriptione brevis; illis non præsentibus missa celebrari non potest (3).

Si tamen in corpore brevis nominatur aliquis, coram quo missa celebrari possit, etiamsi ille non veniat in fronte seu inscriptione brevis; adhuc tamen eo præsente missa celebrari potest (4).

Sacramentum pœnitentiæ vetitum est ibi administrari, vel ab ipsis pariter regularibus (5). Communio sacra non potest hic administrari, nisi accedat episcopi licentia (6).

Oratoria publica.

Nullum jus assistit parocho, ne in oratoriis publicis intra suam parœciam missa celebretur ante absolutam missam parochialem, ex decretis S. C. (7). Potest tamen id vetare ordinarius, *dummodo tamen missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur.* Quæ verba sunt decreti S. C. (8).

(1) *ita ex Suarez inst. eccl. 62 n. 10* — (2) *const. Magno cum animi bullar. s 2. n. 48.* §. *87.* — (3) *ib.* §. *14, 15.* (4) *ib.* §. *16.* — (5). *ib.* §. *20.* — (6) §. *23.* — (7) *inst. eccl. 44. n. 11.* — (8) *ib. n. 12.*

In archiepiscopatu tamen Bononiensi, si oratorium publicum distet a parochiali unum milliare, permittitur hæc anticipatio, onere tamen injuncto capellano annuntiandi festa de præcepto, evangelium explicandi, sicut et cathechismum ac doctrinam christianam habendi, quod etiam mandatur a *Clemente XII.* in encyclica ad episcopos Italiæ, data anno 1735 (1).

Ordines.

Ordinem verum esse novæ legis sacramentum ex consensu theologorum omnium et concilii Tridentini definitione (2) certum est. Id vero sacerdotio convenire una est omnium theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis error id negaretur de episcopatu, quamvis diversum non esse ordinem a sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De diaconatu, quamquam certum non sit de fide ex sensu quorumdam theologorum, attamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

De cæteris singularibus ordinibus disceptant theologi, quamvis de subdiaconatu aliquando minor sit quæstio præ cæteris de inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat episcopis, ne sacrilegii crimine in suis synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis ordines diaconatu inferiores susciperent. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat nec possit extra missarum solemnia, in quibus recens initiati sacra eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet (3).

De materia hujus sacramenti dubietas intercedit (de sacerdotio, episcopatu et diaconatu res est), num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat. Quin et de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit, ut, si in aliquo rerum articulo omitti aliquid

(1) *ib. n. 15.* — (2) *sess. 23. can. 3.* — (3) *de syn. l 8. c. 9. per totum.*

contigerit, ex responso S. C. censet Pontifex, ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur (1).

In denuntiationibus, quas plerique episcopi ordinationes sacras inituri per archidiaconum suum præmittunt, suæ scilicet non esse intentionis, illos ordinare, qui irregularitate cæterisque canonicis impedimentis tenentur, unicus plerumque est scopus, ut sic vitiatos deterreant; serio tamen volunt quemlibet sibi propositum consecrare. Neque enim censendi sunt vel gravis peccati se reos statuere, plane contrariæ voluntati insistendo. Commissuros enim gravem culpam, si id voluerint, omnes fatentur. Censet tamen Pontifex præstare, ut ea denuntiatio omittatur, atque intra fines edicti, quod in pontificali Romano habetur, episcopi sese contineant. In eo enim edicto sub excommunicationis pœna præcipitur, ne quis canonico detentus impedimento accedere audeat (2).

Sacri vero ordines intra missarum solemnia nec ab alio quam ab episcopo ordinante celebranda conferendi sunt, ut reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui alio sacerdote celebrante ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret; valeret tamen ordinatio (3).

Beneficium, ad cujus titulum ordines conferuntur, debet tantum ex reditibus ferre, quantum sufficit ad clerici sustentationem honestam, juxta taxam ab episcopo definiendam; detractis tamen oneribus, non tamen missarum; saltem nisi aliter episcopus statuerit. Si vero clericus ordinetur in loco domicilii, et beneficium obtineat in alia diœcesi, tunc, si beneficium poscit perpetuam residentiam, sustentatio ista dirigenda est juxta taxam synodalem loci, ubi est beneficium; secus vero statuendum est, si residentiam non exposcat, juxta ac statuit *Innocentius XIII.* in sua constitutione *Apostolici ministerii* (4).

Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici; nec nisi in subsidium pro necessitate vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad titulum pensionis vel patrimonii ex Tridentino (5).

(1) *de syn. l. 8. c. 10.* — (2) *ib. c. 11.; vide etiam de hac quæstione de sacrif. miss. l. 3. c. 10.* — (3) *de syn. l. 8. c. 11. n. 5. et 6.* — (4) *hæc omnia de syn. l. 12. c. 9. n. 2.* — (5) *sess. 21. c. 2. de reform.*

Nec, nisi concurrat necessitas vel commoditas ecclesiæ, licitum id esse edixit S. C. concilii in encyclica die 13. Maji 1679 jussu *Innocentii XI.* exarata (1).

Ad ordines conferendos censet Pontifex ex concilio Tridentino (2), non esse positum in arbitrio episcopi, ut ordines minores det ignorantibus linguam latinam, si spem ostendant futuri profectus: nam concilium exigit, ut saltem linguam latinam intelligant; et arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam latinæ linguæ (3).

Quoniam vero ad sacros ordines requirit Tridentinum (4) scientiam requisitam ad docendum populos necessaria ad salutem ac ad administranda sacramenta; ideo subdiaconatui convenit, ut præcedat annus integer studii, sive theologiæ moralis sive scholasticæ sive juris canonici; biennium vero ad diaconum ordinandum, triennium ad sacerdotes. Nec impletur mens Tridentini, si quis in theologia morali tantum studuerit contractus, cambia etc.; concilium enim exigit, ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem (5).

Ordinum sacrorum interstitia dispensare etiam quoad regulares, non quidem ad eorum præsules, sed ad episcopum ordinantem spectat; ut ex responso S. C. (6): quamquam ab episcopo deferendum sit judicio superiorum regularium, ut ex aliis decretis S. C. *Ib.*

Quoad clericum sæcularem episcopus dispensare potest, si agnoverit id postulare utilitatem aut necessitatem ecclesiæ. Utilitas tunc resultat, cum pauci ministri suppetunt: cum ordinandus provectior sit ætate, et simul etiam maxime provectus in studiis: seu tandem, cum agitur de parœcia seu alio beneficio exigente intra annum ordinem sacrum, ut ex DD. *Ib.*

Cæterum, si quis obtinuerit ad dispensationem interstitiorum indultum sedis apostolicæ, permissa est tamen ista dispensatio arbitrio episcopi, ut *Innocentius XII.* in sua resolutione die 4. Dec. 1693 in ejus bullario. *Ib.*

Si quis obtinuerit privilegium a sede apostolica, ut ordinari possit extra tempora tribus diebus festivis in-

(1) *inst. eccl 26. n. 2.* — (2) *sess. 23 de ref. c. 2.* — (3) *inst. eccl. 42. n. 2.* — (4) *ib. c. 14.* — (5) *ib. n. 3.* — (6) *inst. eccl, 58. n. 1.*

terpolatis cum dispensatione interstitiorum, non potest ordines recipere tribus diebus interpolatis quidem, sed festivis tantummodo, quia celebratur in illis festum duplex, sed non festum de præcepto. Licet enim in brevi dicatur: *festiris diebus*, attamen festivum stylo sedis apostolicæ indicat diem festum de præcepto. Accedit decretum S. C. concilii, definiens, dies festos accipiendos esse pro festis de præcepto (1).

Ordines minores conferre non licet nisi mane diebus dominicis et festis duplicibus *de præcepto*, quod postremum additum est pontificali Romano ex nova correctione *Urbani VIII.*, cum prius tantum legeretur *festis diebus duplicibus;* quare non licet ordinare initiandos diebus duplicibus, sed non festis de præcepto (2).

Si quis recipiat ordines minores eademque die subdiaconatum, incidere in suspensionem vi decretalis in *cap. De eo, qui furtive ordines susc.*, DD. quidam censent, quamquam alii negant (3). Vetitum est tamen id agere, ut ex pluribus decretis S. C. firmatur. *Ib.*

Si clericus sacris initiandus sit consuetudine aliqua peccandi adstrictus, modo vero ita sincera exhibeat resipiscendi argumenta, ut confessarius vere eum contritum judicare possit, nolit autem pœnitens ille confessario suadenti, ut differat susceptionem sacri ordinis, acquiescere, firmusque statuat statim se solemni voto obstringere: utrum in ea voluntate sic obfirmatus possit absolvi, quæstio est anceps, adeoque suadendum est illi, ut prudentem et doctum virum consulat, a quo remedia petat et consilium (4).

Ordines minores collati ab abbate, nullum ad id obtinente privilegium, neque licite conferuntur neque valent. Si vero conferantur ab abbatibus habentibus jus conferendi illos certo personarum generi, et quos initiaverint, ad alterum genus pertinent, illicite conferuntur, sed tamen valide; ita ex variis decretis S. C. (5).

Cum regularibus faciliorem se præbere potest episcopus in ordine ad examen (6); facilius etiam dispensare

(1) *inst. eccl. 106. n. 6.* — (2 *inst eccl. 106 n. 3.* — (3) *ib. n. 8.* — (4) *de syn. l. 11. c. 2. n. 17. 18.* — (5) *de syn. l. 2. c. 11. n. 8. et 9.* — (6) *ut ex Salm. theol. moral. tr. 8. c. 5. d. 2. p. 2. n. 47.*

cum illis potest ab interstitiis, conformando se judicio superioris regularis testantis de sufficientia causæ (1).

Episcopus, alienos subditos per dimissorias ad se directas ordinaturus, non tenetur quidem ordinandum novo examini subjicere, cum id a proprio episcopo sit præstandum, ut ex communi DD. sententia; at si velit novæ discussioni illum subjicere, potest, ut sæpius a S. C. concilii definitum est. At episcopus suffraganeus ad supplendas diœcesani vices assumptus nec tenetur nec potest, ut ab eadem congregatione decisum est in causa Elborensi dubiorum die 22. Augusti anni 1721: cui tamen fas est ab ordinatione illius abstinere, si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum (2).

Ordinatus, ut valide id præstet, debet habere intentionem virtualem, saltem externam et internam, suscipiendi, quod ecclesia intendit ab eo suscipi. Quod si coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos ordines, ut malum illud vitet, tunc utique ordinatio valet (3). Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, i. e. nec voluntatem suscipiendi et non suscipiendi ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur decretum S. C.

In S. C. die 31. Martii 1685 agitatum est, num clericus (qui falsaverat testimoniales ordinum præcedentium, adeoque metu censurarum, quæ in eo casu comminari solent in edicto, habuit intentionem non suscipiendi ordinem subdiaconatus, qui tunc sibi ab episcopo conferebatur) reipsa ordinatus esset. Respondit vero die 24. Augusti ejusdem anni, esse iterum ordinandum sub conditione; nam illa animi perturbatione, qua agitabatur clericus, non satis constare poterat, utrum verum animum suscipiendi ordinem non habuerit (4).

Cum male promotis ad ordines, et signanter cum promotis per saltum in casibus occultis major pœnitentiarius dispensare potest ad effectum, ut omissos ordines occulte suscipiant a quolibet antistite, etiam extra tempora,

(1) *inst. eccl. 23. n. 1.* — (2) *de syn. l. 12. c. 8. n. 7.* — (3) *de sacr. miss. l. 7. c. 10. n. 12.* — (4) *ib. n. 13.*

non servatis interstitiis et absque dimissoriis: non tamen, ut plures ordines sacros eodem die suscipiat (1).

Dispensat etiam cum promotis ad sacros ordines per simoniam, in casibus tamen occultis et in foro conscientiæ (2).

Parochus.

Parochus actualis, etiam regularis, quocumque appelletur nomine, nempe vicarii perpetui seu ad tempus constituti, tenetur missam applicare pro populo singulis diebus festis de præcepto, ut in encyclica ad episcopos Italiæ, incipiente *Cum semper* (3), Pontifex mandat.

Si habeat diebus illis alias obligationes applicandi missam, curare debet, ut illis per alios satisfaciat (4). Parochis tamen pauperibus potest episcopus indulgere, ut ipse parochus satisfaciat aliis obligationibus, quæ forte occurrunt, applicandi missam diebus festis, dummodo tamen eidem missæ pro populo infra hebdomadam satisfaciat. *Ib.* Parochus etiam pinguioribus reditibus præditus absolvitur ab obligatione applicandi missam singulis diebus pro populo, dummodo non aliter in fundatione beneficii cautum sit (5).

Parochum regularem suo muneri deficientem potest punire episcopus cumulative cum superiore regulari; ita tamen, ut, si aliter statuat superior regularis, aliter episcopus, standum sit episcopi mandato. Ita statuit Pontifex in bulla *Firmandis* (6). Si removeri debeat, potest tam episcopus sine superiore regulari quam hic sine illo id præstare (7).

Parochi jurisdictionem habent ordinariam in foro interno, non vero externo, quidquid alii censuerint, ut proinde nullam excommunicationis sententiam ferre possint, ut ex communiori et in praxi recepta sententia (8).

Parochi ecclesiarum filiarum interesse tenentur benedictioni fontium diei sabbati sancti, ex sæpe repetitis S. C. concilii decretis (9).

(1) *bulla Pastor bonus bull. t. 1. n. 95.* §. — (2) *ibid. n. 19.* — (3) *bull. t. 1. n. 103.* — (4) *ib.* §. *8.* — (5) *ib. n. 6.* (6) *t. 1. n. 109.* — (7) *ib.* §. *11.* — (8) *de syn. l. 5. c. 4. n. 2.* (9) *inst. eccl. 1. n. 2. et seq.*

Episcopi successores ex rationabili causa etiam extra visitationem possunt examinare parochos ad ecclesias parochiales alias approbatos, ut in decreto S. C. concilii (1). Quin et hoc potest episcopus præstare pro libitu et ex sola quiete animæ suæ, quamvis nihil habeat suspicionis. *Ib.*

Si vero episcopus velit iterum examinare, quos ipse approbavit, requiritur saltem extrajudicialis infamatio de inscitia. Quamvis hoc non requiratur ab iis, quos laicus patronus nominavit ad beneficium curatum, cum probati non fuerint in concursu, ut ex s. rota et ex cardinali *de Luca* (2).

Parochus habendus est quoad crimen complicitatis ille, qui peccat cum famula sua, quæ in ejus domo habitat, quamvis in alia parœcia habeat paternam domum. Et reipsa quidem præceptum paschale tenetur illa implere in parœcia, ubi famulatum habet (3).

Tolerari potest, ut parochus habeat in domo mulieres sibi conjunctas in primo et secundo gradu consanguinitatis, et etiam affines in primo gradu cum ancillis earum, quæ tamen minores non sint annis quadraginta. Ita decretum est a S. C. concilii pro diœcesi Bononiensi (4), quamvis hoc decretum respiciat famulas cum uno tantummodo parocho cohabitantes; quæ vero munus suum præstant propinquis ejusdem parochi, minoris etiam ætatis permittuntur, dummodo tamen testimonium bonæ famæ suæ habeant.

Parochi alienæ diœcesis non possunt in altera audire confessiones sine approbatione ordinarii illius loci, nisi tantum suorum subditorum. Ita ex decreto S. C. concilii (5).

Parochi per concursum provisi censentur idonei ad audiendas confessiones in tota civitate vel oppido, ubi parochi constituuntur, non vero in tota diœcesi episcopi approbantis; ut ex decretis S. C. (6). Ex consuetudine tamen parochi civitatis confessiones audiunt in diœcesi et vice versa (7).

Si parochus beneficio renuntiet, indiget nova facultate audiendi confessiones, ut ex communi DD. *Ib.*

(1) *inst. eccl. 9. n. 16.* — (2) *de paroch. disc. ib.* — (3) *inst. eccl. 83. n. 22.* (4) *inst. eccl. 72. per totam* — (5) *inst. eccl. 86. n. 7.* — (6) *ib. n. 13.* — (7) *ib. n. 13.*

Parochus habens reditus tenues et populum tam frequentem, ut per se sufficere nequeat audiendis confessionibus, tenetur sibi adjungere alium sacerdotem adjutorem, cui, si ipse nequeat, populus necessaria ad sustentationem subministrare tenetur. Ita ex decretis S. C. concilii (1).

Parochus ex privata scientia noscens, alterum ex sponsis matrimonium celebraturis hæreticæ sectæ occulte adhærere, assistere matrimonio non potest, quemadmodum nequit, si sciret impedimentum etiam impediens (2).

Parochus ad residentiam materialem et formalem obstringitur tempore pestis, etiam cum periculo morbi contrahendi, ut ex rescriptis S. C. a *Gregorio XIII.* approbatis (3). Idque verum est, licet sacerdotem idoneum provideat, ut se absente ejus vicibus fungatur. *Ib.*

Fas est equidem parocho propter inimicitias et persecutiones a residentia recedere ex textu cap. *Ad supplicationem de renuntiat.*, quia tunc periculum inimicitiarum soli parocho imminet; quare potest alium sacerdotem substituere, qui sine suo periculo ejus munus adimpleat. At in peste omnibus æque periculum imminet, ideoque convenientius est, ut id discriminis subeatur a parocho, quam ab alio sacerdote. *Ib.* Quæ de parocho dicta hic sunt, valent etiam pro episcopo.

Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare sacramenta baptismi et pœnitentiæ, ut annotatum est v. Pœnitentiæ sacramentum, sed et viaticum, ne tanto bono in illa necessitate parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset sacerdos vel parochus: ex quo fieret, ut post administratum sacramentum pœnitentiæ uni non superesset spatium, ut aliis morituris pœnitentiæ sacramentum administraretur; vel si eo sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur sacerdotibus, ut ex doctrina *Suarii.* (4).

In ordine ad extremam unctionem ex doctrina ejusdem *Suarii* tunc tenetur parochus illam administrare, quatenus valet absque morali vitæ periculo. *Ib.*

(1) *inst. eccl. 94. n. 7.* — (2) *ita de syn. l. 6. c. 7. n. 6. et 7.* (3) *de syn. l. 13. c. 19. n. 2.* — (4) *ib. n. 18. 19.*

Patrimonium.

Constitui non debet patrimonium in industria clerici, ut si sit musicus, magister etc., ut respondit S. C. in una Seguntina mense Octobris 1589. Sicut nec institui potest in bonis mobilibus et se moventibus, ut respondit S. C. concilii die 29. Nov. 1670 (1).

Patrimonium admissurum se profitetur *Benedictus XIV.*, dum erat tantum archiepiscopus Bononiensis, in capellania amovibili, dummodo patronus obligasset fidem suam, numquam ab ordinato removendi illam capellaniam, quoadusque ille vixisset, vel quoadusque ordinandus non obtinuisset aliud sive beneficium sive patrimonium, et idem patronus vel alius se pariter obstrinxisset ad alimenta ordinato præstanda, si forte impediretur a celebratione missæ (2).

Item admisit in censibus perpetuis, dummodo debitores census, si voluissent illum restituere, obligassent sese ad deponendam pecuniam in loco tuto, ad hoc, ut in novis censibus vel stabilibus impenderetur (3). Tunc autem curæ erit ordinato sub pœna suspensionis de investienda eadem pecunia.

Si quis voluerit assignare de suo patrimonium sufficiens ordinando, dummodo hæc liberalitas sit vera et inalienabilis absque licentia ordinarii, id utique admitti poterit ex variis responsis S. C (4). Curandum est tamen, ut bona illa adeo libera sint ab aliis oneribus, ut remaneant ex iis sufficientia alimenta ordinato; (5) dummodo etiam absit omnis pactio tacita vel expressa, facta extra instrumentum, ut possessio bonorum remaneat apud assignantem. Non valet assignatio patrimonii facta a patre respectu filii, cui in præjudicium legitimæ reliquorum filiorum omnia sua tribuit. Sicut nec admittitur, si pater transferat omnia sua in filium cum onere, ut se alat, nisi id expressum candide fuerit in instrumento patrimonii. *Ib.*

Si quis fictum patrimonium suum sciat, et nihilose-

(1) *inst. eccl. 26. n. 7.* — (2) *ib. n. 11.* — (3) *ib. n. 12.* — (4) *ib. n. 13.* — (5) *ib. n. 14.*

cius ordinationem recipiat, manet suspensus: ut ex c. *Neminem* et c. *Cunctorum dist. 70.* et ex decreto S. C. anno 1610. Si vero id nesciat, sciat autem ordinarius, et tamen ordinet, ordinarius quidem suspensionem non incurrit, tenetur autem de suo ordinatum alere, ex vi eorumdem canonum et sensu S. C. concilii (1).

Patrimonii alienatio absque ordinarii licentia ipso jure nulla est. ut ex decretis S. C. (2); nec commutari potest in alia bona vel in aliud pariter beneficium sine facultate ordinarii, ut ex similibus decretis (3). Nec tandem obligari possunt bona patrimonii, adeo ut, si forte accidat, ut debitum solvendum sit, nulla fieri executio poterit, nisi supra eorum bonorum partem, quæ alimentis ordinati superfluit. Fas est tamen creditori recipere solutum seu vendere jus, quod post mortem transiret ad hæredes. Ita ex decretis S. C. (4).

Denique ordinati ad titulum beneficii resignare illud nequeunt, nisi facta mentione tituli, qui beneficio resignando adjacet, et concludentibus probationibus demonstretur, aliam suppetere resignati viam, qua commode sibi de victu provideat. Ita ex decretis S. C. (5).

Patronus.

Patronus ecclesiasticus tenetur præsentare ad beneficium curatum illum, quem digniorem putat inter approbatos ab examinatoribus, ex vi Tridentini (6). Episcopus non debet inquirere super præelectione facta a patrono, nisi forte aliquis fuerit inter approbatos, qui reclamet super electione facta a patrono, quasi elegerit minus dignum. Ita in epistola ad archiepiscopum Florentinum *Redditæ nobis* (7).

Patronus laicus præsentare tenetur digniorem ad beneficium curatum, ut ex *s. Thoma* (8) aliisque theologis firmatur (9).

Patronus si promiserit conferre alicui beneficium ex motivo aliquo temporali, nempe quia sibi sit conjunctus sanguine etc., non obligatur servare, quod spopondit,

(1) *n. 16.* — (2) *ib. n. 28.* — 3) *ib. n. 29.* — (4) *n. 30.* — (5) *ib. n. 30.* — (6) *c. 18. sess. 24.* — (7) *bull. t. 2. n. 4.* — (8) *2. 2. q. 65. art. 2. ad 3.* — (9) *inst. eccl. 7. n. 5. 8.*

tum præsertim, cum nondum beneficium vacat. Ita ex *s. Thoma* (1).

Si patronus ecclesiasticus præsentaverit aliquem tamquam digniorem, et examinatores illum tamquam probatiorem aliis concurrentibus judicaverint, et unus ex illis, qui minus dignus judicatus est, queratur coram episcopo de erroneo examinatorum judicio seque digniorem esse contenderit, tunc episcopus tamquam judex, priusquam institutionem concedat, in judicium patroni inquirere debet. Epist. ad archiepiscopum Florentinum mox citata.

Pœnitens.

Pœnitens vel quicumque alius, qui falso denuntiaverit judicibus ecclesiasticis, se esse ab aliquo confessario sollicitatum, incurrit reservationem apostolicæ sedi reservatam. Bulla *Sacramentum pœnitentiæ* (2).

Pœnitentiæ sacramentum.

Attritio de peccatis sufficit quidem ex mente Tridentini ad disponendum pœnitentem, ut Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ obtineat; sed quænam sit ista attritio, non satis liquet; potest enim esse cum aliquo Dei amore conjuncta, sed debili, tenui et remisso; potest etiam esse dolor propter Deum, non quatenus est summe bonus, sed quatenus est bonus nobis; potest insuper esse dolor de peccatis unice conceptus propter eorum turpitudinem aut solum metum pœnarum et gehennæ, absque ulla Dei dilectione. Hæc tamen postrema attritio potest etiam excitari ex metu gehennæ, ut conjungatur cum aliquo Dei amore initiali, quatenus ita peccata odio habentur propter supplicia, ut simul animus feratur in Deum ut objectum diligibile. Quæstio est anceps inter theologos, num sufficiat attritio servilis, quæ elicitur ex unico metu gehennæ et pœnarum, nullo vel initiali Dei amore adjuncto: vel requiratur saltem conjunctus amor Dei initialis. In hac quæstione nihil decidendum ab episcopo in synodo sua monet Pontifex;

(1) *inst. eccl. 22. n. 8.* — (2) *bull. t. 1. n. 20.*

suadet tamen, ut doceantur confessarii, æquum esse hortari pœnitentes ad veram et perfectam contritionem, quod et in rituali jussu *Pauli V.* edito monetur (1).

Moriturum, qui, antequam incidat subitus ægritudinis gravis casus, signa contritionis exhibuit, et postquam supervenit confessarius, nullo externo signo hanc voluntatem ostendit, adhuc tamen absolvi posse multo verior et tuta est opinio. Neque hic locum habet controversia, num absolutio conferenda sit sub conditione an absolute; hæc enim tantum valet in casu, quo moriturus dubia prorsus et ambigua contritionis signa præbuit (2).

Si vero ex nullo testimonio constet, illum ante casum mortalis illius morbi signa doloris exhibuisse et petiisse confessionem, adhuc tamen multo verior est opinio contendentium, ut absolvatur sub conditione, dummodo moriturus christiane vixerit: nam acta christianæ vitæ totidem sunt voces, quibus miser ille absolutionem sibi dari petierit et contritionem exhibuerit; et nisi sint præsentes actus pœnitentis, per vitam illam antea christiane actam præcessisse dicendi essent, et tunc pro præsentibus haberi, quemadmodum præsens censetur contritio ante subitum mortis casum præmissa (3).

Sunt, qui etiam velint, etiam iis non negandam absolutionem sub conditione, qui, licet male vixerint, tamen catholicam fidem retinuerunt et pro catholicis se gesserunt; quorum tamen sententia nimis laxior videtur (4).

Pœnitentiæ sacramentum iis, qui morbo pestis infecti sunt, non tenetur per se præstare episcopus, cum ille agat per parochos, ut causa universalis per particulares; sed parochus omnino tenetur, quod et ratio suadet et decreta S. C. approbata a *Gregorio XIII.* declarant; quamquam administrare illud possit aut directe per se aut adhibita opera alicujus sacerdotis ab ordinario approbati; nam si parochus omnino per se id agere deberet, cæteri parochiani morbo non affecti nollent tunc a parocho recipere sacramenta, eo quod sibi metuerent. (5).

(1) *de syn. l. 7. c. 13. per tot.* — (2) *ib. l. 7. c. 15. n. 8.* — (3) *ib. n. 10.* — (4) *ib. n. 13.* — (5) *ib. l. 13. c. 19. n. 7.*

Pœnitentiaria.

Pœnitentiariæ facultates dirigit et ad certas leges extendit et reformat *Benedictus XIV.* in sua bulla *Pastor bonus* (1). Absolvere potest omnes, quicumque eo se dirigunt, tum ab omnibus criminibus tum ab omnibus censuris, etiam latis in bulla *cœnæ*; regulares quidem in utroque foro, cæteros in foro conscientiæ. Quamquam etiam cæteros in utroque foro potest absolvere, quando agitur de censuris latis a jure et apostolicæ sedi reservatis, quin etiam latis nominatim ab homine, si jam expiraverit jurisdictio judicis, qui sententiam tulit, seu quando ab alio remissa est absolutio ad sanctam sedem, vel si censuris illis innodati fuerint impediti, ut adeant eos, a quibus de jure deberent absolvi.

Absolvit etiam hæreticos, dummodo occultos, etiamsi in hæresim externam incurrerint, dummodo actus illi extrinseci a nemine visi vel notati fuerint.

Publicos etiam hæreticos et apostatas absolvit in foro conscientiæ in casibus, in quibus non est necesse denuntiare complices, nempe quod illi obierint, vel degant in regionibus palam infectis, non tamen in iis, in quibus viget officium s. inquisitionis.

Non absolvit principes et alios jus imperii vicario nomine habentes etc., episcopos et alios superiores prælatos in casibus publicis contentis in bulla *cœnæ Domini*.

Non absolvit eos, qui astrologia judicaria vel per se vel per alios de statu reipublicæ christianæ seu de vita et morte Romani Pontificis viventis exquirunt. Reliqua vide in eadem bulla.

Vacante pastore ecclesia Romana major pœnitentiarius, cujus officium tunc non vacat, absolvere potest, quæcumque ad forum conscientiæ pertinent, etiam ab iis censuris, in foro tamen conscientiæ, a quibus vivente Pontifice non posset, ita tamen, ut sit absolutio ad reincidentiam, nisi intra tempus taxandum recursus fiat ad novum Pontificem.

Quoad forum externum vacante sede apostolica nihil

(1) *t. 1. n. 95.*

potest s. pœnitentiaria, nisi tantum in ordine ad regulares apostatas, ut dictum est v. Regulares.

Demum in eodem casu potest absolvere a censura publicos violatores ecclesiasticæ libertatis et immunitatis, cum reincidentia tamen, ut supra. Hæc omnia Pontifex in cit. bulla *Pastor bonus* §. *52.*

Potest etiam monialibus confessarios deputare, ex approbatis tamen ad moniales audiendas.

Pestis.

Pestis tempore quid agi liceat vel secus circa administrationem sacramenti confirmationis, pœnitentiæ, eucharistiæ et extremæ-unctionis, vide in singulis eorum articulis.

Num liceat dimidiare confessionem mortalium ex timore contrahendi morbi, quæstio est inter DD. anceps, in qua nihil certi decernitur (1).

In ordine ad administrandam eucharistiam non esse omnem ecclesiæ ritum servandum, qui modo ab ecclesia præscribitur, docet *Muratorius* in tractatu *de peste;* sed ab episcopi judicio expetendum esse, quid a singulis præstari posset, ut minus periculose, sed decenter ministretur: quod etiam rescriptum fuit ad postulata vicarii apostolici Juliæ Cæsareæ (2).

Tuto posset episcopus judicare tempore pestis, quod eucharistia laicis porrigeretur suis manibus accipienda, ut ipsi per se ori illam inducerent (3).

Extrema unctio erga peste infectos conferri potest inungendo organum illius sensus, qui unctioni magis expositum se offert, ita formam proferendo, quomodo fieri solet, cum unus tantummodo sensus inungitur (4).

Licet autem judicio episcopi in eo casu inungere ægrotum adhibita oblonga virga, cujus in extrema parte sit gossypium oleo sacro imbutum (5).

Pignus.

Quæ vendi non possunt, nec possunt in pignus dari. L. *Pupillus.* §. *Eam rem*, ff. *Quæ res pignori* etc. Quare

(1) *de syn. l. 13. c. 19. n. 19.* — (2) *ib. n. 26.* — (3) *ib. n. 27.* — (4) *ib. n. 29.* — (5) *ib. n. 30.*

res ecclesiæ, et etiam mobilia pretiosa non nisi concurrente legitima causa et accedente licentia sedis apostolicæ, vel episcopi respectu mobilium minoris pretii, vendi possunt (1).

Præcedentia.

Parochus loci, ubi aliquis obiit, cadaver associans semper habet præcedentiam supra alios, quoadusque est intra limites parœciæ suæ (2).

Preces publicæ.

Principes sæculares si petant ab episcopo, ut preces publicæ indicantur pro necessitate status, id utique potest et debet. Nonnisi vero summa abusio esset, si etiam ex consuetudine principes, episcopali auctoritate neglecta, indicere illas vellent (3).

Processio.

Ad processiones solemnes cogi non possunt clerici nullum beneficium vel officium ecclesiasticum obtinentes, sicut nec simplices presbyteri. Beneficium vero etiam non residentiale obtinentes utique possunt. Ita censuit S. C., cujus decreti occasione ponderatur, nihil hic decerni de clericis non beneficiatis, sed alicujus ecclesiæ servitio addictis (4).

Processiones prius fieri debent, dein missa solemniter cantanda ex rubrica missalis Romani (5), nisi tamen aliter ob gravem causam episcopo vel clero videatur (6).

Regulares instituere nequeunt processiones nisi intra vel circum ecclesias suas; nec confraternitates nisi intra oratorium suum: si vero velint per urbem procedere, utique debent parochis respectivorum locorum aliquid officii exhibere (7). Sufficit tamen licentia episcopi, etiam reclamante parocho, ut a S. C. R. decisum est (8).

(1) *inst. eccl. 69. n. 5.* — (2) *inst. eccl. 105. n. 54.* — (3) *encyclica ad omnes episcopos Quemadmodum preces bullar. t. 1 n. 82.* — (4) *inst. eccl. 31. n. 2.* — (5) *inst. eccl. 68. n. 12.* — (6) *ib. ex eadem.* — (7) *inst. eccl. 105. n. 51.* — (8) *ib. n. 52.*

Processio in festo s. Marci, si incidat in ipsam paschæ resurrectionis diem, transferenda est ad tertiam diem paschæ, ex decreto S. C. R. die 25. Septembris 1734. (1).

Professio regularium.

Judicia de nullitate professionis quomodo instituenda sint, vide v. **Regulares.**

Quæstuatio.

Græci, quantumvis exhibentes testimoniales de adhæsione sua Romanæ ecclesiæ, adhuc tamen ex decreto *Innocentii XI.* prohibentur quæstuare, et facultatem ea de re obtentam a quocumque vel ab ipsa pariter congregatione jubentur episcopi ad se recipere et ad eamdem congregationem de propaganda fide transmittere. Insuper *Clemens XII.* in suo brevi mandavit, pecuniam ita a Græcis collectam et alicubi depositam sequestrari ab episcopo et ad eamdem congregationem transmitti (2).

Regulares.

In probanda nullitate professionis regularis multa edicit nova *Benedictus XIV.* in sua constitutione *Si datam hominibus fidem* (3). Mandat igitur servari decretum Tridentini (4), quo vetantur audire reclamantes contra professionem, nisi intra quinquennium a die professionis reclamaverint. Confirmat etiam varia decreta congregationis concilii ea de re edita. Mandat deinde, ut probationes non fundentur in extrajudicialibus attestationibus, sed omnia juridice procedant. Insuper citari et audiri jubet tum defensores monasterii, in quo habita est professio, tum consanguineos sive alios, qui bona professi obtinent, tum etiam auctores vel complices metus incussi (si ex metu prætendatur nullitas professionis) Mandat, ut in singulis diœcesibus ab ordinario deputetur defensor professionis, cui stipendium a judice definitum solvatur, sive ab iis, quibus bona professi obvenerunt, et eorum defectu a monasterio, et eo impotente ex mulctis tribu-

(1) *inst. eccl. 28. n. 3.* — (2) *inst. eccl. 75. n. 1.* — (3) *bullar. t. 2. n. 47.* — (4) *sess. 25. de regul. c. 19.*

nalis. A priori sententia pro nullitate omnino appellandum est, nec sine secunda sententia licet religioso cucullum exuere.

Post quinquennium peti necesse est a sedi apostolica restitutionem in integrum, pro qua obtinenda defensor professionis assistat semper tum processibus instituendis ex vi commissionum, et superioribus regularibus et ordinariis locorum, tunc etiam, cum dubium, utrum concedenda sit restitutio in integrum, in S. C. proponitur. Neque in ea concessione sufficit unica sententia favens, sed duæ conformes requiruntur. Hæc novo jure sancit Pontifex; in cæteris consueta judicialis praxis retinenda est.

Cum regularibus redituris ab apostasia major pœnitentiarius dispensare et commutare potest pœnas quomodocumque incursas et pœnitentias regulares obeundas, sicut et absolvere a censuris, cum reincidentia tamen, nisi ad tempus præfinitum redierint (irregularitate tamen usque ad actualem reditum perseverante). Potest etiam illius concedere transitum ad alium ordinem. Nemini autem regulari permittat, ut vivere possit in veste sæculari seu clerici sæcularis (1).

Transitum de una religione ad aliam, etiam laxiorem, potest major pœnitentiarius concedere; ita tamen, ut restringat hanc suam facultatem transeundi ad ordines, in quibus regularis observantia viget, et in dubio attestatio ordinarii requiratur. Non concedit tamen transitum ad ordines hospitalares et militares, quamvis ad ordinem *s. Joannis de Deo* facilius indulgeat; sicut nec concedit transitum ad ordinem *s. Benedicti* antiquioris observantiæ aut ad alias consimiles congregationes, cujuscumque ordinis fuerint (2).

Si regularis ante professionem habituali morbo detineatur, nec interrogatus vitium suum denuntiet nisi post professionem, expelli non potest, nisi aliter declaretur in constitutionibus ejusdem ordinis, uti reipsa declaratum est in constitutionibus PP. Capuccinorum, in quibus religio *ad retinendum ejusmodi professum minime velle se esse obligatam exprimit.* An tunc vero profes-

(1) *bulla Pastor bonus §. 33.* — (2) *ib. §. 34. et 35.*

sus non dimissus a religione possit sponte abire, etiam illa repugnante, quæstio est non adhuc a S. C. definita (1).

Regulares pro apostatis habentur, si sese nulliter professos contendentes regularem habitum exuunt et a claustris discedunt, nec umquam audiuntur causam suam defensuri, nisi postquam redierunt ad monasterium (2).

Insuper non licet illis, ex inaniter præsumpta necessitate recurrendi ad superiores ordinis, exire extra claustra sine superioris litteris; alioquin enim apostatarum pœnis per ordinarium loci puniantur (3). Hæc tamen intelligenda sunt, quando recurrendi causa non est vera urgens et gravioris momenti (4).

Vetitum est superioribus regularibus, ne subditis suis facultatem faciant transeundi ad aliam religionem, nisi non dubiis documentis constiterit illis, alterius religionis superiorem paratum esse ad eos recipiendum, atque ita res constitutæ sint, ut transitus iste recte fiat ab una ad aliam religionem. Ita ex decreto S. C. concilii ab *Urbano VIII.* approbato. *Ib.*

Transitus iste, etiamsi agatur de apostata transferendo, fieri nequaquam potest ad religionem, in qua regularis observantia non viget; quin nec licet, si religio illa sit militaris aut hospitalaris, excepto ordine *s. Joannis de Deo.* Ita edixit *Benedictus XIII.* in sua constitutione *Licet sacra. Ib.*

Regularis in claustris non degens, si ab illis abscessit non præobtenta superioris venia vagaturque, etsi gestet religiosa indumenta et animum redeundi retineat, debet ab episcopo loci, ubi moratur, in carcerem conjici et superioribus regularibus consignari, secundum regulam puniendus, ut ex decreto S. C. concilii ab *Urbano VIII.* confirmato. *Ib.* Hæc tamen vera sunt, nisi aliunde constet, regularem illum se subtraxisse ab immoderata severitate superioris localis, ut recurrat ad alium superiorem majorem. *Ib.*

Regulares incorrigibiles expelli possunt ab ordine, quidquid vetera S. C. decreta olim in contrarium statuerint,

(1) *de syn l.13. c.11. n.4.* — (2) *ita ex Trident. sess. 25. c. 19. de regul.; de syn. l. 13. c. 11. n. 13.* — (3) *ex Trid. ib. c. 11. n. 13.* — (4) *ib. n. 14.*

ut ex novis decretis ejusdem congregationis concilii firmatur (1).

Incorrigibilis vero censetur, qui omnibus inustus est improbitatis characteribus in jure canonico ad id designatis. Debet præterea antecedere carceratio sex mensium in pœnitentia et jejunio, ac tandem sententia provincialis ejusdem provinciæ, consultis tamen sex aliis ex eadem provincia religiosis, designandis in congregatione provinciali confirmandisque a superiore generali, cui reservata est facultas iterum retractandi eamdem causam et priorem sententiam revocandi. Ita ex novissimis decretis S. C. concilii (2).

In conficiendis incorrigibilitatis processibus valent illi, qui ad normam regularum et consuetudinum ejusmodi ordinum formantur. *Ib.*

Lata contra ejectos sententia notificanda est episcopo ordinario loci, non ut de illa cognoscat, sed quia illius jurisdictioni subest ejusque mandatis obsequi debet. Ita ex decretis S. C. (3).

Ita ejecti non possunt induere habitum religionis, sed clericalem adhibeant necesse est. Manent insuper perpetuo suspensi ab exercitio ordinum in religione susceptorum, nec potest ab ordinariis ea pœna relaxari vel moderari. Ita ex decretis S. C. *Ib.*

Si vero ex litteris testimonialibus ordinarii constiterit, spem evidentem inesse resipiscentiæ, tunc iterum ad ordinem recipiendi sunt. Ita ex decretis *ib.*

Demum ita ejectus voto castitatis omnimode obstrictus remanet, paupertatis vero cum quadam moderatione, sicut nec obedientia proprio superiori regulari exhibenda ab eo est. Reliqua vero vota in professione ab eo nuncupata remanent in suspenso. Ita ex DD. *ib.*

Ejectus, si provocare vult ab injustitia sententiæ in se latæ, debet se constituere in carceribus formalibus religionis, ut ex decreto S. C. concilii, lato die 15. Nov. 1698 constat (4).

Religiosi tamen societatis Jesu post tria vota simplicia ab illis emissa, exacto probationis tempore, ab ordine dimissi non comprehenduntur in decretis de apo-

(1) *ib. n. 16.* — (2) *ib. n. 19.* — (3) *ib. n. 20.* — (4) *ib. n. 31.*

statis et ejectis, ut ex responso S. C. concilii (1). Votum castitatis ab illis emissum, dum permanent in ordine, dirimit matrimonium. Isti, ne celebrare possint, vetantur solummodo, quia carent patrimonio vel beneficio (2). Sunt tamen habiles ad beneficia et ministeria ecclesiastica obtinenda (3). Valent tamen hæc omnia in dimissis ante professionem solemnem. Post illam vero emissam censentur ac regulares in ordine ad ejectos. *Ib.*

Vota castitatis etc. a religiosis laicis Cisterciensibus emissa solemnia sunt, non simplicia, ut ex peculiari decreto peculiaris congregationis habitæ coram *Benedicto XIV.* die 21. Martii 1747 lato constat (4).

Si religiosus ob crimen aliquod damnatus sit ad triremes ad certum tempus, num ab ea absolutus pœna recipiendus iterum sit a religione, nondum definitum est a S. C., quamvis fuit consulta. Hæc tamen sola sententia damnationis ad triremes, etiamsi nondum remigaverint, perpetuo illos infames declarat adeoque irregulares (5).

Regulares quicumque etiam exempti in Indiis orientalibus agentes, curam animarum exercentes, subsunt prævio examini ordinariorum et approbationi, nec non visitationi, correptioni et jurisdictioni eorum in iis, quæ ad prædictam curam pertinent (6).

Regulares sacros ordines suscepturi non tenentur ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficit, si illas acceperint a superiore suo. Vicissim non possunt uti privilegio suscipiendi ordines a quocumque, nisi illi illud obtinuerint post Tridentinum, et ad illos pervenerit concessione directa, non vero communione privilegiorum de uno in alium ordinem. Si hujusmodi privilegium non habuerint, ordinari debent ab ordinario loci, in quo degunt, si ille sacras ordinationes tempore legitimo sit habiturus. Si vero habiturus non sit, possunt dimissoriæ a superiore regulari illis concessæ ad alium dirigi cum authentica attestatione episcopi diœcesani, ex qua constet, ipsum ordinationes habiturum non esse. Transgressores hujus sanctionis, qui ordinationem

(1) *ib. n. 21.* — (2) *ib. n. 23.* — (3) *ib. n. 26.* — (4) *ib. n. 28.* (5) *ib. n. 30.* — (6) *const. Quamvis ad confirmandum bullar. t. 2. n. 1.*

ab alio susceperint, suspensionis censuram incurrunt. Superiores regulares, qui dimissorias concesserint, voce activa et passiva mulctantur (1).

Si vero regulares tempore ordinationibus proximo transeant ad alterius loci monasterium et post receptam ordinationem ab episcopo illius loci, quo transierunt, redeant ad pristinum monasterium, videntur hoc quidem fecisse in fraudem; nihilominus nihil potest contra hos decerni, quia potuit res fieri citra fraudem. Ipsi ergo sibi consulant (2).

Si superiores dimissorias subditis suis dederint, ut ab ordinario quocumque ordines recipiant, nisi in casibus supra expressis, privantur usu vocis activæ et passivæ et dignitate, qua potiuntur. Ex decreto *Clementis VIII.* die 15. Martii 1596. Quod decretum non ita legitur, ut in multis editis: *pœnas incurrent* sed: *pœnas incurrunt*, quod infert pœnam latam, et non ferendam (3). Num fruantur privilegio ordinationum extra tempora? Affirmandum esse videtur ex auctoritate concilii Romani sub *Benedicto XIII.* tit. 5. c. 2. *ib.*

Regulares habentes privilegium posterius Tridentino, ut exempti sint ab interstitiis, frui illo debent, nec possunt episcopi illos eo nomine ab ordinatione rejicere. Ita ex decreto S. C. die 24. Augusti 1686 (4).

Regulares etiam exempti nequeunt exponere sacramentum eucharistiæ sine velamine in suis ecclesiis, nisi ex causa publica ab ordinario probata. Fas est tamen illis ex causa etiam privata sacramentum velatum exponere in tabernaculo aperto; dummodo tamen ab illo non extrahatur. ut ex decreto S. C. (5).

Generatim vero jus est episcopis cogere regulares parere sibi circa ea, quæ ad majorem cultum hujus ineffabilis mysterii et celebrationis missæ præcipienda consueverint. Quod ex decreto Tridentini (6) eruitur (7).

Regulares tenentur parere episcopo præcipienti, ne in eorum ecclesiis exponatur insolita imago aut nova reli-

(1) *ita Pontifex in bulla Impositi nobis ib. n. 27.* — (2) *de syn. l. 9. c. 17 n. 4.* — (3) *inst. eccl. 23. n. 12.* — (4) *de syn. l. 9. c. 16. n. 6.* — (5) *ib. c. 15. n. 4.* — (6) *sess. 22. de observandis et evitandis in celebratione missæ.* — (7) *de syn. l. c. n. 5.*

quia ab ipso non approbata, et inobedientes possunt etiam censuris cogi, ut ex decreto S. C. die 5. Junii 1700. (1).

Regulares puniri possunt ab episcopo tamquam apostolicæ sedis delegato, si quid deliquerint in iis, quæ respiciunt clausuram monialium etiam exemptarum, et earum, quæ intra monasterii septa degunt (2).

Regulares non possunt sæcularium confessiones excipere *sine licentia, gratia et beneplacito episcopi*, quæ verba sunt extravagantiæ *Bonifacii VII.* in c. *Super cathedram de sepulturis*, quod et confirmavit Tridentinum (3); sed et fas est episcopis, eam facultatem limitare ad certum tempus certasque personas, quin et ex parte revocare, contrariamque opinionem *Alexander VII.* die 30. Januarii 1659 damnavit (4).

Possunt tamen regulares ab episcopo approbati acciri ad domos sæcularium ægrotantium, eorum confessiones audituri, non petita a parochis ægrotantium licentia; sed de audita ægrotantium illorum confessione debent relinquere syngraphum, qua parochus certioretur (5).

Regularibus prælatis non licet monasteria monialium sibi subjectarum ingredi, nisi semel in anno causa visitationis; si autem necessitas urgeat, ut sæpius ingrediantur, non possunt nisi cum præsentia episcopi diœcesani aut alterius ecclesiastici ab ipso deputati. Ita ex constitutione *Felici Alexandri VII.* (6).

Regularibus vetitum est alloqui moniales etiam sibi subjectas sine licentia expressa, non solum superioris regularis, sed episcopi, ne vel semel quidem per spatium quadrantis horæ cum dimidio, ne vel pariter occasione concionis ad moniales illas habitæ, ne vel tandem ex causa quantumcumque honesta et pia (7).

Regulares subduntur coercitioni episcopi, si excipiant confessiones sæcularium sine prævia episcopi approbatione, ut ex constitutione 10. *Clementis X.* Item non possunt inconsulto et non approbante episcopo audire confessiones monialium sui ordinis etiam exemptarum ex vi bullæ 18. *Gregorii XV.*

Regulares nova monasteria seu domos ne erigant ve-

(1) *ib. n. 5.* — (2) *ib. n. 6.* — (3) *sess. 23. c. 15. de ref.* (4) *ib. c. 16. n. 7.* — (5) *ita ib. n. 9.* — (6) *ib. c. 15. n. 6.* — (7) *ib. n. 7.*

tantur absque sedis apostolicæ et episcopi facultate, quamvis Tridentinum (1) solius episcopi facultatem exprimit (2).

Est tamen pro monialibus in ditione hispanici regis breve *Urbani VIII.* suspensivum ejusdem constitutionis, sed non valet extra Hispaniam (3).

Ad statum regularem transire possunt presbyteri ecclesiæ vel diœcesis servitio addicti, invito etiam episcopo proprio; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere. Ita in epistola ad cardinalem *Quirinum Ex quo dilectus* (4).

Regulares extra monasterium degentes, et clericos regulares quomodocumque exemptos in civilibus causis mercedum et miserabilium personarum, nisi habeant judicem certum a sede apostolica in partibus deputatum, coram ordinariis locorum conveniri posse in prima instantia decernit Pontifex in bulla *Ad militantis* (5).

Reservati casus.

Ad solum Romanum Pontificem, episcopos et prælatos inferiores, habentes jurisdictionem quasi episcopalem cum territorio separato, pertinet casuum reservatio, ex doctrina concilii Tridentini et decisionibus S. C. (6).

Quamquam reservatio fieri potest extra synodum, multa tamen suadent, ut potius in synodo fiat; ideo præsertim, quia non desunt theologi cum *Roncaglia* tenentes, leges ab episcopo latas extra synodum eo cessante cessare, cum ea tantummodo, quæ in synodo fiunt ab episcopo, legis plenam auctoritatem obtineant (7).

Actus mere internos nec summus Pontifex nec episcopi reservandos sibi umquam censuerunt (8).

Regulares non solum reservare prohibentur alia crimina, quam quæ in decreto *Clementis VIII.* definiuntur, sed nec possunt alia ab his diversa crimina illigare censura reservata, ut et firmat Pontifex ex decreto quodam S. C. episcoporum et regularium (9).

(1) *sess. 25. c. 3. de regul.* — (2) *de syn. l. 9. c. 1. n. 9.* — (3) *ib. c. 15. n. 9.* — (4) *bullar. t. 2. n. 25.* — (5) *ib. t. 1. n. 48. §. 41.* — (6) *de syn. l. 5. c. 4. n. 2.* — (7) *ib. n. 3.* — (8) *ib. c. 5. n. 5.* — (9) *ib. c. 5. n. 6.*

Residentia.

Ad residentiam tenentur episcopi et parochi (1), adeo ut, quo tempore non resident, non faciant fructus suos, ut ex constitutione 91. *Pii IV.* Ex qua etiam constitutione constat, si, quo tempore illi non resident, obierint, de reditibus ecclesiasticis disponere nequaquam posse, etiamsi testandi facultatem obtinuissent (2).

Episcopi æqua et rationabili causa poscente ad duos tresve menses quotannis abesse a diœcesi permittuntur; parochi vero duobus mensibus possunt quidem, sed de licentia episcopi, et relicto idoneo vicario ab ordinario approbando (3).

Nec sine licentia episcopi abesse possunt per hebdomadam, sicut non sufficit licentia tacita. Ac demum non est satis ad evadendas pœnas, si causa sit evidens, et episcopus non consulatur, vel si consultus neget; quamquam tunc possit fieri recursus ad legitima tribunalia. Si tamen ex improviso discedere necessarium sit, tunc post discessum scribendum est ad ordinarium. Ita ex decreto S. C. (4).

Pro parochis tamen agrestibus sufficit licentia vicarii foranei, pro absentia tamen modici temporis. Ita ex decreto S. C. (5).

Si abeundum sit duobus vel tribus diebus non festivis, mos singularum diœcesium tenendus est. Ita ex DD. et canonistis *ib.*

Ad excusandam nonresidentiam non sufficit aëris intemperies. Si tamen parochus ægrotet, nec posset ibi ex defectu medicorum curari, tunc ad quatuor menses obtinere potest ab ordinario licentiam secedendi ad loca viciniora, vicario idoneo interim substituto, ut ex decretis S. C. (6).

Nec excusantur, si absint, ex eo, quod parœcia distet tantum tribus quatuorve milliariis a civitate.

Nec etiam, si nocturno tempore ibi resideant, et celebrata summo mane missa, tum reliquum tempus agant

(1) *ut ex concilio Tridentino sess. 6. c. 1. de ref. et sess. 23. c. 1.* — (2) *inst. eccl. 17. n. 4. et 5.* — (3) *ut ex Tridentino sess. 23. c. 1. de ref. ib. n. 7.* — (4) *ib. n. 11.* — (5) *ib. n. 12.* (6) *ib. n. 25.*

in civitate, relicto tamen idoneo substituto, idque præstent per majorem anni partem. Ita ex decreto S. C. concilii (1).

Restitutio.

Bona immobilia ab hostibus in bello injusto capta, puta a piratis, infidelibus, hæreticis etc., si emantur a fidelibus, debent restitui proprio domino, nullo exacto pretio ab eodem; quod decretum olim fuit a congregatione propagandæ fidei anno 1630, quorum opinionem *Benedictus XIV.* admittit in epistola ad *P. Nicolaum Lercari*, secretarium ejusdem congregationis. Quod vero ad mobilia, eadem congregatio censuit restituenda esse ab emptoribus legitimo domino, exacto tamen ab illo eo pretio, quo empta sunt: in hoc tamen judicium suum *Benedictus XIV.* non profert. *Ib.*

Reus.

Reus juridice interrogatus in judicio criminali tenetur veritatem manifestare, ut innuit Pontifex in sua bulla *Paterna charitas* (2).

Sacramentum.

Sententia asserens, in sacramentis conferendis non requiri in ministro intentionem aliquam faciendi, quidquid facit ecclesia, sed tantum præstandi ritum externum, nulla censura ab episcopis configenda est (3); verum contraria tutior et omnino servanda in praxi. Quare, si quid ejusmodi contigerit, et necessitas urgeat, sacramentum baptismi sic collatum sub conditione iterum perfici oportet. Quod si res hujusmodi sit, ut moram patiatur, consulenda est sedes apostolica. *Ib.*

Seminarium.

Tenetur episcopus assumere sibi consilium duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter a capitulo eligatur, item duorum de clero civitatis, quorum alterius

(1) *ib. n. 18.* — (2) *bullar. t. 3. n. 24.* — (3) *de syn. l. 7. c. 4. n. 9.*

electio ad clerum spectat, quæ omnia sunt ex Tridentino cap. 18 sess. 23. *de ref.* His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii: sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem et disciplinam ejusdem seminarii; quamquam episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur (1), ex pluribus S. C. decretis.

Sepulchrum.

Sepulchra in ecclesiis confraternitatum haberi possunt, sed de licentia episcopi, uti sæpe decisum a S. C. (2).

Si confrater obeat, non electa sepultura, mandari non potest sepulturæ in ecclesia ejusdem confraternitatis, ut est decisum a S. C. (3).

Simonia.

In simonia contracta pro beneficio acquirendo major pœnitentiarius monetur, etiam in casibus occultis et in foro conscientiæ, ne titulum ejusdem beneficii convalidet, nisi forte agatur de simonia ignorantia facti vel juris commissa, et orator, quamprimum id rescivit, dispensationem petierit; quod valet et in pensionibus, in quibus simonia realis scienter contracta fuerit (4).

Abstinendum est illi etiam a condonatione pretii simoniaci, quando in ecclesiam læsam vel pauperes debet erogari, nisi aliter suadet paupertas delinquentium (5).

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum beneficium, tenetur in subsidium restituere ecclesiæ vel pauperibus fructus a beneficiario male perceptos, ante omnem sententiam (6).

Si quis poscat a S. C. absolutionem a simonia commissa in obtinendo beneficio, impetrare solet rescriptum, ut *dimittat*, *moneat et restituat*, nempe dimittat beneficium, moneat pro restitutione pretii accepti, ecclesiæ vel pauperibus restituat fructus perceptos (7).

Si vero simonia commissa est ab aliquo tertio, inscio beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli,

(1) *de syn. l. 5. c. 11. n. 4.* — (2) *inst. eccl. 105. n. 124.* — (3) *ib. n. 124.* — (4) *bulla Pastor bonus* §. *22.* — (5) *ib.* §. *23.* — (6) *inst. eccl. 12. n. 11.* — (7) *ib. n. 12.*

dummodo *ante possessionem*, quod valet ac si diceretur, modo id non rescierit ante acceptam beneficii possessionem (1).

Cum parochiani habent jus nominandi parochum ratione fundationis, tunc singuli, seu mares seu fœminæ seu minores, habent jus nominandi in capita (2).

Commendæ, prioratus atque præceptoriæ ordinis Hierosolymitani a canonistis quidem tamquam beneficia habentur, in quibus, si intercedant preces, pactiones et munera, simonia committitur: id tamen negant communi consensu theologi, animadvertentes, non esse illis annexum spiritualis ministerii exercitium, neque necessario conferri clericis, quæ duo exigunt beneficia; quamquam negari non potest, gravem abusum ea in re intercedere, quem tollere adnisus est *Clemens XI.* in suo brevi ad magnum magistrum ejusdem ordinis, in quo etiam declarat, collationes hasce nullas et irritas esse et fore (3).

Sollicitatio in confessionibus.

Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denuntiationem sollicitantis illum occulte admoneat, ut sibi provideat sponte se offerendo tribunali. Tenetur tamen, etsi monitus compareat et sit ex correptione emendatus, illum denuntiare, ut ex propositionibus ab *Alexandro VII* damnatis eruitur (4).

Præceptum denuntiandi confessarios sollicitantes ad turpia et pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad alia crimina a re venerea diversa (5).

Sacerdotes omnes, etiam regulares, sollicitantes ad turpia in re venerea in actu confessionis vel ejus occasione aut prætextu, præter alias pœnas in constitutione *Sexti V.* et *Gregori XV.* inflictas, incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad missam celebrandam. Idemque etiam valet contra eos sacerdotes, qui sacrificio missæ abutuntur ad sortilegia. Ita ex decreto S. C. inquisitionis ex mandato *Benedicto XIV.* Id vero decretum enuntiandum publice est a superioribus cujuscumque ordinis

(1) *ib. n. 12.* — (2) *ut ex Pittone de controv. patron. all. 100. n. 394. firmatur ib. n. 13.* — (3) *de syn. l. 12. c. 5. n. 15.* (4) *ib. l. 6. c. 11. n. 9. et 10.* — (5) *ibid. n. 14.*

palam semel in anno feria VI. post octavam assumptionis B. M. V. et in quocumque capitulo generali aut provinciali (1).

Spectacula.

Spectacula inverecunda, uti sunt puerorum et adolescentium nudorum cursus et luctæ, etiamsi longa consuetudine introductæ, ne permittantur ab episcopis, utque legibus latis prohibeantur, mandat Pontifex in encyclica ad episcopos Campaniæ *Nihil profecto* (2).

Sponsalia.

Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absenti, ut redeat, quo elapso, si non pareat, vinculum dissolvitur (3).

Sponsalia de futuro inita absque præsentia parochi vel absque scriptura valere semper pronuntiavit S. C., cum Tridentinum tantum aboleverit matrimonia clandestina. Priora vero sponsalia etiam non jurata, etiam sine copula, prævalent secundis sponsalibus, etiam juratis et etiam cum copula, ut ex communi DD. (4).

Sponsalia inita invitis parentibus, quamquam judicari possint valida, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat archiepiscopus Rossanensis *D. Muscettolla* (5).

Sponsalia absque interna voluntate exequendi promissa, dubium est, an obligent; est tamen grave peccatum sic promittere (6).

Oscula ob delectationem carnalem et sensualem, juxta terminos propositionis 40. inter damnatas ab *Alexandro VII.*, ob paritatem rationis neque inter sponsos licita sunt (7).

Sponsus, qui sponsam seduxit ad copulam, non po-

(1) *ibid. appendix ad t. 1. bull. Benedicti XIV. n. 8.* — (2) *bull. t. 1. n. 60.* — (3) *inst. eccl. 46. n. 5.* — (4) *ib. n. 8.* (5) *in dissertatione legenda in t. 1. operum Zauli ad statuta Faventiæ ib.* — (6) *ib. n. 16.* — (7) *ib. n. 18.*

test puniri pœna stupri ob aliquod jus, quod habet in corpus illius, ut ex decreto S. C. (1).

Promissio de præsenti absque præsentia parochi et testium neque valet ratione matrimonii neque sponsalium, ut ex pluribus decretis S. C. (2).

Synodus.

Synodus diœcesana non necessario transmittitur, ad S. C. concilii, ut ab ea recognoscatur, emendetur et approbetur (3). Nam Sixtina constitutio, quæ afferri ad id posset, nihil ea de re statuit, nisi quoad concilia provincialia.

Constitutiones synodales statim ac promulgantur ligare subditos incipiunt, neque bimestre expectandum, ut de legibus imperialibus edicitur (4); et de legibus pontificiis DD. quidam asserunt, aliis magis communiter negantibus; nihil enim circa hoc statuitur de legibus ab inferioribus latis, ut monent DD. plures (5).

Regulares etiam subjiciuntur legibus synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum et sacramentorum administrationem (6), quamvis secus sit in aliis; sed ad evitandam deformitatem sese illis conforment oportet, non tamen sub gravi eas negligerent, notante *Suario*. Censet tamen Pontifex contra nonnullos regulares, quamvis teneantur ad festa diœceseos ex Tridentino (7), non tamen teneri ad jejunia ab episcopo indicta, nisi alia consuetudo in quibusdam monasteriis forte invaluisset (8).

Tabacus.

Tabacum per nares trahere, vel ejus fumum in os inducere ante missæ celebrationem vel communionis perceptionem, nequaquam interdicendum censet Pontifex; neque prohibendum judicat, cum ob receptam ac pervulgatam ejusmodi consuetudinem, omnis in ea re modo absit inhonestas et indecentia (9).

(1) *apud Fag. ib. n. 19.* — (2) *ib. n. 22.* — (3) *de syn. l. 13. c. 3. n. 6.* — (4) *L. Leges sacratissimæ. C. de leg. et rub. novel. 66.* — (5) *de syn. l. 13. c. 4. n. 2.* — (6) *ex Trid. sess. 25. cap. 11. de regularibus.* — (7) *sess. 25. c. 12. de regul.* — (8) *de syn. l. c. n. 5. et 6.* — (9) *de syn. l. 11. c. 13. n. 3.*

Tertiariæ.

Mulieribus Tertiariis non collegialiter viventibus non possunt regulares dare habitum sui ordinis sine licentia episcopi diœcesani, cui debent rite probare, habere se hoc privilegium sedis apostolicæ, fœminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum decimum quartum, tantum possidere de annuis reditibus, ut habeant satis ad alimenta, ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis vel affinitatis sibi conjunctis, ut ex decreto S. C. in causa Nazariensi die 10. Maji 1727 (1).

Tertiariæ collegialiter viventes, votis tamen solemnibus et clausuræ non adstrictæ, cum sint contra bullam S. *s. Pii V.*, a S. C. tolerantur potius, quam approbentur, sunt autem omnimode episcopi jurisdictioni subjectæ, ut ex pluribus S. C. decretis (2).

Tertiariæ non collegialiter viventes non possunt habere confessarium quemcumque etiam sui ordinis nisi approbatum ab episcopo pro confessionibus sæcularium. Item non possunt regulares illis die paschæ sacramentum eucharistiæ ministrare. Defunctorum corpora sepulturæ mandanda sunt in ecclesia parochiali: nisi forte in ecclesia regularium sui ordinis sepulchrum esset illis destinatum (3).

Benedictus XIII. multa concessit Tertiariis, sive vivant in communi monasterio, sive domi suæ vitam agant privatam, quæ utique jus novum concedere viderentur; sed cum *Clemens XII.* in sua constitutione *Romanus* anni 1732 jura Tertiariorum revocaverit ad terminos concilii Tridentini ac decretorum apostolicorum, ideo nihil novum de illis statuendum est (4).

Tertiariæ collegialiter viventes ex recepta S. C. immunitatis opinione gaudent immunitate fori. Vicissim autem Tertiariæ in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ex DD. definitur (5).

(1) *de syn. l. 9. c. 15. n. 11.* — (2) *inst. eccl. 29. n. 13.* — (3) *inst. eccl. 19. n. 14.* — (4) *ib. n. 16.* — (5) *inst. eccl. 105. n. 68.*

Testamenta.

Testamentum factum coram parocho et duobus saltem testibus idoneis valet pro toto statu ecclesiastico, nisi obstet statutum aliquod municipale (1).

Testamenta ad causas pias toto orbe catholico valent, si fiant coram duobus testibus (2).

Quoad dispositionem capitis *Cum esses* non sufficit, si sint duo vel tres testes, et absit parochus, cum in canone sit *coram presbytero suo*. Nec sufficit, si defectum parochi suppleat capellanus; sicut neque, si præsentiam præstet confessarius ordinarius. Demum testes masculi requiruntur, nec fœminæ valent. Demum valet testamentum ita conditum, etiamsi testator non sit in extremo vitæ periculo (3).

Scribenda sunt testamenta a parocho coram testibus, et a testatore subscribenda, sicut etiam a parocho et testibus. Si tamen scribere ignorent, sufficit scriptura parochi et signum crucis impressum in charta a testibus (4).

Ita scriptum testamentum saltem intra octo dies parochus cum testibus deferre debet tabellioni; et si adsit subscriptio testatoris et testium, non requiritur, ut singula contenta in testamento referant notario. Si nulla sit testatoris subscriptio, tunc parochus seu sacerdos viva voce exprimere debet, quidquid in eo testamento continetur; quod et a singulis testibus seorsum præstandum est. Denique et singuli illi subscriptionem suam agnoscant (5). Has vero omnes depositiones scribat tabellio et jungat testamento.

Ad servanda vero, quæ in testamento mandantur, discussio parochi et testium agenda est a judice competenti, citata parte, cujus interest, excepta tamen consuetudine, ut valeant testamenta, nulla facta publicatione, si illa reposita sint in archivio (6).

Usura.

Usuræ peccatum illud est, cum aliquid lucri exigitur

(1) *ex dispositione cap. Cum esses 10. de testam.* — (2) *ex cap. Relatum 11. de testamentis; inst. eccl. 105.* — (3) *ib. n. 8. 9. et 10.* — (4) *ib. n. 14.* — (5) *ib. n. 16.* — (6) *ib. n. 16.*

ultra sortem ratione mutui. Nec hoc a vitio vacat, etiamsi moderatum sit lucrum, quod deposcitur. Ratione tamen titulorum quorumdam, quos extrinsecos vocamus e contractu mutui, exigi potest annuus proventus, in quo tamen cavendum est, ne quid nimis accipiatur. Sicut etiam non semper iidem tituli in contractu mutui celebrando adsunt. Quin et accidit quandoque in nonnullis rerum circumstantiis, ut nulli alteri justo contractui locus esse possit, ut adsit obligatio, ut nudo mutuo alteri succurramus. Hanc doctrinam ab omnibus palam doceri mandat Pontifex, monetque insuper, ut, si quando in mutuo præstando alii legitimi tituli adsint pro annuo lucro exigendo, in celebratione contractus mutui explicentur. Hæc omnia latius in encyclica ad episcopos Italiæ *Vix pervenit.* (1)

Vasa sacra.

Vasa sacra, dum actu continent corpus et sanguinem Christi, tangere nemo alius permittitur, nisi sacerdos et diaconus.

Subdiaconis datum est, in altaris ministerio tangere calicem et patenam, dum corpus et sanguinem Christi non continent.

Acolythis licet tangere illa, sed extra ministerium altaris, quod etiam extenditur ad omnes illos, qui prima tonsura initiati sunt. Hæc omnia ex theologis (2).

Venditio.

Clerici beneficiati prohibentur unico actu vendere commodum seu utilitatem percipiendi fructus beneficii, quoad vixerint, vel per longum tempus, recepta pecunia in ea summa, de qua conventum est inter contrahentes, sive pecunia illa tota simul solvatur sive per plures solutiones. Id vero vetitum sub excommunicatione et aliis pœnis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis, et contractus omnes ita celebrandos in futurum Pontifex irritat et annullat. (3).

In contractu emptionis et venditionis, si fiat pactum,

(1) *bull. t. 1. n. 143.* — (2) *inst. eccl. 34. n. 18.* — (3) *constit. Universalis ecclesiæ bull. t. 1. n. 29.*

quo venditor, quandocumque voluerit rem venditam redimere, obligetur vi ejusdem pacti plus dare, quam receperit in venditione, contractus est injustus(1).

Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapso non sit amplius locus retrovenditioni, iste contractus sapit usuram, ex eo, quia videtur induere naturam pignoris. *Ib.*

Viaticum.

Aegroto impotenti ad viaticum sumendum non licet sacram particulam deferre ad eam venerandam et deosculandam, quod fieri vetuit *s. Pius V.* et S. C. concilii(2).

Morituro impotenti, eucharistiam sub specie panis deglutire, non potest sacramentum administrari sub specie vini, neque sub specie panis intincti in vino consecrato, sed omnino liquendus est non refectus sacra communione, cum præceptum viatici non obliget, nisi cum ministrari potest ritu ab ecclesia non prohibito; iste vero ritus ab ecclesia latina omnino prohibetur(3).

Vicissim autem licite administratur sub specie panis vino vel aqua non consecrata madefacti, ut facilius deglutiatur. *Ib.*

Vicarius capitularis.

Ecclesia vacante tota episcopi jurisdictio devolvitur ad capitulum cathedralis ecclesiæ(4), ac illud quidem eam per se exercere posset, nisi obstaret jus novum Tridentini(5), quod mandat, ut intra octo dies post inductam seu, ut decidit S. C., post habitam notitiam vacationis vicarium constituere teneatur, per quem illam exerceat. Si vero negligat, vel ecclesia vacans careat capitulo, tunc ad metropolitanum spectat; vel si nulli subjecta fuerit, ad viciniorem episcopum. Si vero tunc metropolitanus vacaverit, jus istud transit ad capitulum metropolitanæ. Hæc omnia ex decisionibus S. C. deducuntur(6).

(1) *de syn. l. 10. c. 8. n. 4.* — (2) *de sacrif. miss. l. 3. c. 19. n. 4* — (3) *ib. n. 6.* — (4) *per textum in cap. His, quæ, et cap Cum olim de majorit. et obed.* — (5) *sess. 24. c. 16. de ref.* — (6) *in l. 2. c. 9. n. 2. de syn. diœces.*

Verum antiqua consuetudo quarumdam ecclesiarum, ut vacantis ecclesiæ administratio transeat in aliquem in ecclesiastica dignitate constitutum, retinenda est, ut ex rota *ibidem*.

Dispensationes ab apostolica sede ad episcopum seu ejus vicarium generalem delegatas, et ante episcopi obitum nondum executioni mandatas, vicario capitulari exequi non licet, quia nec est episcopus nec vicarius episcopi (1).

Semel vero electus a capitulo vicarius removeri non potest, nisi causa agnita a S. C., uti decisum refertur (2).

Utrum vicarius capitularis ea possit, quæ non nisi speciali mandato vicarius episcopi præstare potest, DD. in utramque partem disputant. *Ib.*

Cum vicarius apostolicus datur ecclesiæ vacanti, nullam habet aliam auctoritatem præter eam, quam vicarii capitulares ea occasione obtinent (3).

Visitatio diœcesana et sacrorum liminum quoad episcopos.

Episcopus non prohibetur quidem bis quotannis diœcesim suam visitare, sed nonnisi unicam tantummodo per annos singulos procurationem exigere potest, ut ex pluribus S. C. decretis. (4)

Vicarius capitularis potest diœcesim visitare post peractum annum a visitatione ab episcopo facta, ut pluribus S. C. decretis decisum est (5). Illi tamen non nisi dimidium procurationis, quæ solvitur episcopo, retribuendum est, cum debeat minori comitatu incedere, ut constat ex resolutione S. C. in una Ostunensi die 28. Julii 1708 (6).

Episcopi omnes ex vi constitutionis *Romanus Pontifex* a *Sixto V.* editæ, antequam consecrentur, si Romæ existant, in manibus s. Romanæ ecclesiæ primi diaconi cardinalis, extra curiam vero in manu antistitis ad hoc delegati ex formula præscripta jurant, se statis temporibus limina ss. apostolorum visitaturos per se, sive, le-

(1) *ib. n. 3.* — (2) *ib. n. 4.* — (3) *de syn. l. 2. c. 10.* — (4) *de syn. l. 10. c. 10. n. 6.* — (5) *ib. l. 2. c. 9. n. 5.* — (6) *ib. l. 10. c. 10. n. 6.*

gitime impeditos, per aliquem de suo capitulo vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum vel beneficio præditum; et si hi defuerint, per sacerdotem aliquem diœcesanum sæcularem vel regularem.

Tunc autem Romano Pontifici rationem reddere tenentur de pastorali officio impleto et iis omnibus, quæ ad suam diœcesim pertinent. Sacræ autem congregationi concilii injunctum est munus, ut postulata episcoporum illorum discutiat et det illis responsa, sicuti et videndi, num legitime sint impediti (1).

Tempus, intra quod obeunda est ista visitatio, aliis quidem longius definitum est, aliis brevius, sed non minus quam triennium, nec supra quadriennium (2). Porro, si episcopus habeat coadjutorem ab apostolica sede datum, sufficit, si coadjutor nomine episcopi adeat; sicut etiam sufficit, si mittatur administrator episcopatus, qui debet visitare limina suo et principalis sui nomine, ut ex decisis a S. C. (3).

Id etiam præstandum est ab episcopo titulari, ut ex *Fagnano* aliisque probatur (4).

Denique nec eximuntur episcopi ecclesiarum suburbicariarum, quamvis exempti sunt a residentia. Ita ex decreto consistoriali *Alexandri VII.* (5).

Postremo prælati minores, qui proprie territorium habent vere separatum, in quo independenter a quocumque episcopo jurisdictionem spiritualem exercent, ad eamdem visitationem tenentur, ut ex responsis S. C. et ex bulla *Quod sancta*, data die 23. Nov. anno 1740 a *Benedicto XIV.*, constat (6).

E contra vero non tenentur ii prælati inferiores, qui territorium separatum non habent, ut satis constat (7).

Votum.

Vota simplicia, etiam castitatis et religionis ac sacrarum peregrinationum, dispensando commutare potest major pœnitentiarius Romanus (8).

(1) *de syn. l. 13. c. 6. n. 11.* — (2) *ib n. 3.* — (3) *ib. n. 5.* (4) *ib. n. 5.* — (5) *ib. n. 6.* — (6) *bullar. t. 1. n. 7.* — (7) *ib. n. 9.* — (8) *bulla Pastor bonus §. 29.*

FINIS TOMI SEPTIMI.

239.02
L627t
1846
v.7

5055

LIGUORI, ALPHONSUS
AUTHOR

Theologia Moralis
TITLE
Vol. VII

DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

5055